3 8.

HIEROGLYPHICORVM ET MEDICORVM EMBLEMATVM ΔΩΔΕΚΑΚΡΟΥ͂ΝΟΣ

Auctore

LVDOVICO CASANOVA
CONSILIARIO ET MEDICO REGIO.



N. 1

LVGDVNI,
SVMPTIBVS PAVLI FRELLON.
IN VIA MERCATORIA.

M. DCXXV.

ILLVSTRISSIMO GENEROSISS.QVE

DOMINO D. IVSTO HENRICO A TVRNONE,

COMITI ROSSILLIONÆO, BARONI CHALANCONIO,

REGIS CHRISTIANISSIMI VTRIVSQVE ORDINIS EQVITI Torquato,& ab vtroq; conſilio,quinquaginta cataphractorum equitum Duci, Viuatienſium moderatori potentiſſimo,

⁂

LVDOVICVS CASANOVA. S. D.


PErſarum Reges oblatam interdùm aquam non reſpuerunt; nec, vti ſpero, HEROS POTENTISSIME, quam offero reſpues. Nam cùm ſis Comes, comis etiam es; & cùm Regibus noſtris agnatione ſis proximus, Virtuti es agnitione proximior. Artaxerxes ex vtre ſordido, Darius è lutulento equorum veſtigio aquam biberunt: non bibes tam ſordidam, non bibes tam lutulentam, nec tam exiguam; charior enim Fortunæ es, quia Virtus tibi charior. Hæc aqua totus Fons eſt, iſque lympidus, nihilque cum illis commune haber, niſi quod ab equo. Sed à quo? à Pegaſo ſcilicet, cuius eſt Fontem vngula aperire, imò creare. Fons erat Athenis Δωδεκάκρουνος, qui & Callirhoe dicebatur, è cuius duodecim ſiphunculis tam pura effluebat aqua, vt de ea Pallas in ſacris; tam fœcunda, vt Thalaſſius in nuptiis; tam ſalubris, vt in potionibus Æſculapius; tam probata potui, vt de ea omnes in conuiuiis vellent, haberent, miſcerent, biberent. Illéne Fons huc deductus? vetat ſpatium. Hic tamen Fons Palladius eſt, ortus tuis Athenis, quippe TVRNONE, quam Athenas Galliæ fuiſſe & eſſe tam certum eſt, vt Reges Cecropidę ſi viuerent, inuideant honorem IVSTIS à TVRNONE; duodecim tubos habet, quia tot emblemata; corporis & animæ inſeruit connubio, quia ſanitati; medicis acceptus, quia medica continet; cæteris etiam placere poſſit, quia pro varietate guſtuum varius eſt. Et guſtatum nolles? tuus in Mineruam cultus, in Hygeiam amor, in philologiæ ſtudium non patientur. Guſtabis igitur, imò bibes ex hoc Fonte, cui ſuus etiam ornatus eſt. Quos ſuis in palatiis, viridariis, & amœnis locis Fontes habent Principes, ornantur ſignis è Pario marmore, & ære Corinthiaco Deos, & Semideos referentibus, aliiſque venerandæ antiquitatis monumentis, qualia multa habes in hoc vetuſtiſſimo tuo caſtro. Et habet ſua ſigna, & ſtatuas Fons iſte, in quo [a] Emblem. 3 [b] Embl. 4
videas Comum [a] cum tibia, Saturnum [b] cum falce, cum claua Herculem [c], Æſcula- [c] Embl. 10

pium [d] cum baculo ſerpente implicito, Iouem [e] in nube, Nympham [f] in Fontano cratere, & omnia cum ſymbolis expreſſa pathemata [g]. Quid plura? palmas, [h] pyramides [i], leones, [k] & venaticos canes [l] myſticâ cælaturâ ſpectabiles. Vitam [m] etiam ipſam viridi amictam veſte, & amarantho coronatam, quam ſupplex precor velit, in ſinum tuum tantum olei primigenij de ſuo vaſe refundere, vt veluti Fons perpetuus, quem nullus calor æſtiuus exſiccat, annoſo æuo vita tua perennet.

d Embl. 11
e Embl. 9
f Embl. 7
g Embl. 9
h Embl. 12
i Embl. 1
k Embl. 6
l Embl. 8
m Embl. 2

HIEROGLYPHICORVM ET
EMBLEMATΩN MEDICORVM
ΔΩΔΕΚΑΚΡΟΥΝΟΣ.

EMBLEMA EMBLEMATΩN.



Biſſeno Siphone dabat fons Pulcher Athenis
Flumina, cui nomen Δωδεκάκρουνος erat.
Fons emblematibus biſſenis iſte libellus
Nunquid? Athenæum num rigat Hippocratis?
Irrigat; at quali clepſydra parua rigantur
Prædia, quæ ſaltu ranula tranſiliat.
Iſta tua philiatre ſiti ſunt: ſerpere noui
Flumina gymnaſiis uberiora iatro.

Hieroglyphica.

SIPHONES ſiue CANALES, hieroglyphica ſunt *MYSTERIORVM ET EMBLEMATVM.* numero I.

DVODENARIVS NVMERVS, hieroglyph. *ABVNDANTIAE.* num. II.

DVODECIM FONTES, hieroglyph. *ENCYCLOPAEDIAE.* num. eod.

ATHENÆ, hieroglyph. *SCIENTIARVM SEDIS.* num. III.

FONS, hieroglyph. *LIBRI.* num. IV.

AQVÆ ÆGYPTI, hieroglyph. *SCIENTIAE ETHNICORVM PHILOSOPHORVM.* num. eod.

IRRIGANS PARVA CLEPSYDRA, hieroglyph. *LEVITER DOCENTIS.* num. V.

RANA AGELLVM SALTV TRANSILIENS, hierogl. *EXIGVI FVNDI.* num. eod.

HYDROPICVS, hieroglyph. *AVIDE DESIDERANTIS.* num. eod.

BIBENS, hieroglyph. *DESIDERIVM EXPLENTIS.* num. eod.

I.

ATHENIENSES fontem ſuum duodecim ſcaturigines, & fiſtulas habentem Δωδεκάκρουνον nominarunt; & in ſacris, & nuptiis non alia niſi huius fontis aqua vti ſolebant. De illa Io. Tzetzes Chil. 8. hiſt. 18.

> Η Καλλιρόη τις κρηνὶς τυγχάνει τῶν ἀθηνῶν,
> Ηπερ καὶ ἐννεάκρουνος τὸ πρὶν ἐκαλεῖτο.
> Εγὼ δὲ δωδεκάκρουνον οὕτως εἰρήκειν στόμα,
> Καθὼς τοῖς πάλαι πρὸ ἡμῶν παρῳχηκόσι χρόνοις,
> Περὶ αὐτῆς που γέγραφεν ὁ κωμικὸς κρατῖνος
> Αναξ ἄπολλον, τῶν ἐπῶν τῶν ῥευμάτων,
> Κατηχῶσι πηγαὶ δωδεκάκρουνον στόμα,
> Ιλισὸς ἐν Φάρυγξι. τί ἂν εἴποιμι;
> *Callirhoe quidam fons eſt Athenis,*
> *Quæ & Enneacrunos antea vocabatur,*
> *Ego autem duodecim fontium ſic dixero os,*
> *Sicut à maioribus ante nos præteritis temporibus,*
> *De eo alicubi ſcripſit comicus Cratinus:*
> *Rex Apollo carminum fluentis*
> *Perſtrepunt fontes, duodecim fontium os*
> *Iliſſus in valle. quidnam dixerim?*

Biſſeno Siphone] Hoc eſt, duodecim ſalientibus. Sic enim tubos & fiſtulas vocat Tullius ad Q. Frat. lib. 3. epiſt. 1. Sipho propriè inſtrumentum eſt compeſcendis incendiis comparatum. Vide Cæcil. Plin. lib. 10. epiſt. 42. vbi de vaſtiſſimo Nicomediæ incendio ſcribit ad Imperatorem Traianum. Vide Alciat. lib. 1. prætermiſſorum. Turneb. lib. 19. cap. 23.

Per duodecim Siphones ſiue tubos ac canales, duodecim quæ hoc in libello ſunt Emblemata, intelligenda ſunt. Quemadmodum enim intercurſu canalium aqua à fonte aliò deducitur: ita horum Emblematum beneficio, doctrina quæ in illis eſt, ab Auctore in quo primum reſidet, ad alios defertur. Sancti Patres, Canales aquarum in quibus Iacob Geneſ. 30. virgas ponebat, quas arietes & oues concepturæ intuerentur, myſteria ſacrarum paginarum eſſe dicunt, quæ variè varij concipiunt & interpretantur. Et Emblemata, quia myſteria ſunt per ſymbola & ſimulachra depicta, quorum ſenſum concepturi, contemplatione ſedula conſideramus, nonne Siphones & Canales ſunt? Quemadmodum autem fontis aqua latet in canalibus & tubulis, deinde emicat & apparet: ita Emblematis doctrina & ſenſus, ſub ſymbolis & hieroglyphicis primùm, ſub hiſtoria vel naturali, vel narratiua, aut alia re ſimili deliteſcit; ſed demum expoſitione innoteſcit.

II.

DVodenarius Siphonum numerus abundantiam notat. Cùm enim includat decadem perfectionis numerum, vt pote quæ numeros omnes diuerſæ virtutis ac perfectionis intra ſe habet, vt ſcribit Martian. Capell. lib. 7. de nupt. Philolog. & inſuper binarium habeat, matrem ſcilicet numerorum, ex ſententia Zaratæ Pythagoræ præceptoris, apud Plutarch. lib. de creat. animæ, nonne Duodenario Siphonum numero, abſolutus Emblematum iſtorum numerus, & vbertas doctrinæ connotabitur? Certè per duodecim fontes aquarum qui erant in Elim num. 33. Encyclopædiam ſcientiarum, quæ mentes ſciendi ſiti detentas irrigant, Patres multi ſignificant. Et hic per Duodecim fontis veluti fontes, multiplicem in Emblematum tabulis latentem doctrinam, ex omnibus penè ſcientiis & artibus liberalibus depromptam, & hoc circulo concluſam intelligi dico.

Dodecas ſiue Duodenarius numerus, non abundantiam quamlibet, ſed ex Pythagora & Platone abundantiam naturæ, quæ imprimis Medicinæ eſt; cúmque hæc Emblemata Medica ſint, Duodenario conuenientius numero, quàm alio quouis comprehenduntur. Quis verò, inquit Plut. de Iſid. & Oſir.

Oſir. pro dignitate ſatis Ægyptios miretur, trigonium pulcherrimum, id eſt orthogonium, vniuerſi naturæ comparando? cui Plato in Republica ſua *γαμήλιον διάγραμμα*, id eſt, *nuptialem figuram* comparauit. Habet illa triangulum trium linearum ad rectitudinem, quatuor baſin, quinque angulum ſubdiſtentum ambeuntibus æquipollentem. Angulum ſiquidem ad rectas aſſimilant mari, baſin fœminæ, ſubdiſtentum ex vtroque prognato. Oſirim itaque tanquam principium, Iſin quaſi ſuſcipientem, Horum ceu ab vtroque prodeuntem venerantur. Et ternarius quidem primus eſt impar perfectus, ternarius autem tetragonus à latere integro binarij profectus. Quinarius partim matri, partim ſimilis patri proditur, ex triade ſcilicet & dyade congenitus. Iam ſi hos omnes numeros coniunxeris 3.4.& 5. Dodecaden effeceris.

III.

F*Ons Pulcher.*] Si cui fortè minus Pulchrum videatur hoc adiunctum, ſciat Fontem cuius hic mentio, Callirhoem dictum, παρὰ τὸ καλῶς ῥεῖν, quòd Pulchrè & clarè flueret. Et Gregorium Nazianzenum non minus eloquentia quàm ſanctimonia clarum, Perpulchri epitbetum fonti dediſſe.

Ἐξαπίνης συνέχευεν ὅλην περικαλλέα πηγήν.

Martianus Capel. de Nupt. philol. lib. 6. de Callirhoe. In ora, inquit, portus, cui nomen Scyronia, ſaxa viginti ſex longitudine, latitudine quinque millibus paſſuum à Myrthoo recedentibus Athenæ atque Atticæ. Fontes ibi multi, inter quos Callirhoe prædicatur. Alius Fons hoc nomine in Palæſtina Medicæ ſalubritatis erat ex Plin. lib. 5. cap. 16. In eo Herodes deſperato morbo, & cœlitùs immiſſo laborans, ſeipſum lauit, auctore Ioſepho. Atticus Fons, de quo hoc Emblema, non eadem virtute Medica donatus erat, licet eodem nomine douaretur. Hic enim vt ille Callirhoe vocabatur, quòd ex eo flueret aqua puriſſima lympidiſſimáque. Hoc autem ſalubris aquæ ſignum eſt ex Galeno lib. 1. de ſanit. tuend. Probabile etiam certè eſt, ſalutarem inter reliquas Atticæ, illius aquam fuiſſe, quòd ab omnibus expeteretur, celebraretúrque. Ægrotis Fontanam præſcribimus, & à compoſitione etiam medicamentorum puteanam ablegamus. Ex quibus infero, ſequentia Emblemata Medica, Fontibus aptius fuiſſe figurata.

Athenis.] Athenæ Mineruæ ſcientiarum deæ Acropolis, doctorúmque metropolis eloquentiæ ſedes, philoſophiæ patria, omnis eruditionis fons. Athenæ Pomponio Melæ libro ſecundo clariores ſunt, quàm vt debeat indicari. Euripidi apud Athenæum, ἑλλάδος ἑλλάς, *Græcia Græcia.* Thucydidi, παίδευσις ἑλλάδος; *Græciæ institutio.* Illas Diodorus nominat κοινὸν πάντων ἀνθρώπων παιδευτήριον, *omnium mortalium commune gymnaſium.* Strabo, σοφῶν οἰκητήριον, *ſapientiæ domicilium.* Ariſtides qui Athenarum laudes fusè perſequitur, σοφίας πρυτανεῖον. Ouidius in epiſt. doctas,

---- doctas iam nunc eat, inquit, Athenas.

Ex quibus videre eſt, Athenas pro loco vbi ſcientia aliqua vigeat, vſurpari, & gymnaſium Hippocratis non malè ab auctore Athenis relatum.

Quemadmodum ab Attione Attica, Mopſopia à Mopſopo, Ionia ab Ione, Poſſidonia à Neptuno qui Ποσειδῶν dictus: ita Athenæ à Pallade Athenarum tutelari dea, quæ Ἀθήνη denominatur. Vide Seruium Maurum ad Georg. lib. 1. Ferunt Neptunum cùm Pallade de Athenis imponendo nomine diu multúmque contendiſſet, demum inter eos ita conueniſſe, vt vrbi nomen daret qui rem mortalibus vtiliorem edidiſſet. Cumque Neptunus equum, Pallas oleam produxiſſet, duodecim deorum ſuffragiis, vt notát Apollodorus qui erat Athenienſis, lib. 3. Biblioth. victum Neptunum Palladi conceſſiſſe, quæ de nomine ſuo Athenas nominauit. Faceſſant igitur qui ab *Adonai* Hebraica voce Athenas deducunt. Pindarus Olymp. 5. Pallade è Iouis cerebro edita Solem φαυσίμβροτον δαίμονα Rhodios narrat præmonuiſſe, vti primi omnium Palladi adolerent, quod eſſet ex reipublicæ vtilitate, illam apud eos habitaturam à quibus ei primùm ſacrificatum eſſet. Cùm igitur Rhodij in arcem vt Palladi ſacra facerent aſcendiſſent (quod Scholiaſtis eſt, non Pindari qui nihil habet quod ad Rhodi honorem non faciat) fugit eos ignem vnà cum rebus ad ſacrum comparatis deferre. Atque ita ſacrificium ἄπυρον fecerunt. Athenienſes autem qui primi cum igne ſacrificaſſent, digni ſunt habiti in quorum vrbe Pallas, & cum ea ingenuæ diſciplinæ habitarent.

IV.

F*Lumina.*] Συνεκδοχικῶς pro aqua, quæ ſenſus Emblematis, ac doctrinæ hieroglyphicum eſt. Salomon Prou. 16. fons vitæ eruditio poſſidentis. Richardus à S. Vict. in illa verba Gen. 49. *Effuſus eſt ſicut aqua.* Per aquam, inquit, carnalis prudentia figuratur. Vnde cùm mundanæ ſcientiæ Aqua ſuperabundat, cauendū eſt ne timor ſolicitudinis, vltra menſuram excreſcat. Adamantius homil. 13. ſuper Geneſ. vbi de puteis quos fodit Iſaac, habet, inquit, omnis terra Aquas, ſed qui Philiſtinus eſt, & terrena ſapit, neſcit in omni anima inuenire rationalem ſenſum ad imaginem Dei, neſcit fidem,

pietatem, religionem poſſe in omnibus inueniri. Quid tibi prodeſt habere eruditionem, & neſcire ea vti. Perlege reliquum homiliæ, & idipſum ſæpè videas confirmatum. Idem ſuper Exod. homil. 4. vbi de decem plagis, Aquas Ægypti ethnicorum philoſophorum eruditionem interpretatur. D. Ambroſ. lib. de Iſaac & anima cap. 4. Puteus, inquit, latitudinis quid aliud ſignificat, niſi de naturalibus diſciplinam? Et apud Poëtas quid Aquæ aliud Pegaſeæ, Caſtaliæ, Heliconis, Pimplæ, Aganippes, & aliorum Bœotiæ fontium & fluminum, quæ Muſis ſacrabantur, quàm eruditio. Doctæ vocantur illæ Aquæ, docti illi amnes,

Continuit fœlix Helicon, fluxitq́; Aganippe
Largior, & docti riſerunt floribus amnes.

inquit Manilius.

Δωδεκάκρουνον] Componitur ex *δώδεκα*, quod duodenum numerum ſignificat, & *κρουνός*, quod ſcaturiginem & aquæ ductum. Philoſt. eloquentiam Dionyſij Mileſiaci denotaturus, *καὶ τοῖς μὲν*, inquit, *δωδεκάκρουνον δοκεῖ τὸ στόμα*. *Nonnullis eius os duodecim Siphunculos habere videtur*, & ſcaturigines illas Atticæ eloquentiæ.

Fons Emblematibus, &c.] Fons libri hieroglyphicum eſt. Patres illud Pſalm. 67. interpretantes: *In eccleſiis benedicite Deo, Domino de Fontibus Iſrael*. Per Fontes Iſraël, Iſraeliticos libros intelligunt, ex quibus viri ſanctitate illuſtres, multa ad Dei Optimi Maximi gloriam hauſerunt. D. Hieronymus illud Iſaiæ cap. 12. explicans, *Haurietis aquam in gaudio de Fontibus Saluatoris*. Fontes Saluatoris, librum Dei, ſacram ſcilicet ſcripturam eſſe ſcribit.

Athenæum.] Templum Mineruæ, locus ad quem Poëtæ Græci ſua carmina ferebant, recitabántque: ſicut Poëtæ Latini in Apollinis & muſarum templo, vt ait Budæus in Lexico. Lampridio tamen gymnaſium publicum eſt vbi non tantum Græci, ſed & Latini Poëtæ atque etiam rhetores exercebantur: ſic enim ille in Alexandro Senero, *Ad Athenæum*, inquit, *audiendorum & Græcorum & Latinorum Rhetorum, & Poëtarum cauſa, frequenter proceſſit*. Hoc autem ab ara *Ἀθηνᾶς*, id eſt, Palladis plerique omnes putant appellatum: qualis fuit Lugduni olim ad Rhodanum, vt Iuuenal. Satyr. 1. teſtatur his verbis:

Palleat, vt nudis preſſit qui calcibus anguem,
Aut Lugdunenſem rhetor dicturus ad aram.

Diuus Hieronymus pro auditorio vſurpauit: Quando, inquit, omne Athenæum ſcholaſticorum vocibus conſonabat. Athenæi nomine vſus eſt auctor potius quàm alio, quia vt libellum ſuum cum Pulchro illo Fonte comparat, ita Athenæum medicum cum Athenis, vbi erat fons ille.

Hippocrates.] Hippocrates medicinæ magiſter iure meritò à D. Ambroſio epiſt. 39. quæ eſt ad Horontianum, nominatur. Tantum enim in ea præcelluit, vt ob ſumma quæ in humanum genus illa arte contulit merita, publico gentium & nationum conſenſu, ei pares cum Hercule honores decreti ſint. Natus eſt in inſula maris Ægæi, quæ hodiè *Langou*, olim Cos dicebatur, vnde prognoſes ſuas Coacas inſcripſit. Mos inualuerat in illa inſula vt palam in templo Æſculapij quo quiſque morbo laboraſſet perſcriberet, quibuſque remediis ægritudinem diſcuſſiſſet, vt ab eius exemplo quo quiſque maximè indigeret, poſſet inuenire. Inde Hippocrates medicorum omni æuo celeberrimus, libros ſua etiam experientia & ſcientia confirmatos dicitur collegiſſe, collectóſque in lucem dediſſe. De eo Suidam lege.

Quotquot eius libris auctores inuigilarunt, tam multas in eum congerunt laudes, vt non hominem, ſed Deum aliquem celebrare videantur. Galenus tam crebris laudibus eum extollit, vt qui omnes colligere velit, faciat volumen integrum neceſſe ſit. Tres duntaxat aut quattuor afferam. Libro primo Therapeuticæ poſtquam multimodè prædicauit Ariſtotelem Peripateticorum principem, Theophraſtum etiam, & alios celeberrimos philoſophiæ profeſſores, ab eo multa ſuos in libros tranſtuliſſe ſcribit. Neque mirum eſt Platonis diſcipulos ad Hippocratem tanquam ſcientiarum fontem acceſſiſſe, cùm Plato ipſe ſuſpexerit illum. Audi Galenum lib. citato. Audiſtin, inquit, vir bone Platonem ſimili methodo animæ naturam inueniendam eſſe cenſere, qua corporis naturam Hippocrates? An adhuc vis multas hominis dictiones ex multis librorum eius locis deligam, in quibus ille Hippocratem omnium qui ante ſe fuerunt, maximè admiratur. Ita Galenus. At Plato qui diuinus dicitur admiratuſne fuerit Hippocratem? quid ni, cum Hippocrates non tantum diuinus, ſed diuiniſſimus fuerit, ita enim vocatur à Galeno lib. de virtut. animal. Imo non diuiniſſimus tantum, ſed etiam Deus, lib. 1. de vſu part. cap. 9. Rurſus igitur, inquit, ab Hippocratis dictione, tanquam à Dei voce, auſpicemur. Infra alia de eodem afferentur.

V.

R*igat.*] Rigat hic pro ſubdocet. Rigans enim hieroglyphicum eſt erudientis. Locus eſt apud Cornificium qui huic, & præcedentibus ſequentibúſque verbis enucleandis conuenit: Iſti magiſtri, inquit, omnium dicendi præceptores non videntur ſibi ridiculè facere, cùm id, quod aliis pollicentur, ab aliis quærunt. Si qui ſe fontes maximos, penitus abſconditos, aperuiſſe dicat, & hoc ſitiens

tiens quàm maximè loquatur, neque habeat quo ſitim ſedet, non irrideatur? Iſti cùm non modò dominos ſe fontium, ſed ſeipſos fonteis eſſe dicant, & omnium Rigare debeant ingenia, non putant fore ridiculum, ſi, cùm id pollicentur aliis, areſcant ipſi ſiccitate. Ita ille. Ex quibus colligere eſt parua clepſidra Rigantem, leuiter docentis eſſe ſymbolum.

Quali Clepſydra.] Extenuando opellam ſuam Auctor non de tollenonum hauſtibus loquitur, ſed de Clepſydra, qua vtitur olitor ad hortulum irrigandum, Gallicè *vne chantepleure.* Clepſydra antiquitus inſtrumentum erat horologicum, dicitur à κλέπτειν τὸ ὕδωρ, quòd *aquam furtim ſubtrahat.*

Qua ſaltu ranula, &c.] Hoc carmen meæ illud ſubiicit memoriæ, quod apud Iuuenal eſt Sat. 3.

Vnius ſeſe dominum feciſſe lacertæ.

Cùm breue ſpatium ſit illud quod rana ſaltu metiatur, non poteſt latifundium, ſed agellum tantum connotare. Ranarum pedes poſteriores longiores ſunt, id cauſæ eſt cur ita ſaltitent.

Philiatris.] Opus ſuum pro Philiatris eſſe dicit, hoc eſt tyronibus, qui prima terunt limina Æſculapiei gymnaſij, non autem iatris & archiatris qui aut artem medicam edocent, aut illi iam pridem operam nauant.

Siti.] Quanta voluptas eſt viatoris, cùm fauces vrit ſitis,

Dulcis aquæ ſaliente Sitim reſtinguere riuo,

vt ait Maronianus Menalcas, tantæ deliciæ ſunt ingenij ſciendi cupidiſſimi

------integros accedere fontes,

Atque haurire.

vt ait Lucretius in fronte libri 4. de fontibus Caſtaliis loquens. Sitis hic pro ſciendi deſiderio. Apud Tullium Cato ſic accipit: Literas, inquit, Græcas ſic arripui, quaſi diuturnam Sitim explere cupiens. Iuuenalis Sat. 10.

------tanto maior famæ Sitis eſt quàm

Virtutis.

Origenes homil. 13. ſuper Geneſ. Non enim, inquit, populus ille bibere poteſt de ſcripturis, ſed Sitim patitur verbi Dei, donec veniat Iſaac, & aperiat eos, vt bibant pueri ſui. Et homil. 11. ſup. Exod. de Siti populi in Raphadin diſertè. Qui beati ſunt ſecundum verbum Domini eſuriunt, & iuſtitiam Sitiunt, & alij nihilominus dicunt. Sitiuit anima mea ad te Deus. Qui verò peccatores ſunt, patiuntur non Sitim aquæ, neque famem panis, ſed Sitim audiendi verbi Dei. Idcirco igitur, & hic addit, quia populus Sitiit aquam, qui debuit Deum Sitire, qui debuit Sitire iuſtitiam. Horat. inducit Canidiam magam ita loquentem:

Deſiderijq; temperare poculum.

Idem Carm. lib. & Od. 2.

Creſcit indulgens ſibi dirus Hydrops,

Nec Sitim pellit.

vbi Hydrops auidè deſiderantem ſignificat. Bibens, deſiderium explentem notat. Eccleſ. 9. Vinum nouum, amicus nouus: veteraſcet, & cum ſuauitate bibet illud, hoc eſt, fruetur eo.

Serpere.] Hoc verbi de fluminibus dicitur, Papinius in via Domitiana de Bagrada Africæ fluuio,

Qualis Bagrada Serpit *inter agros.*

Lucanus lib. 1. Pharſ. de Rubicone,

Perque imas Serpit *valles.*

Gymnaſiis.] Non temerè & ſine cauſa Gymnaſij potius nomen, quàm ſcholæ, hic, in re ſcilicet medica, poſitum. Gymnaſium exercitij dictio eſt, ſchola verò otij. Nam ſchola ἀπὸ τῆς σχολῆς, aut vt Feſtus vult σχολάζειν, quod eſt *otiari.*

At Gymnaſiũ ἀπὸ τοῦ γυμνάζειν, id eſt, *exercendo,* ex Gal. lib. infra citando. Locus enim erat vbi exercebantur athletæ vngendo, fricando, luctando; diſcum iaciendo, aut ſimile quippiam agendo. Denique laboris locus erat vbi athletæ laborabant, ſudabant. Vide D. Ambroſium lib. 1. offic. cap. 16. vbi athletis & gymnaſticis ſeſe ludis exercentibus otiantes opponit, & iſtis ab illis dicitur: Venite, nobiſcum laborate. Gymnaſij labore athletæ firmabantur, augebantur, reficiebantur. Vnde ſeruus ille Theſprio apud Comicum in epid. ſe athleticè valere dicit, vt ſe fortem, firmum, & rectè valentem dicat. Scio Galenum euexiam gladiatorum exagitare, at non exagitat quòd exercerentur, corporáque gymnaſtico labore firmarent: ſed quòd nimium alerentur ſaginarenturque cum periculo ne vaſa violenter diſtenta diſrumperentur, aut ne vitalis, naturaliſve facultas cum extinctione opprimeretur. Exercitatione ſanantur ſæpè minus valentes. Straton ex illuſtri familia oriundus, & abundans diuitiis, non antè corporis exercitia vſurpauit, quàm ex ſplene laborare cœpit. Tunc enim cùm remedium petere ex exercitiis oporteret, ad temperandam valetudinem iis fœliciter vſus eſt, vt ſcribit Ælianus lib. 4. Var. hiſt. cap. 15. Contra luxu & deſidia Dionyſius Heracleotes miſeram vitam vixit. Corpora enim pigritia & ſeſſione torpentia, diu benè valere ἀδύνατον cenſet Galenus: labores autem laudibus extollit. Lege eum primis libris de ſanitate tuenda.

Ex his conſtat congruentius poſitum hic nomen exercitationis, Gymnaſij ſcilicet, quàm ſcholæ, hoc eſt otij, quod Hippocrates, & poſt eum medici omnes fugiunt & damnant.

Iatro.] Ἰατρὸς eſt vir bonus, Medicinæ peritus. Bonus quidem vt ſit, iuſiurandum Hippocraticum Chriſtiano dignum, ipſaque artis profeſſio, & humaniorum litterarum ſtudia quæ colit, ipſum ait Gorræus, ad virtutem inſtituunt, qua vbi ſtimulari cœpit, nullis parcit laboribus, nihil ſubire recuſat, quo perueniat ad agnitionem veritatis, nihilque habet prius ægrotantium ſalute: quam vt conſequatur omnem quantam poteſt adhibet diligentiam, & legendo, percunctando, conquirendo ſtudet medicinæ peritus eſſe, vt ægrotos valeat à morbis vindicare.

LONGITVDINE VITA BREVIATVR.

EMBLEMA I.



Pyramis eſt ſuffulta globis bis vitrea binis,
Hic niger, ille albus, flauus hic, ille ruber.
Plena baſis luna eſt, & coni luna ſeneſcens,
Lumine Phœbæo deficiente perit.
Vita hominis fulcitur ſanguine, phlegmate, bile,
Quæ gemina: & ſenſim deſinit in nihilum.
Nullus in humanis tenor eſt: homo puppulus eſt iam,
Poſt pubens, iuuenis dein, vir &, inde ſenex.

Hieroglyphica.

PYRAMIS, hieroglyphicum *VITAE.* numero I.
COR, hieroglyph. *VITAE.* num. II.
VITRVM, hieroglyph. { *FRAGILITATIS* & *VITAE.* } num. III.
GLOBVS, hieroglyph. *HVMORIS.* num. eod.

GLOBVS,

GLOBVS { NIGER, hieroglyph. *MELANCHOLIAE.* / ALBVS, hieroglyph. *PITVITAE.* / FLAVVS, hieroglyph. *FLAVAE BILIS.* / RVBEVS, hieroglyph. *SANGVINIS.* } num IV.

LVNA, hieroglyph. *VITAE HVMANAE.* num. V.

PLENILVNIVM, hieroglyph. *VITAE NASCENTIS.* num. eod.

LVNA CORNICVLATA, hierogl. *VITAE DEFICIENTIS.* num. eod.

ELEMENTA, hieroglyph. *HVMORVM.* num. VI.

TORRENS, hieroglyph. *RERVM HVMANARVM.* num. VII.

FOENVM, hieroglyph. { *GLORIAE* & humanæ *VITAE.* } num. eod.

I.

L*ONGITVDINE vita breuiatur.*] Diuus Ambroſius, Prius, inquit, incipit augeri vita noſtra quàm minui. Et nonne quò plus augetur illa, eò plus minuitur? D. Auguſtinus lib. 13. de Ciuitate Dei, cap. 9. tempus vitæ huius curſum ad mortem vocat. Et Seneca epiſt. 78. cum itinere conferre videtur, cùm de morte loquens, his verbis vtitur: Nullum ſine exitu iter. Itaque quò quis plus longitudinis curriculi, vel itineris emetitur, eò plus illa abbreuiantur. De pluribus qui in eadem currunt, illi breuior reſtat cui longior fuit.

Pyramis.] Aliquid huic Emblemati congruum legitur in Miſoponeri Satyrico num. 10. vbi ſic. Pyramis Emblematum varietate myſtica ſtatim à deſcripti antea labyrinthi exitu apparet; eam ſolidam putes, niſi vitrea ſuffultam ſtylobate aduertens dixeris: fragile ſolido impar eſt. Inter ſcapi ſe cogentis initia, quadrata litera hic titulus: SIC SENSIM SINE SENSV ARCTATVR VITA.

Pyramide vitam rectè figurari priuſquam latius oſtendatur, quærendum eſt cur racemi ſtrobili, & ſcolymi fructus Pyramidali ſint figura. Quid tandem cauſæ eſt quòd in baſi latiora ſint? Nimirum quia cùm baſis alimento vicinior ſit, plus habet vnde augeatur, quàm pars remotior quæ in cono eſt. Si quid ſecus in aliquibus fructibus videatur, alia ratio eſt iam non indaganda. Vita haud diſpari ratione plus extenditur naſcens, quæ veluti in ſua baſi eſt, quippe quæ ſuæ originis vicinior plus habeat humidi radicalis, quod eſt eius alimentum: minus autem in extremo, hoc eſt in ſenectute, quo tempore vita quodammodo ſtringitur & finitur. Cor vitæ ſymbolum eſt, vt conſtat ex reſponſo quod dedit Spurina aruſpex Iulio Cæſari eo die quo purpurea veſte velatus aurea in cella conſedit. Et ex medicis noſtris à quibus ἀρχὴ τοῦ θέρμου καὶ τοῦ ζῆν cor dicitur, vita ex corde pendet, & animal omninò mori non poteſt, ni cor afficiatur, vt ſcribit Gal. lib. 5. de locis affect. cap. 1. Membrum iſtud nuci pineæ hoc eſt figuræ Pyramidali reſpondet. Mileſius lib. de natura humana ſcribit, cor natiui caloris infurnibulum, Pyramidali figura conſtructum fuiſſe, ob calorem intra ſe conceptum, cuius figura propria Pyramidalis eſt. Hic aliquid iis quæ de fructibus dixi conſonum afferri poſſit. Cùm enim coronaria vena vniuerſam primò cordis baſin inſtar coronæ cingat, deinde hinc inde ramos diffundat ad viſceris nobiliſſimi nutritionem, ibi latius eſſe cor, debuit, vbi ſuo proprius eſt nutrimento.

Pyramis eſt ſolida figura planis ſuperficiebus operta, è quarum vna cæteræ ſurgentes, ſimul in vnum coeunt. Ab igne cuius figuram æmulari videtur, nomen ſortitur. Pythagoras enim, & Platonici, igni tetraedron ſeu Pyramidem accommodarunt, propter acumen flammæ aſcendentis. Vide Cardinalem Beſſarionem contra Platonis calumniatores. Democritus & Leucippus à quo vita ſit, ignem eſſe dixerunt. Potuit igitur vita humana Pyramide figurari. Sed Goropium Becanum in ſuis hieroglyphicis lib. 7. iſta confirmantem afferamus. Fuit ſanè hæc, inquit, omnium priſcorum ſapientum ſententia, vt igni Pyramidis figuram tribuerent: qua in re niſi conſenſiſſent, nomen ipſius figuræ minimè ſic nuncupaſſent. Solus Ariſtoteles, Pythagoræ, & Platonis deſertor, argumenta congerere maluit, quibus receptam ab antiquis opinionem oppugnaret, quàm inueſtigare quid ſibi priſci illi maiores voluerint, dum tanta concordia non igni modo hanc darent figuram, ſed eam etiam ab eodem elemento nominarent, quaſi eius præcipua, propria, & peculiaris eſſet. Longè profectò aliter primi illi ſapientes in rerum principus inquirendis verſati ſunt, quàm eos Ariſtoteles vel intelligere vel reprehendere videtur.

Et paulo poſt.] Eodem modo de Pyramide igneæ naturæ ab antiquis maximo conſenſu tributa iudicabit is, qui Theologiæ non erit ignarus: in qua qui ignem audit, mox mentem ad apicem omnis creationis dirigit, minimè conſiſtens in elemẽto, calore, & ſiccitate naturam ſuam terminante. Quis in religione noſtra Seraphici ordinis flammas non audiuit? Quis primum illum ignem in quo Deus

dicitur habitare & ſedere in arcanioribus mentis adytis non perſentiſcit, ſi modò vel vnam minimam ei diuini amoris ſcintillam Spiritus ſanctus fuerit clargitus. Hic eſt ignis ille, qui Pyramidis ſortitus eſt figuram, cuius cuſpis infinitum diuinitatis orbem attingit. *Et infra:* Pyramis itaque prima omnibus rebus diuinam vnionem, eſſentiam & vitam communicat, ſolido proceſſu per curtas Pyramides vim ſuam deriuans, quam ex fonte vnitatis haurit. Hæc eſt Tetractys illa Pythagorica, quam æternæ vitæ fontem nominarunt aurea carmina:

Καὶ τ̄ ἡμετέρα ψυχᾶ παραδόντα τετρακτὺν
Παγὰν ἀενάου φύσεως

Quòd ſi hunc præceptorem Ariſtoteles ſequi maluiſſet, quàm diuinas ſententias ſophiſticis argutiis oppugnare, non tam temerè de ignis figura diſputaſſet. Quicquid de diuinis intelligimus, id per imagines duntaxat & ſymbola apprehendimus, quorum mathematica aptiſſima illa quidem ſunt ad contemplationem demonſtratione abſoluendam, ſed à ſenſibus tamen phyſicis corporibus remotiora, & minùs etiam apta ad agendi vim exprimendam. Quocirca, vt ſymbolicæ rationi efficientia accederet, ad naturam ipſam numeros & magnitudines applicarunt, & in ea quæſiuerunt, quid primæ huic ſolidæ figuræ in Elementis maximè reſponderet, in qua inueſtigatione igni multis rationibus primas tribuerunt, tum quòd maxima vi in agendo cæteris omnibus præſtet, tum quòd ad ſummum apicem perpetuò contendere videatur, haud ſecus ac primum ſolidum corpus ſeſe ad vnitatem ſupremam effert. Ignis itaque ſymbolum eſt tetractyos, tetractys primi ordinis creaturarum, quem ab ardore & flammis Seraphinum dixi vocari, in quo Deum habitare ipſe etiam cacodæmon diuino coactu coufeſſus dicitur. Quid? quod ignis quoque noſter corporeus figuram Pyramidis exprimit, inferiore parte qua materiam depaſcitur, baſim conſtituens, & ſuperius vndique ad conum ſe cogens, cuius cauſam Ariſtoteles potius explicare debuiſſet, quàm id quod oculis omnium ceruetetur, oppugnare. Quæ tam exigua flammula cernitur, quæ ſe in acumen non tallat? & quod minimæ cuique parti à natura eſt tributum in corpore partium ſimilitudinem conſeruante, quid ni toti dicamus id conuenire? Hic ſi ſe exercuiſſet omnium veterum Momus, clariora vtilioráque ea quæ de ignis figura diſſeruit, reddidiſſet. Miror quid reſponſurus fuiſſet, ſi quis eum interrogaſſet, vnde Pyramis nomen accepiſſet: quòd ſi ab igne vocabulum deriuaſſet vel ſe vel primum nomenclatorem, & omnes eum ſequutos erroris condemnaſſet; ſed hoc quàm illud facere maluiſſet.

Si viuere viuentibus (addit ſequenti ſol.) eſt ipſum eſſe, vt talia ſunt, quod Ariſtoteles in iis quæ de anima ſcribit confitetur; quid aliud erit, ipſa vita, quàm caloris, quo omnia viuunt, ſiue opus ſiue actio? quæ continua quædam motio eſt eius ignis quem intus habemus. Ariſtoteles animam nouo nomine entelechiam dixit, qua veluti ſepia quadam ignotæ vocis atramento, naturæ cognitionem offuſcaret. Satius ergo, ex iis de anima iudicium ferre quæ omnium conſenſu ſtabiliuntur, quàm in huius ſolius tenebris verſari. At, ipſomet confitente omnes animam definiunt motu, ſenſu & incorporeo: quo ſit, vt cum anima corpori ſuo vt forma inſit, rectè deſcribi queat, incorporea eſſentia ſiue forma corpori motum & ſenſum præbens. Huius autem motio vita erit: at mouere non poteſt corpus, niſi per calorem, quem viuentis corporis ignem ſi voces, non peccaris, eo quòd calor ſubtiliſſimo ſpiritui inditus, igneæ ſit naturæ. Videmus itaque ignem motionis inſtrumentum eſſe: quo extincto, anima corpus deſerat, nec amplius mouere poſſit. Huius ergo inſtrumenti, quo tanquam vehiculo anima vtitur, ſiue latio, ſiue motio ipſiſſima eſt vita. *Et haud multo poſt:* Non malè ergo illi qui animam ignem eſſe dixerunt, eo quòd humana anima officio ſuo non fungatur, niſi ritu ignis hominem ferat ſurſum ad ipſum vnum, ad quod omnium rerum creatarum Pyramides finiuntur. Quocirca cùm Pyramis illa ipſa ſit figura ad quam ſe ignis in motione ſua conformat, age dic mihi quiſquis es, an aliquid perſpicaci ingenij tui acumine inuenire queas, QVOD VT VITÆ SYMBOLVM SIT POTIVS, QVAM PYRAMIS MEREATVR? Hæc ille.

Ex his Pyramide vitam rectè ſignificari docetur. Hominis vita in baſi, hoc eſt, in natiuitate lata eſt vt Pyramis, & magni ſpatij, ſed ſenſim coarctata & tenuata tandem in conum, hoc eſt, in mortem deſinit. Filius ille Enoch præ cæteris longæuus cùm primum in lucem editus eſt, vitam habuit latiſſimam, quæ per ſæcula imò per luſtra, annos, menſes, hebdomadas, dies, imò per horas, imò per momenta ſtrictior facta; demum anno 969. quo obiit diem ſuum extremum, ſtrictiſſima facta extremo illo cono, morte ſcilicet, terminata eſt. Hæc Pyramide numerali ſiue numero Pyramidali depicto clarius ſub oculum cadent. Pyramidem hanc in Rege Ægypti quæramus, vbi omnium celeberrimæ fuerunt. Naſcatur verbi gratia Apis ille quem viginti quinque annos vixiſſe ſcribit Plutarchus. In illo primo vitæ exordio annos habet percurrendos omninò viginti quinque, numerum annorum ſuorum maximum. Hæc latitudo longior, & longitudo eius vitæ latior eſt, & veluti baſis. Anno illo primo elapſo & incipiente ſecundo, viginti quatuor tantum reſtant, vita enim vno decurtata eſt: anno tertio, tantùm viginti tres: anno quarto tantum viginti duo, & ita de cæteris, à baſi ſiue anno natiuitatis, quæ tanquam fundamentum toti vitæ deinceps minuendæ ſubſternitur; ad ſtrictiores numeros aſcendendo, donec ad vltimum ventum ſit, qui conus vitæ eſt, vt in ſequenti figura patet.

Quod

1.

2. 2.

3. 3. 3.

4. 4. 4. 4.

5. 5. 5. 5. 5.

6. 6. 6. 6. 6. 6.

7. 7. 7. 7. 7. 7. 7.

8. 8. 8. 8. 8. 8. 8. 8.

9. 9. 9. 9. 9. 9. 9. 9. 9.

10.10.10.10.10.10.10.10.10.10.

11.11.11.11.11.11.11.11.11.11.11.

12.12.12.12.12.12.12.12.12.12.12.12.

13.13.13.13.13.13.13.13.13.13.13.13.13.

14.14.14.14.14.14.14.14.14.14.14.14.14.14.

15.15.15.15.15.15.15.15.15.15.15.15.15.15.15.

16.16.16.16.16.16.16.16.16.16.16.16.16.16.16.16.

17.17.17.17.17.17.17.17.17.17.17.17.17.17.17.17.17.

18.18.18.18.18.18.18.18.18.18.18.18.18.18.18.18.18.18.

19.19.19.19.19.19.19.19.19.19.19.19.19.19.19.19.19.19.19.

20.20.20.20.20.20.20.20.20.20.20.20.20.20.20.20.20.20.20.20.

21.21.21.21.21.21.21.21.21.21.21.21.21.21.21.21.21.21.21.21.21.

22.22.22.22.22.22.22.22.22.22.22.22.22.22.22.22.22.22.22.22.22.22.

23.23.23.23.23.23.23.23.23.23.23.23.23.23.23.23.23.23.23.23.23.23.23.

24.24.24.24.24.24.24.24.24.24.24.24.24.24.24.24.24.24.24.24.24.24.24.24.

25.25.25.25.25.25.25.25.25.25.25.25.25.25.25.25.25.25.25.25.25.25.25.25.25.

Quod hic de vita quinque & viginti annorum, quo numero vita humana ſummum acquirit incrementum, de longioribus vitis & breuioribus dici poſſit; quod & de menſibus etiam, de hebdomadibus, diebus, horis, & momentis intelligendum eſt: Tam enim puero qui triduum tantum vixit ſua vitalis Pyramis fuit, quam Neſtori qui tria ſæcula: ſed huius longior latiórque fuit, illius ſtrictior, & breuior. Chemmis, Cephus, Micerinus, & alij Ægypti Reges cum ſe per vitalem iſtam Pyramidem quæ ſenſim minuitur, viuere ſcirent, vt ſecunda poſt mortem vita fruerentur, fama ſcilicet & poſterorum memoria, longa annorum ſerie, ingenti artificum numero, & infinitis ſumptibus Pyramides, quarum gradus imi latiores erant ſupremis, extruxerunt.

I I.

P*yramis vitrea.*] Vitæ Pyramis vitrea eſt, vita enim vt vitrum, fragilis, imò fragilior. D. Auguſtinus ſermone 1. de verbis Domini, fragiliores, inquit, ſumus vaſe vitreo. Quia etſi caſus vitro timeatur, non tamen ſenectus aut febris. Cardan. in fine lib. 5. de ſubtilitate. Vnicum hoc eſt fragilitatis humanæ exemplum, quod inter cæteros non ſolum oculis, ſed mente, principes perpetuò debent contemplari. Verum fragilior eſt longè vitro vita humana, atque tantò, quantò res quæ ſponte frangitur ea quæ nonniſi alieno impetu. Ita ille. Tertull. in Apologet. Tanti, inquit, vitreum, quanti verum margaritum. Quis ergo non libentiſſimè tantum pro vero habeat erogare, quantum alij pro falſo. Ex quibus vitreum pro re inani, vili, & fragili accipi conſtat.

Præter vitri fragilitatem, eius etiam compoſitio conſideranda, & ad vitam referenda. Duabus conſtat ſubſtantiis vitrum, altera quidem vegetatiua, quæ ſpiritalis & volatilis eſt, à qua fuſio; altera mineralis quæ corporea & fixa: illa eſt planta quæ Arabibus Chali, nobis Soda & Salicor dicitur, quæ in ora maritima Hiſpaniæ, & Galliæ etiam noſtræ Narbonenſis legitur: Iſta, arena eſt, aut ſilices, ſine quibus Soda igne luculento, qui fundendo vitro requiritur, in fumum ſolueretur. Volatilis illa & hæc fixa ſubſtantia, igne opus moderante coaleſcunt. Hæc eadem vt vita detur animali, requiruntur. Primò, materia fixa, vltimi ſcilicet alimenti excrementum in teſtibus elaboratum. Secundò, Volatilis quædam facultas tota æt herea, plenáque ſpirituum, qui per vniuerſum corpus oberrantes ſingularum partium ideam collegerunt. Benigno calore vteri auxiliante, ex duobus illis, quoddam veluti domicilium fit, quod animam recipit, & viuit, vita ſcilicet vitrea, hoc eſt fragili. Andreas Laurentius lib. 8. hiſtor. anatom. aliquid veluti operis vitriarij in animalis conformatione & informatione, hoc eſt in vita videtur admittere, Sic enim ait: Is ille eſt qui *ὀργανικὰ μέρη* conſtituit, extendit, & veluti exſufflatione quadam perforat, vt ſolent vitriarij.

I I I.

S*Vffulta globis his vitrea binis.*] Quatuor globis quibus incumbit Pyramis, quatuor ſunt humores, quibus innititur vita, ſanguis, bilis, melancholia, & pituita.

Globis humores repræſentantur, non enim aliâ figura concinnius denotentur. Licet enim nullius figuræ ſint, ſi tamen extra ſua vaſa diffluant, vel extra corpus fundantur, conglobantur. Vide ſanguinem è venis in cutem, aut ſubiectam carnem effuſum, vide humorem pituitoſum in membro œdematoſo collectum, vide Melancholicum alicui membro impactum, vide Bilem ſynceram quæ è venis expurgatur, & partes carnoſas tranſgreditur vt in herpete, quæ non tantum rotunda eſt, ſed in orbem quoquouerſum rotatur, nonne in globulos coguntur? Quam pituitam excreas, nunquid ſphœricam potius dixeris quàm alterius figuræ? quæ ſi propter calorem concreta eſt, iam globulos dixeris. Guttæ ſanguinis in hæmorrhagia nonne orbiculatim fluunt, vt in phlebotomia. Ipſa etiam humorum conceptacula, cyſtis ſiue veſicula ſellea, lien & venæ magis ad rotundam, quàm ad aliam figuram accedunt. Maxima præterea humorum volubilitas, eos globo corpore omnium volubiliſſimo denotandos permittit. Bilis flaua ad cyſtim fertur, inde ad ieiunum inteſtinum; poſt ad inferiora. Melancholicus ſuccus ad lienem, à liene, nunc in portam & inteſtina per ramum ſplenicum, nunc in ſedem per hæmorrhoidas, nunc in renes per venas emulgentes, nunc in ventriculum; deinde in ventris capacitatem relabitur, tandémque cum cibi reliquiis foras defertur. Pituitoſo humori nullam natura peculiarem ſedem dedit, quaſi eum cum ſanguine ire, redire, & toto corpore per orbiculares illos tubulos rotare voluerit.

Cæterum ſuſtentatur quidem Pyramis globis illis, ſed cùm rotundi ſint, & ab iiſdem periculum ſit, parum ſtabilis eſſe videtur. Haud diſpari ratione licet humoribus quatuor vita foueatur, quia tamen ab iis ſexcenti morbi, & mors ipſa quauis hora inferri poſſit, nullo modo ſecura eſt.

I V.

H*Ic Niger.*] Globo nigro Melancholicus ſuccus connotatur, eſt enim Niger. Medicorum præcipui *μέλαινα χυμὸν ſuccum Melancholicum* vocant: non Melancholiam, quæ apud Hippocratem lib. 3. aphor. 14. & lib. de loc. & aquis, & alibi nomen eſt morbi, vt in alio Emblemate docebitur. Nihilominus tamen, quia inopes ſumus nominis, quod ſine additamento Melancholicum ſuccum ſigillatim ſignificet, nomine Melancholiæ pro illo interdum vtar. Gignitur à temperatura ſiue totius corporis, ſiue hepatis frigida ſicca, qualis eſt ætate declinante, & autumno, & ex alimentis ſimiliter frigidis & ſiccis, aliiſque omnibus ſumendis, admouendis, faciendis, educendis frigidum ſiccum, craſſumque ſuccum producentibus. Et eſt terreſtrior & fæculentior ſanguinis portio, quæ à liene attrahitur. Vinorum craſſorum fæci ſimilis eſt, vnde non mirum eſt ſi ad nigredinem vergat, & ſi Hippocrates bilem atram, quæ nihil aliud eſt quàm ſuccus ille incaleſcens & putreſcens ſimpliciter *μέλαινα* hoc eſt *Nigrum* vocat. Vt περὶ φύσ. ἀνθρ. & lib. 2. de morb. vbi ſic loquitur *μέλαιναν ἐμεῖ οἷον τρύγα. Bilem atram vomit tanquam fæcem.* Inter elementa, terra quæ grauitate præpollet plus ceteris ad nigredinem accedit, idcirco color ater à terra dicitur, optima enim quæ atra. Ita Melancholicus ſuccus, qui terra humorum dici poſſit, nigra eſt. Vt lympida & defæcata plus habent lucis: ita minus habent fæculenta, inter quæ numeratur iſte ſuccus, cuius dominium oſtendit color fuſcus, vt ait Rhazes lib. 2. ad Manſorem cap. 1. in toto corpore, ſed maximè in palpebra inferiore. Melancholicorum vt plurimum vrinæ & deiectiones fuſcæ & nigræ, vt & ſudores ſtrigili, & ſanguis ſecta vena lance exceptus. Melancholicorum ſomnia ſunt de rebus nigris, & de Dæmonibus quod ſibi nigros imaginantur. Interdum vigiles nigra ſe videre credunt, & vani timoris cauſas ſibi ipſi architectantur. Nimirum quia ex Galeno libr. 3. de locis affect. & ibid. Thoma Roderico à Veiga, & libr. 2. de cauſis ſympt. in fine: humoris Melancholici nigredo circunſepit ſubſtantiam cerebri, & ſpiritus animales infuſcat, quibus externæ ſpecies infuſcatæ, phantaſiæ cum nigredine obuerſantur. Placet Æſchylius dum triſtem, & Melancholicum animum *μελαγχίτωνα φρένα*, quaſi nigrum & pullatum dicat. Arabes vt atros Melancholicorum ſpiritus diluant & illuſtrent, clariſſimas in ſuis electariis margaritas præſcribunt, vt atris fuliginibus repreſſis ſpiritus illuminentur. Morbi à Melancholia oriundi non ſunt ſine nigredine, vt cancer qui liuidus ac nigricans, puſtulæ nigræ, varices, melas, quæ à barbaris morphæa nigra, & alij quos longum eſſet enumerare.

De quatuor humorum coloribus nigro in melancholia, albo in pituita, flauo in bile, & rubro in ſanguine, vide Auicennam lib. 1. fen. 1. doct. 4. cap. 1. Attexam hic tantum quæ habet Bern. Gordonius in Lilio Medic. part. 2. cap. 11. quod de ſcotomate & vertigine eſt, vbi inquirit horum morborum cauſam per colores rerum & vaporum animo obuerſantium. Si vapor, inquit, eſt ex ſanguine corrupto, apparent corpora rubea: & ſi ex cholera ſiue bile flaua, apparent citrina ſiue flaua, & videtur ſibi in ſomno quod volent: & ſi phlegma, apparent corpora alba, & videtur ſibi quòd ſit in aquis: & ſi Melancholia, apparent corpora nigra, & videtur ſibi quòd tranſeat per loca anguſta. Ita ille.

Ille albus.] Hoc globo albo Pituita deſignatur, eſt enim alba. Cùm aqua cui reſpondet Pituita in ſuis primordiis alba appareat, cùm ab aqua albedo emanet vt indicant gummi, quæ ſi ſoluantur candida ſunt: & proficiſcatur etiam à frigiditate vt apparet partim in niue, & in iis qui frigidas habitant regiones qui albi ſunt. Pituita quæ frigida eſt, quæque aquam refert, meritò alba eſt. Noone Pituitoſorum corpora albicant, vt & vrinæ deiectionéſque? Sudor item in linteis albus apparet. Pituitoſorum morbi albis dignoſcuntur ſignis, vt œdema qui pituitoſus eſt tumor, eſt albidi coloris. Leuce quæ à pituita viſcoſa & lenta, alba eſt. Dicitur enim à λευκὴ hoc eſt alba: ſic enim deriuat Aëtius & Galen. 3. de ſymptom. cauſis cap. 2. Idem tamen lib. 2. method. in principio dictam leucem ait à λεύκη dictione paroxytona, quæ albam populum ſignificat.

------candida populus antro
Imminet.

Virgil. eclog. 9. Vt enim in populo quædam ſunt albæ lanugines, ſic in Leuce cutis albeſcere videtur, imo & capilli, quod à Pituita eſt, vt etiam attingit diuinus Philoſophus in Timæo. Copia pituitoſi humoris anaſarcam facit: idcirco corpus anaſarca laborantis colore eſt ſubalbido.

Flauus hic.] Bilis hîc intelligenda, quæ flaua eſt. Et quæ in pituitoſis albeſcere dixi, in bilioſis flaueſcunt. Et bilioſarum ægritudinum notæ, ſæpè ſæpius à flauitie petuntur, vt in ictero, cui à flauitie gallica noſtra lingua nomen fecit, *iaunisſe* ſcilicet, qui proditur ex effuſione flaui humoris, bilioſi nimirum per ſummam cutem. Cùm flaua bilis ſit humorum ignis, debuit habere colorem ignis. Flauus autem color, color eſt ignis: vnde ex Scaligero exercit. 325. in Card. dicitur à flamma. Medici, vt notat Gal. Com. 2. in lib. 3. Epid. per bilioſa flaua intelligunt, quod cùm ita ſit, multo certè magis per flaua bilioſa intelligere licebit, maximè cum vnica ſit bilis flaua, multæ autem ſint Biles. ὡς δ' αὐτῆς εἰκάσειε χολώδη διαχωρῆσαι ἄκρατα, τουτέστιν ἤτοι ξανθὰ κατὰ τὴν χροιὰν ἢ πυῤῥά. Τὰ γὰρ ἰώδη καὶ μέλανα μετὰ τοῦ προσθεῖναι τὴν χροιὰν ἔθος ἐστὶ καὶ τούτῳ καὶ τοῖς ἄλλοις ἰατροῖς, καὶ ἡμεῖς εἰώθαμεν ἄνευ προσθήκης χολώδη διαχωρῆσαί τινα λέγειν, ἐπὶ τῇ χολῇ ξανθῇ τοιαύτῃ λέξει χρώμενοι. Τὰ δὲ τὰ ἰώδη ἢ μελαίνης, ἢ τινος ἑτέρας χολῆς οὐ λέγομεν ἁπλῶς χολώδη, προστίθεμεν δ' αὐτοῖς τὴν ἀπὸ τῆς χροιᾶς διάφορον αὐτοῖς. *Vero autem eſt ſimile eam deieciſſe bilioſa ſyncera, hoc eſt, vel flaua colare vel rufa. Nam æruginoſa & nigra adiecto colore proferre, & huic, & aliis Medicis ſolemne eſt. Et nos quoque citra adiunctionem ſolemus dicere bilioſa quendam deiicere, de flaua bile eam dictionem vſurpantes. Excrementa verò æruginoſa, vel atra, vel alterius bilis, non dicimus ſimpliciter bilioſa, verùm ipſis coloris diſcrimen addimus.* Ita Galenus loco citato.

Monitum hic velim lectorem naturalem bilem non prorſus flauam eſſe, ſed aliquantiſper à flauitie ad pallorem declinare, propter admixtionem ſeri, quo dilutam bilem naturaliter conſtitutam agnoſcit Galenus, eamque ſimpliciter bilem vocat. Alias bilis ſpecies cum adiuncto niminat, χολὴν λεκιθώδη, πρασοειδῆ ἰσατώδη, μέλαιναν, &c.

Ille Ruber.] Ruborem ſanguinis colorem eſſe nemo negarit ſine rubore: nemo tam exanguis, & excors qui hoc neſciat. Rubeus ille color ſanguinis ab hepatis parenchymate eſt, quemadmodum albedo chyli & lactis ab albo colore ſunt, illa ventriculi, hæc mammarum glandulis. Cùm enim caro illa ſanguinis concreti ſimilitudinem referat, vi propria & inſita facultate ruborem ſanguini præſtat. Quod vt melius perficiatur, quàm plurimi ſunt tenuium venarum plexus, totum illud parenchyma perertantes, per quas ſanguis tranſmeando ruborem acquirit.

In ſanguineis ea rubere ſcius, quæ in phlegmaticis albeſcunt. Princeps Arabum Auicenna loco ſupra citato, copiam ſanguinis colore rubicundo denotari ſcribit; quod interpretandum de rubicundo ſaturato & fuſco, qualis in eorum facie apparet, qui vino generoſiore plus ſatis ſe ingurgitant, quique

Capparin, & putri cepas halece natantes,
Et pulpam dubio de petaſone vorant.

Morbum qui à ſanguine fit rubore cognoſci apparet in oculo. Si ſanguis in humorem albugineum, vel in tunicam corneam influit, omnia obiecta ruborem mentiuntur,

Et Mæotica nix minio iam certat Ibero.

Propertius lib. 2. nihil tam candidum, quod non rubrum videatur: ſi bile flaua, omnia flaua: ſi melancholia; omnia nigra. Si ophthalmia fit à ſanguine, venæ intumeſcunt, & totus oculus & facies rubore inficiuntur; quemadmodum ſi à pituita, albedine; ſi à bile, colore luteolo; ſi à melancholia, omnia nigredine infecta videntur.

V.

P*Lena baſis Luna eſt.*] Per Lunam vita humana intelligenda; certè D. Baſilius in Exaemero homil. 6. Lunam ita accipit. Nam

Vt nunc pleno lucida cornu
Totis fratris obuia flammis
Condit ſtellas Luna minores.
Nunc obſcuro pallida cornu
Phœbo propior lumina perdit.

vt ſcribit Boëtius lib.1. Ita vita mutatur, & nos cum ea. Omnibus nobis vt res dant ſeſe,ita magni atque humiles ſumus,ait Terentius in Hecyra. D. Ambroſius Hexaem.lib.4. cap.8. Vnde,inquit,ſi miraris quomodo defectum Luna patiatur,cùm tantam vim mutationis habeat ſuæ; conſidera & in eo magnum eſſe myſterium, quod eius exemplo cognoſcis, ô homo, nihil rerum humanarum eſſe poſſe,& mundanæ totius creaturæ, quod non aliquando reſoluatur.

Luna vitæ præeſt. Nec dubium eſt, ſcribit Macrob. lib.1. in ſomn. Scipion. cap.11. quin Luna ſit mortalium corporum & auctor & conditrix: adeo vt nonnulla corpora ſub luminis eius acceſſu patiantur augmenta,& hac decreſcente minuantur. Hæc verba Macrobij,cum his Galeni lib.3. de diebus decretoriis cap.2. maximè conſentiunt: *μεγάλα τὰ ἔργα περὶ τ̃ ἐν τῷδ' ἴσιαι*, *Magna ſunt*, loquitur de luna, *in hac inferiora vires*. Tantum in vitam poteſtatis habet, vt Aſtrologi, & Medici nonnulli criticorum dierum cauſam ad eam retulerint. Quia plenam Lunam vitæ præeſſe credebant antiqui, idcirco tunc potius, quàm incipiente Luna aut deſinente nuptiæ fieri ſolebant, per quas actio progignendi liberos incoatur. Pindarus Iſthmiorum Od. 8.

> —— ἐν διχομηνίδεσι
> δὲ ἑσπέραις ἐρατὸν
> λύοιμεν χαλινὸν
> ὑφ' ἥρωι παρθενίας.

Veſpera pleniluni amabile ſoluat frænum virginitatis. Et apud Euripidem in Iphigenia in Aulide, Agamennon rogatus ab vxore Clytemneſtra quando filiæ ſuæ nuptias vellet celebrari,reſpondet his verbis:

> Οταν σελήνης ἐυτυχὴς ἔλθοι κύκλος.

Quemadmodum Papinius Lunam noctis moderatricem vocat, ita Macrobius cap.19. libri proximè citati, eandem vitæ moderatricem nominat: Certè quod in nocte Luna eſt,hoc in hac mortalitate vita eſt. Luna igitur vitam ſignificat,& plena Luna,naſcentis vitam,quæ plena & integra eſt. Panſelina enim ſiue plenilunium grauiditatem,partúmque afferre,& ab Ægyptiis naſcenti homini præeſſe creditur. Macrob. lib.1.Satur.cap.19.& Tullius 2. de diuinit. Vbi enim plena Luna eſt excalfactorias habet vires, vt ſcribit Philoſophus lib. 4. de partib. animal. cap.5. Plutarchus probl. Rom. Ex antiquo Poëta Lunam, ait, celerem partum præſtare. Nam plenilunio facilè partu leuari mulieres videntur. Hoc eſt quod Luna *λοχεία* dicta eſt ab Orpheo, & aliis, id eſt, parturientium fautrix, facilior enim pleniluniis eſt partus,ait Budæus in ſuo lexico,& *εὔλοχος* ab Euripide. Et Plutarchus Sympoſ.lib.3. probl. vltimo, Lunam à Timotheo quodam cuius & verſus habet *ὠκυτόκον* oſtendit appellatam eſſe, hoc eſt vtilem ad partus accelerandos. Et Ilithyiam *παρὰ τὸ ἐλεύθειν* à *veniendo* quòd venientibus in lucem præſit. Lucinam illam toties à parturientibus antiquis inuocatam, & à Poëtis decantatam, vt ab Ouidio in faſtis;

> *Gratia Lucina dedit hæc tibi nomina lucus,*
> *Aut quia principium tu dea lucis habes.*
> *Parce precor grauidis facilis Lucina puellis,*
> *Maturúmque vtero molliter aufer onus.*

non aliam cenſet M. Varro, quàm Lunam. Catullus cùm in carmine ſæculari ita loquitur,

> *Diana ſumus in fide*
> *Puellæ, & pueri integri:*
> *Dianam pueri integri,*
> *Puellæq; canamus.*

Dianæ nomine Lucinam, ſiue Lunam partuum præſidem & arbitram intelligit, vt ex ſequentibus conſtat verſibus.

> *Tu Lucina dolentibus,*
> *Iuno dicta puerperis:*
> *Tu potens Triuia, & notho es*
> *Dicta lumine Luna.*

In his carminibus pueri dicuntur integri, non tantum quia illibati in ætate tenella, ſed etiam quia integra eſt eorum vita, cuius nulla vel exiguiſſima pars detracta eſt. Hoc enim maximè nomine pueri plenæ Lunæ, cuius lumen eſt integrum ſubiiciuntur.

Luna cùm plena eſt,maiorem humectandi calefaciendíque vim habet ex Ariſtotele. Et ex Hippocrate, in pueris plus eſt calidi innati, & plus humidi primigenij: & nulla ætas ſubſequens arte Medica, & exquiſita viuendi lege, par in primo ortu accepto calido innato, & humido primigenio habere poteſt, alioqui humana vita in infinitas annorum myriadas extendi poſſet. Senſim capiunt illa in homine, aliiſque animalibus detrimentum, non aliter ac Luna quæ ſenſim minuitur. Horat. libr. 2. carm. Od. 18.

> —— *pergunt interire Lunæ.*

Baſis Pyramidis quæ latiſſima pars,& à qua ad cacumen plus ſpatij eſt, vitam naſcentium notat, quorum vita maior & longior ſupereſt,quàm eorum qui iampridem nati. Rectè igitur plena Luna in baſi

ſita eſt, quæ pars pleniot Pyramidis, quandoquidem his vita plena ſignificatur. Ex quibus colligere
eſt, non abſque cauſa comparatum à Miſoponero numero 11. Vitæ vultum, Lunæ plenum os extra
nubem proferenti.

Et coni Luna ſeneſcens.] Coni Luna ea eſt quæ eſt in Pyramidis acumine: apex enim rerum turbinaratum, & quæ in acutum deſinnnr, conus dicitur: vt κῶνος acerui ſpicarum in areis apud Galenum noſtrum in Lexico Hippocratis, conus turbinis,

Quem celer aſſueta verſat ab arte puer.

vt ait Tibullus. Conus nucis pineæ, & Conus galeæ centies apud Poëtas.
Carolus Lotharenus Cardinalis pro ſtemmare habebat hederam, quæ altam Pyramidem, in cuius apice bicornis luna erat, complectebatur, cum hoc hemiſtichio, TE STANTE VIREBO. Et Carolus II. tres Lunas habuit corniculatas contraria ſignificatione; illis enim incrementum futurum intelligebat. Hic corniculata Luna, prætetitum decrementum ſignificatur.

Lunam ſeneſcere dicit Plinius, & ab Ægyptiis ſenectutem in Luna admiſſam, quos ait, Lunæ ſenio annum terminaſſe lib. 7. cap. 48. Luna, ait Annianus apud Gellium lib. vltim. cap. 7. ſeneſcit. Ea rẽ oſtrea ſicut alia quædam tenuia exuctàque ſunt. Ibidem Gellius Lunam ſcribit adoleſcere. Et Tullius lib. 2. de diuinir. arbores ſcribit cum Luna ſimul ſeneſcere. Cum igitur ſuæ ætates Lunæ ſint, plena Luna in latiori parte Pyramidis, qua vitæ principium notatur, non malè poſita eſt: Nec etiam malè in Pyramidis acumine Luna falcata & bicornis ad ſenectutem accedens, qua vitæ ſenectus ſignificatur. Plutarchus lib. de Lunæ maculis, & lib. de Socrat. dæmon. Parcas Lunæ adiungit, & Lunam dare & rapere ſcribit, iungere & diſiungere. Dat ſcilicet in generatione, & iungit; rapit & diſiungit in morte, animam corpori, quemadmodum oſtrea conchis ſubtrahens.

Luna diſpenſationibus hebdomadum, vt ſcribit Macrob. lib. 1. Somn. Scip. cap. 6. & menſtrua experientia conſtat, luminis ſui vices ſempiterna lege variando diſponit. Primis enim ſeptem vſque ad medietatem velut diuiſi orbis excreſcit, & διχότομος tunc vocatur: ſecundis, orbem totum renaſcentes ignes colligendo iam complet, & plena tunc dicitur: tertiis, διχότομος rurſus efficitur, cùm ad medietatem decreſcendo contrahitur: quartis, vltima luminis ſui diminutione tenuatur. Septem quoque permutationibus, quas φάσεις vocant Græci, toto menſe diſtinguitur, cùm naſcitur, cùm fit διχότομος, & cùm fit ἀμφίκυρτος, cùm plena & rurſus ἀμφίκυρτος, ac denuo διχότομος, & cùm ad nos luminis vniuerſitate priuatur. Ἀμφίκυρτος eſt autem cùm ſupra diametrum dichotomi eſt, antequam orbis concluſione cingatur: vel de orbe iam minuens inter medietatem ac plenitudinem inſuper mediam luminis curuat eminentiam. Sic iuueneſcit, & ſic ſeneſcit Luna.

Lumine Phœbæo deficiente perit.] Quia Luna à Sole lumen ſuum mutuatur, quod peculiare ei eſſe vult noſter Auicenna: pro vt enim plus aut minus eam Sol illuſtrat, plus aut minus ſplendet. Cùm ſoli ex diametro obiecta quoquouerſum iubar ſuſcipit, plena eſt; acceſſu deinde ad ſolem minus ſplendoris recipiens, de ſuo lumine amittit, minùſque rotundatur. Demum congreſſum cum ſole iniens irradiari non poteſt. Et hæc cauſa eſt, cur interdum Luna non apparet. Lucretius lib. 5. de rerum natura.

Luna poteſt Solis radiis percuſſa nitere,
Inque dies maius lumen conuertere nobis
Ad ſpeciem, quantum Solis ſecedit ab orbe,
Donicum eum contra pleno benè lumine fulſit,
Atque oriens obitus eius ſuper edita vidit:
Inde minutatim retro quaſi condere lumen
Debet item, quanto propius iam Solis ad ignem
Labitur ex alia ſignorum parte per orbem.

VI.

VIta hominis fulitur, &c.] Galenus lib. 2. de elect. cap. 1. humores proxima animalium ſanguine præditorum elementa nominat; & diuinus ſenex, ipſam humani corporis naturam. Nam ex humoribus corpus humanum proximè gignitur & nutritur. Præterea ab humorum ſymmetria, ſanitas: ab eorundem ametria morbi profluunt. Quod ſcriptis reſtatur fragmentum quoddam Galeno attributum in lib. de humor. vbi aphoriſm. 2. ſect. 2. lib. 6. Epidem. exponit, his verbis: Χρὴ γὰρ ἀκριβῶς εἶναι κεκραμμένους ποιότητι, καὶ ἴσους ποσότητι τοὺς χυμοὺς ἵνα ὑγεία τε διαμένῃ, καὶ μὴ οὖσα ἐπανέλθοι: *Humores enim qualitate temperatos & quantitate æquatos eſſe oportet, vt præſens ſanitas perſiſtat, atque abſens redeat.* Correſpondent quatuor elementis mundi, humores quatuor noſtri corporis, & ſinguli humores ex ſingulorum qualitatibus elementorum conſtant. Ex quibus liquidò innoteſcit, hominis vitam quatuor humoribus inniti, quemadmodum innititur mundi ordo & harmonia, quatuor elementis. Cùm microcoſmus ſit homo, ſua vt megalocoſmus debuit habere elementa, quæ non ſunt alia quàm quæ in ſequentibus numerantur.

Sanguine.] Rectè ſanguis ante reliquos humores poſitus eſt; quantitate enim & qualitate cæteris humoribus præſtat.

Optima chyli portio à ventriculo,tenuibúſque inteſtinis attracta & præparata,ad portæ truncum, & hinc ad trunci radices per iecoris ſubſtantiam numeroſa ſerie ſparſas defertur, ibique elaboratur, & innata hepatis proprietate in ſanguinem tranſmutatur: qui aut per diapedeſin aut anaſtomoſin in venæ cauæ radices primùm attrahitur; deinde in eius truncum,randémque per ramos in totum corpus, ſinguláſque partes diſtribuitur nutritionis cauſa, vt alimentum elaboratum toti commune. Et id eſt quod ſanguinem appellamus: Hoc quidem diſcrimine à cæteris humoribus, quòd è venis ſiue foras,ſiue in ventrem, ſiue in veſicam, ſiue in vterum, ſiue in inteſtina, ſiue in thoracis ſpatium, ſiue in aliam denique capacitatem excidat, concreſcit in grumum propter fibras quas habet, quod cæterorum humorum nulli eſt conceſſum.

Omnium certè humorum mitiſſimus & ad naturæ opera factus ſanguis eſt, vt qui vitæ noſtræ fomes ſit, & alimoniæ noſtræ conſentanea perenniſque materia,mitiſſimiſque donetur qualitatibus, quibus naturæ maximè gratus ſit,calorem temperatum,humiditatem parem,dulcedinem inſignem, & permeabilem in omnem ſubſtantiam, in vias & ductus quantumlibet anguſtos, faciléque ſe naturæ præbeat obſequentem. Vnde iure merito ab Iſaac Iſraëlita lib.febr.partic.5.cap.5.naturæ filius dictus ſit. Quàm benè Iſaac ille,tam malè Empedocles & Critias dixerunt, qui meditati quantum ſanguis vitæ conduceret,arbitrati ſunt,ille quidem ſolum ſanguinem animam eſſe, iſte vna cum humore coniunctum.

Cæterùm quantum ſanguine vita ſuſtentetur hinc conſtat,quòd ex eo ſpiritus progenerentur; & quia imprimis calorem natium fouet, quo deficiente deficiunt omnia & animal extinguitur, quandoquidem vita in calido & humido conſiſtit.

Phlegmate.] Qui humor à Latinis omnibus pituita dicitur, ab omnibus Græcis, ſi vnum Prodicum excipias, Phlegma nominatur. Eſt humor alimentarius, & in ſanguinis maſſa portio crudior, quæ ſanguis ex dimidio coctus vocari ſolet, ac per venas in totū corpus diſtribuitur, vt partes frigidiores humidioréſque,vti eſt cerebrum, alat. Per ſe ſeparatim frigida & humida eſt, colore alba, expers ſaporis, ſed ſi à calore naturali nonnihil alteretur, dulcis aliquo modo redditur. Gignitur Phlegma ex apta chyli portione in iecinore & venis,quod teſtatur Gal.2.de facult.natur. non autem in ventriculo, vt apparet in pueris in vtero, qui licet nihil in ventre habeant, pituitam tamen generant. Nullum Phlegmati proprium receptaculum natura aſſignauit, vt reliquis humoribus, ſed in venis & habitu corporis eam reliquit, quia eſt alimentum ex dimidio coctum, debétque non ſecerni & euacuari, ſed alterari, & calore mediocriter in ſanguinem conuerti.

Bile, quæ gemina eſt.] Bilis ſcilicet ſimpliciter dicta,& Bilis atra,ſiue potius ater ſuccus. Bilis enim ſine adiectione ſemper apud Hippocratem de flaua, & pallida intelligenda, nunquam de nigra. Gal. Comment. ad Aphor. 32. lib. 7. Τὸ μὲν χολῶδες ἀεὶ ὀξείας ἐργάζεται νόσους. εἴρηται γὰρ ἡμῖν ὅτι τὸ πικρόχολον χυμὸν οὕτως ὀνομάζειν ἔθος ἐστὶ τοῖς παλαιοῖς ἰατροῖς, ὡς τόν γε μελαγχολικὸν ἀεὶ μετὰ προσθήκης λέγουσιν, οὐχ ἁπλῶς χολὴν ὡς τὴν ξανθὴν, ἀλλὰ μέλαιναν χολήν. *Bilis quidem ſemper acutorum morborum cauſa eſt. Dictum namque à nobis eſt, quòd Bilioſum humorem hoc nomine veteres Medici donare conſueuerunt, non ſecus ac melancholicum humorem ſemper cum addito, non ſimpliciter Bilem, velut flauam, ſed atram Bilem proferunt.* Bilis ſimpliciter dicta, eſt humor ex calidiſſima & ſubtiliſſima chyli portione, vnde naturæ igneæ eſt, ſubſtantiæ tenuiſſimæ, ac per ſe ſaporis amari, coloris flaui, niſi ſeroſo humore permiſceatur, à quo pallida efficitur. Sicut ex vino recens expreſſo, ſed adhuc feruente & deſpumante in doliis duo excrementa per alterationem illam caloris beneficio ſeparantur, vnum leuius & magis aëreum quod florem; alterum grauius & terreum magis, quod fæcem nominant. Ita ex cibis duo humorum genera in hepate promanant, Bilis flaua, tenuis: & Bilis atra, craſſior. Neque verò quidquid huius naturalis Bilis in nobis eſt, id ab alimentis ſolis eſſe putandum eſt, ſed ab hepatis etiam calore. Bilis portio vtiliſſima in iecore cum ſanguine permiſcetur, vt cum eo membra calidiora alat, humoréſque gelidos calefaciat & attenuet. Reſiduum ad cyſtim ſiue folliculum felleum, ac tandem ad duodenum relegatur, excretionis adiuuandæ gratia, & vt inteſtina à craſſis & viſcoſis humoribus repurget.

Melancholia verò naturalis, ſiue μελαγχολικὸς χυμὸς in iecore cum aliis,humoribus fæci vinorum craſſorum proportione reſpondens, veluti per reſidentiam progignitur ex maximè terreſtri chyli portione. Eius pars vtiliſſima & benigniſſima cum ſanguine miſcetur, & per venas diſtribuitur, ad corporis nutritionem: imprimis verò partium craſſarum, ſiccarum, frigidarum. Superuacanea verò & inutiliſſima, quæ acerba magis & acida eſt, ad lienem propriam ſedem præcipuè relegatur. Portio verò ad ventriculum mittitur, vt eum conſtringendo famem excitet. Et vt iecur & ſanguis à redundanti melancholia expurgetur, inſeruit lien: quare ſi lien minus quàm oportet, ad ſe trahat, corpus humore melancholico reſtagnabit, vnde decolor erit. Attrahit autem lien melancholiam, vt ea mutata & confecta perfruatur; & quod in eo redundat per ventrem naturaliter expurgatur.

Et ſenſim deſinit in nihilum.] Vt Pyramis ſenſim à baſi minuitur, tandémque in acumine finitur: ita cenſendum de vita, quæ à natiuitate paulatim conſumitur, tandémque extinguitur. Noſtra mehercule

hercule vita, licet ſupra mille annos exeat, in arctiſſimo contrahetur, ait Seneca lib. de breuitat. vitæ. Et epiſt. 58. Nemo idem eſt in ſenectute, qui fuit iuuenis; nemo eſt mane qui fuit pridie. Imo & addam iſtud de meo. Nemo noſtrum idem eſt hora ſecunda qui fuit prima, nemo tertia qui fuit ſecunda. Quin & hoc amplius: Nemo eſt momento quarto qui fuit tertio, nemo ſecundo qui fuit primo. Nimirum quia arctioris eſt vitæ, qui attigit momentum quartum, quàm eſſet in momento tertio, & in ſecundo quàm eſſet in primo.

V I I.

N*Vllus in humanis tenor eſt.*] Philo Iudæus lib. de mundi opific. *ἐδὲν τῶν ἐν γενέσει βέβαιον, τροπὰς καὶ μεταβολὰς ἀναγκαίας τὰ θνητὰ δέχεται. Nihil in rerum natura ſtabile eſt: mutatationes viciſſitudineſque neceſſarias humana res habent.* Phryx ille fabulator quærenti apud Stobæum ſerm. 103. quid dij facerent, ſapienter reſpondit, eos alia ſtruere, alia diruere. Omne humanum genus, ait Seneca epiſt. 72. quodcumque eſt, quodcumque erit, morte damnatum eſt. Omnes quæ vſquequaque ponuntur vrbes, vbi fuerunt, aliquando quærentur, & vario excidij genere tollentur. Alias deſtruunt bella, alias deſidia paxque ad inertiam verſa conſumit, & magnis opibus exitioſa res luxus. Quæcumque videmus ac tangimus fluunt, eunt, & aſſidua diminutione ſunt. D. Auguſt. in hæc verba Pſal. 109. *De torrente in via.* Sicut torrens, inquit, pluuialibus aquis colligitur, redundat, perſtrepit, currit, & currendo decurrit, id eſt, curſum finit: Sic eſt omnis iſte curſus mortalitatis, naſcuntur homines, moriuntur, & aliis morientibus, alij naſcuntur, ſuccedunt, accedunt, decedunt, nec hic manebunt; quid hic tenetur? quid non decurrit? quid non quaſi de pluuia collectum it in abyſſum? Eucherius ad Valerianum: Velut, inquit, ex alto vndarum iactus aliis, atque aliis ſuperuenientibus, in littoris extrema frangitur: ita in terminum mortis ſuccidux alliduntur ætates. Theagenes apud Heliodorum lib. 5. ἐπεὶ δὲ, inquit, ἀστάθμητόν τι τὸ ἀνθρώπειον καὶ ἄλλοτε πρὸς ἄλλα φερόμενον. *Atqui cùm humanarum rerum ratio ſit inſtabilis, & aliàs aliò inclinet.*

Τὰ θνητὰ πάντα μεταβολὰς πολλὰς ἔχει.

Mutantur humana vario modo omnia.

Et inter humana homo maximè mutatur. Totus homo, ſcribit Tertulianus lib. de reſurrect. carnis, in hoc æuo multifariam demutatur, & habitu, & corpulentia, & valetudine, & conditione, & dignitate, & ætate, ſtudio, negocio, artificio, facultatibus, ſedibus, legibus, & moribus. D. Ambroſius Hexaem. lib. 3. cap. 7. Omnis caro fœnum. Et verè. Viret enim & gloria hominis in carne quaſi fœnum: & quæ putatur eſſe ſublimis, exigua quaſi herba eſt, præmatura vt flos, caduca quaſi fœnum; germinat vitæ viriditatem in ſpecie, non in fructu ſoliditatem: hilarioris vitæ quaſi flos prætendens iucunditatem, breuiori ſpatio occaſura, ſicut herba fœni, quod priuſquam euellatur areſcit. Quæ enim firmitudo in carne, quæ ſalubritas poteſt eſſe diuturna? Hodiè videas adoleſcentem validum, pubeſcentis ætatis virtute florentem, grata ſpecie, ſuaui colore: craſtina die tibi facie & ore mutatus occurrit: & qui pridie tibi lautiſſimus decoræ formæ viſus eſt gratia, alio die miſerandus apparet, ægritudinis alicuius infirmitate reſolutus. Pleroſque aut labor frangit, aut inopia macerat, aut cruditas vexat, aut vina corrumpunt, aut ſenectus debilitat, aut enuratos deliciæ reddunt, luxuria decolorat. Nonne verum eſt quia aruit fœnum, & flos decidit? Alius abauis atauiſque nobilis, & maiorum honeſtatus inſulis, proſapiæ veteris clarus inſignibus, amicis abundans, ſtipatus clientibus, & vtrumque latus tectus, ſecum producens maximam & reducens familiam repentè aliqua accidentis periculi mole turbatus, deſtituitur ab omnibus, à ſodalibus derelinquitur, impugnatur à proximis. Ecce verum eſt, quia ſicut fœnum vita hominis, priuſquàm euellatur, areſcit. Eſt etiam qui dudum vbertate affluens copiarum, liberalitatis fama per ora volitans, ſingulorum clarus honoribus, præminens poteſtatibus, tribunalibus celſus, ſolio ſublimis, beatus, populis æſtimatus dum præconum clamore deducitur, ſubita rerum conuerſione, in eum carcerem rapitur, qui alios ipſe detrulerat, & inter reos ſuos imminentis pœnæ defleت ærumnam. Quantos pridie caterua plaudentiũ, & inuidioſa fauentis populi frequens domum pompa deduxit, & nox vna glorioſæ illum ſplendorem deductionis aboleuit, & repentinus lateris dolor effuſis gaudiis luctuoſam grauis ſucceſſionem mœroris admiſcuit. Huiuſmodi igitur eſt gloria hominis, ſicut flos fœni. Quæ etiam cùm deſerit, nihil operibus adiungit, in qua nullus fructus acquiritur, & cùm amittitur euaneſcit, omnem ſcenam hominis, & quam deſuper obumbrabat repente deſtituens, & quam intus animabat.

Itaque nec in homine, nec in humanis tenor vllus eſt.

Pupulus.] Catulli dictio puerulum ſignificans, diminutiuum eſt pupi, qui à puero dicitur. Varro lactis ſugentem poſcere Pupum.

Poſt Pubens, &c.] Vt apud Horat. lib. 2. Od. 18.

Truditur dies die.

ita annus truditur anno, & ætas ætate. Seneca epiſt. 70. Prænauigamus vitam, & quemadmodum in mari, vt ait Virgilius noſter,

—terraq; vrbeſq; recedunt;

Sic

Sic in hoc curſu rapidiſſimi temporis primùm pueritiam abſcondimus, deinde adoleſcentiam, deinde quicquid eſt illud inter iuuenem & ſenem medium, in vtriuſque confinio poſitum: deinde ipſius ſenectutis optimos annos, nouiſſimè incipit oſtendi publicus finis generis humani.

De ætatum hominis numero & terminis, multa multi auctores. Vide Gueuaram in epiſtola ad Alphonſum d'Aualos, Iſidor. lib. 11. Cenſorin. cap. 14. & Varronem. Medici ſecus diuidunt quàm Iuriſconſulti quos adi ad L. ſi infanti C. de iur. delib. Tu Medice adi Hippocratem, Galenum, Feruelium quibus cum Auctor in quinque ætates præcipuas vitam partitur. Prima, eſt pueritia, quæ decimum quartum ætatis annum attingit, dicente Galeno tertio Aphoriſmorum vigeſimo ſeptimo his verbis: Incipiunt quidem pubeſcere poſt annum quartum decimum. Illud tamen omnes, qui in hunc locum inciderint, admonitos velim: nunquam vnum exquiſitè terminum ætatis alicuius præfiniri poſſe. Sed cum ab autore dicitur, Incipit pubertas quarto decimo anno; vt plurimùm intelligi oportere, quaſi illud quod multis contingit, ac ſi contingeret cunctis, loco exempli dictum ſit; quare fortaſſe meliùs diceretur, Pueritia circa quartum decimum annum finitur: quia tanquam medium quoddam, id tempus eſt, ſupra quod non multum aſcendat, neque infra multum conſiſtat; quod dilucidè docuit Galenus in eodem loco hæc addens verba: Neque enim eſt omnibus vnus exactus terminus pubertatis, propter calorem & frigus temperamenti; calidi enim citiùs, frigidi verò tardiùs pubeſcunt. Secunda ætas eſt pubertas, quæ (vt dixi) quarto decimo incipiens, ad vigeſimum quintum prorogatur. Proinde Hippocrates quinto Aphoriſmorum ſeptimo, ita habet: Quibuſcumque morbi comitiales fiunt ante pubertatem, mutationem accipiunt: quibuſcumque autem vigeſimo quinto, commoriuntur; primum terminum vltra pubertatem vigeſimum quintum conſtituit. Tertia ætas eſt, quæ iuuentus dicitur, aut ætas florens, quæ à vigeſimo quinto incipiens, ad trigeſimum quintum prorogatur; tertio libro Prognoſtici ita habet Hippocrates: Magis expectari ſanguinis oportet eruptionem in minoribus natu quintum & trigeſimum annum habentibus: in maioribus verò natu ſupputationem. Rurſus in eodem libro: Quemadmodum (inquit) in minoribus natu, quam trigeſimum agentibus annum abſceſſus conſiſtunt: ita quartanæ potius annum agentibus trigeſimum. In his locis duplicem terminum ſcripſit iuuentutis, trigeſimum, & trigeſimum quintum: quia, vt diximus non omnes eodem tempore pubeſcere, ita non omnes eodem tempore conſiſtunt. Quod ita enarrat Galenus in commentario: Ob id igitur Hippocrates quandoque trigeſimum commemorat, quandoque trigeſimum quintum, vt paulò antè; nam eo quòd aliæ aliis accidant mutationes, fieri non poteſt, vt vna communis regula ex omnibus finiatur. Hæc ille. Nos intelligimus, eâdem ratione, eos qui trigeſimo cœpêre conſiſtere, circa vigeſimum cœpiſſe vigere: quamquam alij hac ætate pubeſcant: niſi fortè victus vitio factum eſt nuper, vt maturiùs ad frigidius permutetur. Quarta eſt ætas conſiſtendi: quæ, vt inquit Galenus libro primo Aphoriſmorum decimo tertio, inter iuuentutem & ſenectutem conſtituta eſt: pertingit ferè quinquageſimum annum. Reliqua ſunt ſenectutis. Aliqui ad quatuor ætates quinque iſtas reducunt: & aliqui in quinis denas inuenerunt. Ita ſapiens ille Solon apud Cenſorinum de natali die cap. 14. dicebat in prima hebdomade dentes homini cadere, in ſecunda pubem apparere, in tertia barbam naſci, in quarta vires, in quinta maturitatem ad ſtirpem relinquendam, in ſexta cupiditatibus temperari, in ſeptima prudentiam, linguámque conſummari, in octaua eadem manere, in qua alij dixerunt oculos albeſcere, in nona omnia fieri languidiora, in decima hominem fieri morti maturum. Huius legiſlatoris elegiaci verſus leguntur apud Clem. Alexand. Stromat. lib. 6. & apud Philonem lib. 1. de mundi opificio

Παῖς μὲν ἄνηβος ἐὼν ἔτι νήπιος ἕρκος ὀδόντων
Φύσας ἐκβάλλει πρῶτον ἐν ἕπτα ἔτεσιν.
Τοὺς δ' ἑτέρους ὅτε δὴ τελέσει θεὸς ἕπτ' ἐνιαυτούς,
Ἥβης ἐκφαίνει σήματα γιγνομένης.
Τῇ τριτάτῃ δὲ γένειον ἀεξομένων ἔτι γυίων
Λαχνοῦται χροιῆς ἄνθος ἀμειβομένης.
Τῇ δὲ τετάρτῃ πᾶς ἐν ἑβδομάδεσσιν ἄριστος
Ἰσχύν, οἵτ' ἄνδρες σήματ' ἔχουσ' ἀρετῆς.
Πέμπτῃ δ' ὥραιον ἄνδρα μεμνημένον ἂρ γάμου εἶναι,
Καὶ παίδων ζητεῖν εἰσοπίσω γενεήν.
Τῇ δ' ἕκτῃ περὶ πάντα καταρτύεται νόος ἀνδρός,
Οὐδ' ἔρδειν ἔθ' ὁμῶς ἔργ' ἀπάλαμνα θέλει.
Ἑπτὰ δὲ νοῦν καὶ γλῶσσαν ἐν ἑβδομάσι μέγ' ἄριστος,
Ὀκτὼ δ' ἀμφότερα τέσσαρα καὶ δέκ' ἔτη.
Τῇ δ' ἐνάτῃ ἔτι μὲν δύναται, μαλακώτερα δ' αὐτοῦ
Πρὸς μεγάλην ἀρετὴν γλῶσσά τε καὶ σοφίη.
Τῇ δεκάτῃ δ' εἴ τις τελέσας κατὰ μέτρον ἵκοιτο
Οὐκ ἂν ἄωρος ἐὼν μοῖραν ἔχοι θανάτου.

Puer impubis adhuc infans ſeptum dentium producit ſeptem primis annis. Poſtquam verò alios ſeptem ei conceſſerit annos, pubis indicia generationi apta aparent. Aetate tertia mento, augeſcentibus iam membris, increſcit mutabilis

tabilis coloris lanugo. Quarto ſeptenario quiſque praſtantiſsimus eſt robore, ipſique viri ſigna virtutis edunt. Quintus maturum tam virum nuptias moliri ſuadet, & liberorum ſuſcipere poſteritatem. Sexto, in omnia hominis animus inceditur, & vilia perficere amplius opera recuſat. Septimo ſeptenario intelligentia, & lingua fiet optimus, & octauo, coniunctis illis totis annis quatuordecim. Nono adhuc aliquid poteſt, verùm remiſsior eſt ipſius ad virtutes præclaras tam eloquentia, quàm ſapientia. Decimum tandem ſi quis moderatè contigerit ſeptenarium, iam non immaturus mortis fatum ſubeat.

D. Ambroſius lib. 6. epiſt. 39. ad Horontianum cum Solone, & Hippocrate noſtro vitam partitur. Celebretur, inquit, hebdomas, eò quòd per ſeptem ætatum curſus vita hominum vſque ad ſenectutem tranſcurritur, ſicut Hippocrates Medicinæ magiſter ſcriptis explicuit ſuis. Prima ætas infantia eſt, ſecunda pueritia, tertia adoleſcentia, quarta iuuentus, quinta virilis ætas, ſexta æui maturitas, ſeptima ſenectus. Eſt ergo infans, puer, adoleſcens, iuuenis, vir veteranus, ſenex. Solon autem decem fecit ætatum ordines per annos ſeptenos, ita vt prima ætas infantiæ vſque ad emiſſionem ſit dentium, quibus conficiat cibum, ſermonémque diſtinguat, vt poſſit effabilis videri. Pueritia quoque vſque ad annos pubertatis procedit, & genitalia tentamenta. Adoleſcentia vſque ad barbæ lanuginem. Iuuenta vſque ad perfectæ virtutis proceſſum. Quinta ætas virilis eſt, apta copulis coniugalibus per totam hebdomadam. Sexta quoque hebdomas virili deputatur ætati, & ad prudentiæ proceſſum habili, & ad agendum ſtrenuè. Septima quoque hebdomas, & octaua æui maturum, & ſenſum vigentem, & ſermonem non inſuauis alloquij gratia præditum produnt. Nona hebdomas reliquias adhuc habet aliquas virium, lingua ac ſapientia mollior. Decima verò hebdomas menſuram implet, ad quam is qui peruenire potuerit, non immaturo temporum curſu pulſabit mortis ſera veſtibula.

VBI VITA, IBI MORS.

E M B L E M A III.



Sideribus lampas dependet ferrea filo,
Quod tenuis filum vincat araneoli.
Cincta ſedo[1] virgo, viridi ſuccincta theriſtro[2],
Luceat vt lychnus ſufficit inde oleum.
Subtrahit hinc vetula exſucca, oſſea, pallida, lippa,
Gibboſa & ſenio, lychnus vt intereat.
Hinc vita, illinc mors; rapit iſta, quod illa reponit;
Vita principium eſt principium interitus.

1 Sempervivum herba.

Hieroglyphica.

TERRA, hieroglyphicum, *HOMINIS.* numero I.
FILVM, hieroglyph. *DISCRIMINIS, REI VILIS* & *MINIMAE.* num. IV.
ARANEA TELA, hieroglyph. *REI VANAE,* & *INANIS.* num. V.
ARANEVS, hieroglyph. *MATHEMATICI.* num. eod.
VIRGO, hieroglyph. *VITAE.* num. VI.
FLOS, hieroglyph. *VIRGINITATIS,* & *VITAE.* num eod.
SEMPERVIVVM, & AMARANTHVS, hierogl. *VITAE.* num. VII.
VIROR, hieroglyph. *VITAE.* num. VIII.
LYCHNVS, hieroglyph. *HOMINIS.* num. IX.
LVX, hieroglyph. *VITAE.* eod. num.
VMBRA, hieroglyph. *MORTIS.* eod. num,
OLEVM, hieroglyph. *HVMIDI RADICALIS.* num. X.
VETVLA, hieroglyph. *MORTIS.* num. XI.

I.

TRANSLATVM hoc Emblema ex Miſoponero, vbi numero 10. his verbis vita & mors deſcribuntur. Lychnum ex nube ſubtiliſſimo filo penſilem, quod vel æmulas Apellis, & Protogenis lineas tenuitate ſuperare iurès, antiquior iuxtà, ac perfectior penicillus expinxit. Virgo etiam viuida eſt, amarantho coronata, Mineruæ Lemniæ fronte conſpicua, oculis vegetis ac tacitè blandidicis Amulianæ ſimilis, malis Caſſandræ Delphicæ miniatis non inferior, colore veſtium herbeſcens ſolum referens, & totius hilaritate vultus par Lunæ plenum os extra nubem proferenti. Poſſit igniculis, quos toto ſpargit corpore, ſenis quamlibet capularis gelidum pectus inflammare. Ea de vaſe hyalino, oleum Venafrano longè nobilius, balſamino longè ſalubrius, cuius vel gutta Cæſareorum leuet vulnerum multitudinem, lucenti lampadi ſupernè affundit. Effundit contrà, lychnum infernè terebrans, moles magis oſſea quàm anus. Vnius de octogenis magni magnæ ciuitatis polyandrij ſarcophagis, hoſpitam ſibi ſpectator facilè perſuadeat, ſi pictura permiſerit.

Vbi vita, ibi mors.]. Hoc verum eſt, quia vita nihil aliud eſt quàm ad mortem iter ex Seneca lib. de breuitate vitæ. D. Auguſtinus de verbis Domini ſerm. 40. Diu viuere quid eſt, niſi ad finem hoc eſt ad mortem currere? Et ita certè eſt, nam quotidiè ſeneſcimus, & vt ait ille,

Singula de nobis hora prædantur euntes.

non tantum anni. Seneca epiſt. 24. Quotidiè morimur; quotidie enim dèmitur aliqua pars vitæ, & tunc quoque cùm creſcimus, vita decreſcit. Ex quibus ſuo Emblemati feciſſe videtur Miſoponerus hoc lemma *dum creſcit, vita decreſcit.* Hoc etiam verum eſt quia

—— δμῶες βροτῶν
Νοσοῦσιν οἱ βλέποντες ——

vt ait Euripides, *homines ægrotant viuentes.* Itaque cum interrogatione dicenda ſint quæ apud eundem in Troadibus Andromachæ dicit Hecuba,

Οὐ ταυτὸν, ὦ παῖ, τὸ βλέπειν τῷ κατθανεῖν,

Num idem, ô filia, viuere & mori? Verſus ſunt neſcio cuius Poëtæ, qui aptè huic Emblemati conueniunt;

Fallimur, & cæci mortem procul eſſe putamus,
Illa tamen medio corpore clauſa latet.
Quandoquidem ex illa quàm primum naſcimur hora,
It vita iuncto mors comes atra pede.
Partem aliquam vitæ ſemper furatur, & ipſam
Diminuit vitam qualibet hora tuam.
Et morimur ſenſim, & momento extinguimur vno,
Non ſecus ac lampas deficiente oleo.
Mors nihil vt perimat, tamen ipſo in tempore præſto eſt.
Quin nunc, ah miſeri! dum loquimur morimur.

Ad

Ad intellectum Emblematis ſciendum in omnibus viuentibus calorem eſſe, qui licet vitæ ſit opifex, continuò depaſcitur humidum primigenium, olei ſpeciem referens. Ne autem illud humidum ſtatim abſumatur, idoneo foueri debet alimento. Alimentorum igitur quo veſcimur pars oleoſior, humidum illud primigenium fouet & alit, quo & alitur & fouetur calor ille ſiue calidum innatum.

I I.

L*Ampas terrea.*] Hominem Lampadem eſſe infra demonſtrabo, terream verò eſſe hic declaro. Lampades antiquorum quæ dictæ ſunt immortales, quòd in conditoriis nullo oleo ſuperfuſo arderent, terreæ erant quales aliquas vidi primùm Narbone, deinde Lutetiis. Antiquiſſimus & hominum primus, Adamus formatus eſt de limo terræ, vt Geneſ. 2. dicitur, & ſuo nos lumine antiquiſſima lampas illa per traduces participauit. Certè Adam qui à D. Auguſtino ſtatim in fronte enarrat. in 1. Pſal. terrenus homo nuncupatur, ſi originationem Hebraicam inquirimus deducitur ab אדמה *Adama*, quod terram rubram ſignificat, qualem ſæpe videre eſt, non ſolum iuxta mare rubrum, ſed etiam in multis orientalibus locis propter ſolis aduſtionem. Et ipſe homo Turcica & Orientali lingua adam dicitur, vt auctor eſt Bartholomæus Vngarus. Homo latina dictio, quicquid dicat Fabius, ab humo dicitur. D. Ambroſius Officior. lib. 1. cap. 3: Conſidera, inquit, ô homo, vnde nomen ſumpſeris; ab humo vtique, quæ nihil cuiquam eripit, ſed omnia largitur omnibus, & diuerſos in vſum omnium animantium fructus miniſtrat. Homo, ſcribit Lipomanus cum Gloſſa Geneſ. 1. ab humo dicitur, & conuenit cum etymologia Hebraica ſupra allata. Hieroſolymitanus Sacerdos ille Ioſephus, ab *Edon*, id eſt, rubro, *Adam*, dictum putat, fictum enim eſſe hominem in agro Damaſceno, eamque terram de qua compactus fuerit, rubram extitiſſe. Vnde nomen hominis à terra, de qua plaſmatus fuerat, ortum habet, tam in Latina lingua, quam in Hebræa, Adam enim non tantum eſt nomen illius primi hominis proprium, ſed etiam totius ſpeciei humanæ. Lactantius lib. de ira Dei cap. 10. ita ſcribit: Corpus hominis ex humo factum eſt, vnde nomen accepit: Quod & repetit lib. 2. diuinat. inſtitut. cap. 11. Hominem figurauit ex limo terræ, vnde nuncupatus eſt, quòd ſit factus ex humo. Quapropter hominis nomen appoſitè Adamo quadrat, qui non alio ſæpe vocabulo in ſacris codicibus nominatur; vbi enim Chriſtus Dominus, filius hominis dicitur, Adami filium doctiores quique intelligunt. Manet adamantinum illud, & manebit numinis decretum, *puluis es, & in puluerem reuerteris.* D. Ambroſ. enarratione in 1. Pſal. Non aduertis, inquit, quia puluis es & tu? diſpergeris & diſſipaberis? Et lib. de Noë & arca, cap. 29. Terra caro noſtra eſt, quam improbus operatur, bonus autem excolit. Ille quaſi mercedem quærit è terra, iſte quaſi boni fructus capit gratiam diſciplinæ, vt magis fructiferum faciat agrum ſuum, & qui Domini poſſit reſpondere culturis, & indulgentiam cultoris oſtendat. Rupertus in Geneſ. Hoc, inquit, perpendentes homines ſancti, creatorem figulum, ſeipſos, autem *lutum* appellauerunt, eleganti confeſſione, lacrymoſa declaratione. *Et nunc Domine*, ait Propheta, *nonne omnium, tu Pater noſter es, & nos lutum: & fictor noſter, & opera manuum tuarum nos omnes.* Et ad Ieremiam Deus ipſe: *Nunquid ſicut figulus iſte non potero vobis facere domus Iſraël: ecce ſicut lutum in manu figuli, ita & vos in manu mea domus Iſraël.* Vnde optimè Apoſtolus: *O homo tu quis es vt reſpondeas Deo? nunquid poteſt figmentum dicere ei qui ſe finxit: quare me feciſti ſic? Aut nunquid non habet poteſtatem figulus facere de eadem luto, aliud quidem vas in honorem, aliud verò in contumeliam.* Et Iſaias: *Væ qui contradicit fictori ſuo teſta de Samiis terræ.* Plutarchus in calce libelli de ſanitate tuenda, corpus fragile, & mortale vocat: Terrenum etiam, quódque è terra originem ſuam traxerit. Tertullianus lib. de Reſurrectione carn. hominem non ſemel limum vocat. Diuus Hieronymus ſtatim in limine epiſtolæ quàm ad Caſtrutium ſcribit, hominem terrenum animal. Et Diuus Auguſtinus lib. 1. confeſſ. cap. 6. ſe terram & cinerem. Innocentius de Miſer. hum. Formatus eſt, inquit, homo de luto, de puluere, de cinere. Galenus noſter libr. 3. de vſu part. ſe & omnes homines terreas ſtatuas vocat. Plinius lib. 2. cap. 63. terræ, maternæ venerationis cognomen, cum omnibus mortalibus dat. Et dederant ante Plinium Iobus, & Salomon. Ille cap. 1. *Nudus egreſſus ſum de vtero matris meæ, nudus reuertar illuc.* Iſte, Eccleſ. cap. 5. *Sicut egreſſus eſt nudus de vtero matris ſuæ, ſic reuertetur.* Tertulianus lib. 1. aduerſus Marcionem: Deſpicis, inquit, terram planè inimice carnis tuæ matricem, & omnes medullas eius victui extorques. Rectè terram carnis matricem vocat, quod enim matrix eſt in minore mundo, ſcilicet fœmina, hoc in maiore eſt terra, quam rerum omnium parentem dicebant coniectores illi Cæſarei apud Suetonium. Rerum omnium corporearum, itane? etiam carnis? Ecfurdij iuxta portam D. Andreæ cum terra ad vallum in altiorem molem attollendum egereretur, carnem inuentam fuiſſe muſculoſam bubulæ quàm ſimillimam, niſi quod exoſſis omninò eſſet, plures aſſerunt. An id fieri poſſit an non, inquirendi non hic locus: Philo Iudæus περὶ ἀφθ. κόσ. ita ſcriptum reliquit, ἢ ἐξ ἀλλήλων γένεσις ἀνθρώπων, πάντων φύσεως ἔργον ἀρχαιότατον καὶ πρεσβύτερον, ἡ ἐκ γῆς ἐπειδὰν ταύτην μήτηρ ἐστί. Non ſoli Iudæi, non ſoli Chriſtiani, ſed etiam ethnici è terra factum hominem crediderunt. Phœnices ſiquidem & Ægyptij Theologi primos homines Ogygem & Inachum alióſque, vna cum reliquis animantibus prorepſiſſe è terra aſſeuerarunt, quod Porphyrius literis mandauit; & Archelaus Phyſicus, itémque Euripides in eandem pedibus iuere

ſententiam. Vide Philonem Iudæum lib. de mundi incorruptione, Iuſtinum Martyrem in ſua paræſi. Et ex Ethnicis Platonem in Menexemo, & Diodor. Sicul. ad princ. ſuæ Biblioth. qui aliqoa in parte alueum Nili fluminis aquis deſtitutum fuiſſe ſcribit, vbi ex limoſa & paluſtri materia ſoli expoſita, vaſtiſſimæ animaores prodieriot. Lactantius Firmianus libr. 2. diuin. inſtitut. ita orditur caput 12. Aiunt certis conuerſionibus cœli, & aſtrorum motibus maturitatem quandam exritiſſe animalium ferendorum: itaque terram nouum ſemen genitale retinentem, folliculos ex ſe quoſdam in vterorum ſimilitudinem protuliſſe, de quibus Lucretius,

Creſcebant vteri terra radicibus apti.

Eóſque cùm maturaſſent natura cogente ruptos, animalia tenera profudiſſe. Deinde terram ipſam humore quodam, qui eſſet lacti ſimilis, exuberaſſe, eóque alimento animalia eſſe nutrita. Cenſorini verba ad Q. Cærellium cap. 4. referre placet. Anaximander, ioquit, Mileſius videri ſibi ex aqua terráque calefactis exortos eſſe, ſiue piſces, ſiue piſcibus ſimillima animalia: in his homines concreuiſſe, fœtúſque ad pubertatem intus retentos, tunc demum ruptis illis, viros mulieréſque, qui ſe iam alere poſſent, proceſſiſſe. Empedocles autem egregio ſuo carmine, quod eiuſmodi eſſe prædicat Lucretius,

Vt vix humana videatur ſtirpe creatus.

tâle quiddam confirmat: primò membra ſingula ex terra quaſi prægnante paſſim edita, deinde coiiſſe & effeciſſe ſolidi hominis materiam igni ſimul, & humore permixtam. *Et paulò poſt.* Democrito verò Abderitæ ex aqua limóque primùm viſum eſt homines procreatos. Nec longè ſecus Epicurus. Is enim credidit limo calefacto vteros neſcio quos radicibus terræ cohærẽtes primùm increuiſſe, & infantibus ex ſe editis ingenitum lactis humorem naturam miniſtrantem præbuiſſe: quos ita educatos, & adultos genus humanum propagaſſe. Et interiectis paucis ſubdit: Denique etiam volgo creditum eſt, vt plerique genealogiæ auctores ſunt, quarumdam gentium, quæ ex aduentitia ſtirpe non ſint, principes terrigenas eſſe, vt in Attica & Arcadia, Theſſaliáque, eóſque autochthonas vocitari: vt in Italia Poeta cecinit Nymphas indigenáſque Faunos nemora quædam tenuiſſe, & non difficile rudis antiquorum credulitas recepit. Nunc verò eò liceotiæ poeticæ proceſſit lubido, vt vix auditu ferenda confingant, poſt hominum memoriam progeneratis iam gentibus & vrbibus conditis, homines è terra diuerſis modis editos, vt in Attica fertur regione, Erichthonius ex Volcani ſemine humo exaratus, & in Colchide vel in Bœotia conſitis anguis dentibus Spartæ: quibus mutua cæde inter ſe necatis pauci ſuperaſſe traduntur, qui in conditu Thebarum Cadmo fuerint adiumento, necnon in agro Tarquinienſi puer dicitur diuinitus exaratus nomine Tages, qui diſciplinam cecinerit extiſpicij, quam Lucumones, tum Etruriæ potentes exſcripſerunt. Non miror illos vanis opinionibus deluſos, ſed Auicennam non minus doctrina, quàm proſapia regium, idipſum ſenſiſſe, non ſat mirari queo. Ille ſiquidem vbi de diluuiis agit aſſeueraſſe videtur, poſt ingentes cataclyſmos, terrarúmque eluuiones, ſine humano ſemine, ex ſola putri terra, cœleſtium corporum influxu auxiliante, hominem reparari. Quis neſcit hominem de luto à Prometheo factum ex poëticis fabulis, quis Virgilium ita ceciniſſe ignorat?

Terrea progenies duris caput extulit aruis.

Et ex Deucalionis & Pyrrhæ lapidibus homines factos apud Iuuenalem, & alios:

Ex quo Deucalion nimbis tollentibus æquor
Nauigio aſcendit montem, ſorteſq; popoſcit,
Paulatimq; anima caluerunt mollia ſaxa,
Et maribus nudas oſtendit Pyrrha puellas.

Phocylides in ſuo Poëmate miſſis fabulis ſic ſcribit, concinens quodammodo ſacris codicibus:

Σῶμα γὰρ ἐκ γαίης ἔχομεν, καὶ πάντες ἐς αὐτὴν
Λυόμενοι κόνις ἐσμὲν, ἀὴρ δ' ἀνὰ πνεῦμα δέδεκται.
Corpus verò ex terra habemus, & omnes in eam
Reſoluti puluis ſumus: cælum verò ſpiritum recipit.

Vno igitur omnium conſenſu homo terreus eſt. Lychnum verò eſſe infra oſtendam.

I I I.

S*ideribus dependet.* } An pro aſtronomorum opinione maxima vis ineſt cœleſtibus corporibus in hæc inferiora, vnde ab illis dependere meritò dicantur? An Saturno frigido & ſicco planetæ menſe primo quo fœtus in vtero eſt, itemque octauo ſubiacet (quemadmodum alij menſes planetis aliis) quæ cauſa ſit cur octimeſtris fœtus non ſit vitalis. A’ο Mars flauam bilem commouet, & cum ea tertianas febres, hæmitritæos, hæmorrhagiam, choleram morbum, maniam, phrenitidem, carbunculos, herpetes, eryſipelata, exanthemata, icterum, dyſenteriam. An Saturnus melancholiam, & cum ea malignas vlcera, ſtrumas, cancrum, ſcirrhum, lepram, febres quartanas, hepatis & lienis obſtructiones, hæmorrhoides, varices, herniam, vteri præfocationem. An Luna pituitam, & cum ea epilepſiam, hydropem, arthritidem, paralyſin, lethargum, coma, caron, catharrum. An Iupiter ſanguinem,

& cùm

& cùm eo cephalalgiam quæ à ſanguine, ſynochos,ephemeras, febres,pleuritides,peripneumoniam, phlegmonas,anginas,apoplexiam. An Mercurius linguæ vitia, vertiginem, tuſſes ſiccas. An Sol ciet febres continuas,& cordis palpitationem. An Venus œdemata,gonorrhæam,ſatyriaſin,priapiſmum, morbum Gallicum, inſanum amorem. An infantiæ Luna præeſt, pueritiæ Mercurius, adoleſcentiæ, Venus, Sol iuuentuti, ætati virili Mars, ſeneſcenti Iupiter, decrepito Saturnus? An caput hominis Saturno peculiariter ſubiacet,iecur Ioui, cor Soli, fel Marti, os Mercurio, & ita de cæteris? An ita ſideribus dependet homo? Sed hæc ſint penes aſtronomos. An quemadmodum dicitur ab Ariſtotele Sol & homo generant hominem,ita dicere fas ſit,morbus & aſtra iugulant hominem. Certè diuinus Hippocrates *περὶ ἀρχῶν* ita loquitur: De rebus ſublimibus in cœlo non eſt inſtitutum dicere, niſi quatenus ex iis ſanitas & morbus, ex iis bonum & malum, ex iis vita & mors. Aſtra in aërem, calorem, & frigus,imbres, & ſiccitatem lumine motúque ſuo inducere nemo negarit. At ex iis ſanitatem interdum, interdum morbum oriri certiſſimum eſt. Præter illa ſenſibus conſpicua, alia ſunt ſanitatis & morborum ſemina abdita, occulta, & abſtruſa, vt ſenſus noſtros omninò effugiant, nec vnquam niſi effectibus deprehendantur. Ardentem & ſiccam æſtatem ſæpe homines morboſam experti ſunt, & aliàs alij experti ſunt ſanam, cum iiſdem qualitatibus. Sæpe peſtilentiam hyeme initium cœpiſſe, quæ æſtate media vel autumno, tempeſtatibus illi progenerandæ aptis, extincta & ſoluta ſit. Quod certiſſimum teſtimonium eſt, præter primarum qualitatum vim, aſtra alia vi agere in hæc inferiora, varia ſcilicet & multiplici inter ſe commixtione. Ariſtoteles lib.1. meteorol.cap.2. Eſt autem,inquit, neceſſario mundus iſte ſuperioribus lationibus ferè continuus, vt inde vis eius vniuerſa regatur. Ea ſiquidem cauſa prima putanda omnibus eſt, vnde motus principium exiſtit.

Quid virtutis habet cælum? eſt vis omnis in aſtris
Aſtra regunt orbem terrarum, atque omnia mutant:
Aſtra creant cuncta in terris, & cuncta gubernant,
Hoc docet aſtronomus, communis opinio fert hoc.

D. Thomas in 2. diſtinct. 19. quæſt. 1. rerum interennium ſpeciebus ſingulis in cœleſti mundo peculiares virtutes reſpondere ſcribit, quibus foueantur conſeruentúrque. Sideribus ergo dependet homo.

Dependere etiam exalto hominem hic dictum eſt, quia homo à Deo pendet, vt & omnia

Quicquid eſt, hæc omnia animat, format, alit,
Auget, creat, ſepelit, recipitq́ in ſe omnia,
Omniumq́ idem eſt pater, in idemq́ eadem
Quæ oriunt de integro, atque eodem occidunt.

Pacuuius apud Tull. 1. de diuinit. Seneca verò in Oedipo:

Quicquid patimur mortale genus,
Quicquid facimus venit ex alto.

D. Auguſt.lib.1.confeſſ. cap.6. ita Deum alloquitur: Apud te rerum omnium inſtabilium ſtant cauſæ, & rerum omnium mutabilium immutabiles manent origines, & omnium irrationabilium & temporalium ſempiternæ viuunt rationes. Et infra: Vnde hoc tale animal niſi abs te Domine? An quiſquam ſe faciendi erit artifex, aut vlla vena trahitur aliunde, qua eſſe & viuere currat in nos, præterquam quòd tu facis nos Domine, cui eſſe & viuere non aliud atque aliud eſt, quia ſummè eſſe, atque ſummè viuere idipſum es? Summus enim es, & non mutaris, neque peragitur in te hodiernus dies, & tamen peragitur, quia in te ſunt & iſta omnia; Non enim haberent vias tranſeundi, niſi contineres ea.

I V.

F*ilo.*] Si Filo, quod ita fragile eſt dependent homines; quàm fragiles ipſi, eorúmque vitæ. Syneſius in epiſtola quadam, *ἀπὸ λεπτῆς φασὶ μίτου τὸ ζῆν ἠρτῆσθαι*. *Aiunt vitam de tenui pendere Filo.* Ennius annal. lib.3. apud Macrob. Saturn.

Hac noctu Filo pendebit Hetruria tota.

Hoc eſt, in ſummo diſcrimine verſabitur. Plutarchus in apophthegmatis Laconicis, cùm quiſpiam Lampen Æginetam celebraret, tanquam longè locupletiſſimum, propterea quòd multa poſſideret nauigia, Lacon *οὐ προσέχω, ἔφη, τῇ εὐδαιμονίᾳ ἐκ σχοινίων ἠρτημένῃ*, id eſt, *Nihil, inquit, moror fælicitatem de funiculis pendentem.* Filo vitam humanam pendere dixerunt antiqui trium Parcarum fabula,quarum vna Filum vitæ ordiretur,altera contexeret,abrumperet tertia. Incipimus enim cùm naſcimur, ſumus cùm viuimus, deſinimus cùm morimur. Vide auctorem libri de Mundo. Quod in fuſo perfectum erat, præteriti temporis ferebat imaginem; quod torquebatur in digitis; momenti præſentis habebat ſpatia, & quod nondum ex colo tractum ſubactúmque digitis,id futurum & conſequens tempus præſignificabat.

Filum in ſacris paginis pro re minima vſurpatur,vt interpretatur Gloſſa ordinaria in cap.14.Geneſ. vbi Abram Regi Sodomorum his verbis reſpondet: Quòd à Filo ſubtegminis, vſque ad corrigiam

caligæ, non accipiam ex omnibus quæ tua ſunt. Quibus ſignificat ne rem quidem minimam de eius bonis ſe accepturum. Rectè igitur vita Filo pendere dicitur, quia fragilis eſt, & minima re perit hominum vita. Φύσιν ἄνδρες ἀμαυρόβιοι, ait Ariſtophanes in auibus, *Natura homines ſunt imbecillæ vitæ.*

V.

Q*Vod tenuis filum vincat araneola.*] Rectè Tenuis Araneolæ, quia quò minores & Tenuiores ſunt Araneæ, eò etiam Tenuiora deducunt fila, quibus Tenuitas à Poëtis ſæpè tribuitur. Lucretius,

——aranei tenuia fila.

Catullus,

——tenuem texens ſublimis aranea telam.

Ouid. 4. Metamorph.

——illud opus tenuiſſima vincant
Stamina.

Idem lib. 4. de remed. amoris:

Vel pede quod gracili deducit aranea filum,
Cùm leue deſerta ſub trabe figit opus.

Cùm tenuis araneolæ filum tenuius ſit omni filo, & filis etiam craſſiorum aranearum in ruſticorum tuguriis texentium, illo aptius declaratur viuentis hominis infirmitas. Aranei in ſuis filis σοφώτατοι ſunt apud Ariſtotelem lib. 9. hiſt. animal. In illis ſex admiratur principia deſignantia, ſtamen, tramam, texturam, medij deſignationem, cubilis penoriſque conſtructionem. ὑφαίνει γὰρ, πρῶτον μὲν διατείνας πρὸς τὰ πέρατα πανταχόθεν. εἶτα στημονίζεται ἀπὸ τοῦ μέσου. λαμβάνει δὲ τὸ μέσον ἱκανῶς. ἐπὶ δὲ τούτοις, ὥσπερ κρόκας ἐμβάλλει, εἶτα συνυφαίνει. τὴν μὲν οὖν κοίτην καὶ τὴν ἀπόθεσιν τῆς θήρας ἄλλοθι ποιεῖται. *Principiò namque texit extendens ad extrema vndecumque. Deinde ſtamen inducit à medio, quod medium quantum ſatis ſit, capit. Tum ſuper hæc tramam imponit. Poſtremò contexit, ac cubile quidem ſuum prædæq; repoſitorium alibi conſtituit.* Vide Plin. lib. 11. cap. 24.

D. Ambroſius in enarratione in Pſal. 39. Ne vana, inquit, & inania ſequamur, ne telam Araneæ texere iudicemur, eo quòd peccata nulla perpetuitatis poſſunt habere ſubſtantiam. Vnde cùm videtis aliquos ſtudere facultatibus ampliandis, cumulandis opibus, affectando decori, dices illud Eſaiæ: Telam Araneæ texunt, quæ diuturna eſſe non poteſt, ſed citò ſcinditur, atque opus eius omne diſſoluitur. Non enim ſupra ſolidum aliquod firmamentum locatur, ſed in vacuo ſuſpenditur. Nihil laxum, nihil molle, verum Chriſti militem decet. Ecce enim qui mollibus veſtiuntur in domibus regum ſunt. Arguti ſibi & induſtrij omnes auari videntur. Quid argutius, quid ſolicitius Aranea, quæ operi ſuo diebus ac noctibus ſemper intendit, nec vllo ſumptu vllàque impenſa conficit veſtimentum, ſed vanum eſt omne quod fecerit? Sic homo omnis eſt, qui opus ſuum ſupra Chriſti non conſtituit fundamentum. Vanè noctibus & diebus & ipſe turbatur: cùm eum plerumque Araneæ modo etiam in ipſo ſuæ improbitatis molimine, operis ſui ruina conuoluat. *Idem alibi*, Hæc eorum, *inquit*, ſapientia telæ Araneæ comparatur, in quam ſi culex aut muſca inciderit, exuere ſe non poteſt: ſi verò validiorum animantium vllum genus incurriſſe viſum eſt, pertranſiuit, & caſſes rupit infirmos, atque inanes laqueos diſſipauit. Talia ſunt retia Chaldæorum, vt in his infirma hæreant, validiores ſenſu offenſionem habere non poſſint. Itaque vos qui validiores eſtis, cùm videritis Mathematicos, dicite: Telam Araneæ texunt: quæ nec vſum poteſt habere, nec vincula, ſi tu non quaſi culex aut muſca lapſu tuæ infirmitatis incurras, ſed quaſi paſſer aut columba caſſes inualidos præpetis volatus celeritate diſſoluas. Ita ille. D. Chryſoſt. epiſt. 7. ad Eutropium. Omnia vanitas, omnia nox ſunt & ſomnium, & die exorta nunquam comparuerunt. Vmbra erat & pertranſiit, &c. Araneæ telæ erant, & diſciſſæ ſunt. Vide integrum hunc locum Emblemate 9. vbi de bulla. Ænigma de Aranea textrice hoc eſt, in quo illa loquitur:

Vſus abeſt manuum, ducens pede ſtamina texo:
Aluus lanigera fertilitate ſcatet.
Cùm pedicas muſcis, ſcutulatum rete faceſſo
Concedunt tramis ſerica fila meis.

VI.

V*Irgo.*] Vita virgine exprimitur, quia virgines iuuenes ſunt, & ſi quæ ſint annoſæ, metulas albas eſſe ſcias. Hinc à Latinis Virgo ab ætatis vigore dicitur: At iuuentus viuacior ætas eſt. Virgo ſi D. Thomam 2. 2. quæſt. 102. audimus, à virore deriuatur, vireſcit Virgo; fœminæ contrà concupiſcentiæ ardore conſumuntur. Iam vita nonne viret eſt? certè fedo comparatur, vt infra dicam, & ab Orpheo ἀεὶ θάλλων dicitur, hoc eſt, *ſemper virens*: Virgini præterea integritas conuenit, imò Virgo integra dicitur. Lib. 1. Reg. cap. 7. vbi Samuel agnum integrum offerre Deo legitur, D. Gregorius virginem mente & corpore interpretatur. Quantum autem integritas virgini conueniat,

tantum corruptio aduerſatur. Vnde à patribus vitium virginitati contrarium, corruptione denotatur: Ambroſius cap. 2. Virgini lapſæ dicit, De Virgine facta es corruptio. Geneſ. cap. 6. cumque vidiſſet Deus terram eſſe corruptam: omnis quippe caro corruperat viam ſuam. Virginis corpus eſt intactum & incorruptum. Quid autem vitæ magis quadret quàm integritas, quid magis contrarium ſit quàm mors, quæ corruptio eſt, omnia quippe viuentia morte corrumpuntur. Multæ hiſtoriæ Virginum à piis auctoribus referuntur, quæ diu poſt mortem incorruptæ permanſerunt.

Virginitas flos eſt. Ouidius Virginum expugnator Metamorph. lib. 14.

Salue Virginei flos intemerate pudoris.

Catullus Epithal.

Vt flos in ſeptis ſecretus naſcitur hortis,
Ignotus pecori, nullo contuſus aratro,
Quem mulcent auræ, firmat ſol, educat imber
Multi illum pueri, multæ optauere puellæ,
Idem cum tenui carptus defloruit vngui,
Nulli illum pueri, nullæ optauere puellæ:
Sic Virgo, dum intacta manet, dum chara ſuis: ſed
Cum caſtum amiſit polluto corpore florem,
Nec pueris iucunda manet, nec chara puellis.

Vita etiam flos eſt. Iuuenal. Satyr. 9.

——feſtinat enim decurrere velox
Floſculus.

Flores virgæ Aaronis num. 17. pro vita accipiuntur ab Origene homil. 9. ſuper numeros, vt innuit his verbis: Virga arida germinat, cùm corpus extinctum cœperit reuiuiſcere.

Omnes virginitatem amant, vt ex Catulli verſibus conſtat; vitam verò quis non amat? Q. Calaber lib. 13.

Οὐ γάρ τι ψυχῆς φίλτερον ἀνδράσι φίλτερον ἄλλο.

Nihil vita hominibus charius.

VII.

C*incta Sedo.*] Debuerat virgo Sedo coronari, ſed inciſoris errore ſertum tortile læua geſtat. Sedum ſemperuiuum vocatur, aizoon Græcè, quòd nullis frigoribus, nulla cœli iniuria quantumuis frigida moriatur. Hanc originationem habet Dioſcorides lib. 4. cap. 77. Et Apuleius de virtutibus herb. vbi & nominatum vitalem dicit, ſemperflorium etiam, & ambroſiam. Dicitur ab eodem ἀειθαλὲς, id eſt, *ſemper virens*, & ἰσοθαλὲς, hoc eſt, *valde vireſcens & pullulans*, αἰώνιον etiam, hoc eſt, *æternum*, quæ omnia nomina ad vitam referuntur, quapropter eo meritò vita coronatur. Apuleius citato lib. his verbis deſcribit, Cubitales (de maiore Sedo hæc omnia intelligenda) emomit thyrſos, robore digitali, facilè vigentes atque pingues, cum foliis pinguibus maioris digiti craſſitudine linguatos, hoc eſt, linguam ſimulantes in ſummitate, inferiora verò ſupinata, ſed in capite præſtricta, rotunditatem oculi ſimulantia. Dixi deſcribi ab Apuleio maius Sedum, quia duplex eſt, maius & minus; maius peculiariter ſemperuiuum nominatur: minus, vermicularis. Græcè τριθαλὲς quòd ter pullulet & floreat in anno. Caules ab vna radice exeuntes multos habet tenues, foliis plenos, rotundis, pinguibus, paruis, in ſumma acuminatis, Tertium eſt Sedum ſylueſtre dictum, folia habens pinguiora, ad portulacæ figuram accedentia, & hirſuta breuioriq; cacumine, hoc ab aliis diuerſum nactum eſt temperamentum. Nam ſi guſtaueris, calidiſſimum eſt, & linguam vehementer vrit. Vnde imperitè illi Pharmacopœi faciunt, qui ea herba pro aizoo & Sedo minore in vnguento populeo vtuntur. Altera foliis conſtat longiuſculis, rariuſculis, craſſiuſculis, & flore candido.

Ratio autem cur ſemperuiuum ſemperuiuat, eſt, quia cùm humido oleoſo abundet, quo alitur & ſuſtentatur, terra licet interdum exſiccetur, habet tamen in ſe pabulum quo fouetur. Quòd ſi quis hoc admittat in pinu, cupreſſo, picea, quæ plantæ plurimum ſunt reſinoſæ, à quibus humor eſt tenax & pinguiſſimus, non autem in Sedo, ſiue ſemperuiuo, cuius ſuccus non ita oleoſus, ſciat Sedum licet non adeo pingui, oleoſa, & vtili humiditate conſtet, atque arbores reſinam dantes, ſufficienter tamen oleoſam eſſe humiditatem illam naturæ ſemperuiui, maiorique copia exuberare, quàm illæ arbores, ſeruata tamen proportione. Et hæc ratio eſt, cur iſta planta conſeruetur etiam ſub ardente canicula omnia exſiccante & exurente. Succum enim habet copioſiſſimum, eumque frigidum, cuius beneficio ardoris iniuriis reſiſtit. At cur in media hyeme, cùm herbas reliquas & arbores

——penetrabile frigus adurit.

vt cum Virgil. 1. *Georg.* frigida herba frigori poteſt obniti? Herbæ & arborum folia hyeme decidunt, non ob ſiccitatem, cùm enim tempus pluuium ſit, hyems multum humoris terræ ſuppeditat: ſed quia frigus venularum oras condenſans alimentum intercipit. At licet viæ alimenti intercipiantur in

ſemper-

ſemperuiuo, abundè tamen humoris illi eſt, vnde alatur, maximè cùm eius calor perexiguus parum diſſipet.

Sedum non tantum ſemperuiuit, ſed æternam etiam vitam id Glauco dediſſe ſcripſit Athenæus lib. 15. Glaucus Anthedonius vrinator, & natandi peritia longè omnium primus. Is quo magis eſſet miraculo, commentus eſt impoſturam huiuſmodi. Enatabat è portu ſpectantibus Anthedonus, donec iam extra proſpectum eſſet. Ibi reuerſus in terram ſeceſſit in locum aliquem ſemotum, atque in eo dies complures commorabatur. Deinde cùm videretur, redibat natans in portum, ſpectantibus iis qui ſtabant in littore. Mirantibus autem amicis, ac ſciſcitantibus vbinam gentium tandiu commoratus eſſet, adſimulabat in marinis fluctibus interim verſatum eſſe ſeſe. Auxit miraculum altero commento. Hybernis menſibus, cùm cæteri piſcatores nihil piſcium capere poſſent, ille ciues rogabat quoſnam piſces adduci vellent. Quóſque iuſſiſſent, aduehebat, videlicet iam ante paratos in hunc vſum, atque alibi concluſos. Euenit tandem vt hic impoſtor à bellua quadam marina deuoraretur. Porrò cùm non rediret conſtanti fama creditum eſt, Glaucum ſaturatum planta ſemperuiuo (hoc enim notat Athenæus citatus (quod non notant Palæphatus, Schohaſtes Apollonij, Ouidius, Hyginus, Philoſtratus, Pauſanias) factum immortalem, & in mari vitam agere. Ex his omnibus liquet iure cunctam Sedo ſiue ſemperuiuo Vitam ab auctore repræſentari.

In Miſoponero amaranto Vitam coronat Auctor, propter eandem rationem, qua hic Sedo coronatur. Hic enim flos gaudet decerpi & lætius renaſci: & poſtquam cuncti defecere, madefactus aqua reuiuiſcit, & hybernas coronas facit. Summa eius natura (ait Plinius) in nomine eſt appellato, quoniam non marceſcat, ab α priuatiua, & *μαραίνεσθαι*, quod eſt, *marceſcere*. Coronas ex amarantho Diis, quorum vita nunquam marceſcit,

——Deus eſt qui non mutatur in æuo.

vt ait Manil. lib. 1. Aſtronom. dicari & ſuſpendi in templis auctor eſt Artemidorus lib. 1. cap. 79. Nempe eas in ſomniis viſas iudicibus imprimis fauſtas eſſe ait, quod ſint immarceſcibiles, & ſeruantes ſui coloris. Hinc eſt quòd Clem. Alex. pædag. lib. 2. cap. 8. cum monet Chriſtianum ne coronetur inſtar ſimulachorum mortuorum, addit pulchram illi amaranthi coronam eſſe repoſitam, qui piè ſanctéque vixerit: Hunc, inquit, florem terra ferre non poteſt, cœlum ſolummodo eam producit, vbi ſcilicet perennis vita. D. Petrus epiſt. 1. cap. 1. *ἀμαράντινον τῆς δόξης στέφανον, amaranthinam gloriæ coronam.*

V I I I.

Viridi.] Viridis coloris varietas eſt multiplex, quam notare eſt in plantarum multitudine, inter lapides in ſmaragdo videtur cum lætitia, inter aues in pſittaco: inter inſecta in ſcarabæorum quadam ſpecie, de qua meminit Ariſtoteles. Videtur etiam ſed ſaturatior in chryſocolla & ærugine. Adi Antonium Thyleſium Coſentinum libello de colorib. cap. 12. Viror vitæ ſymbolum eſt: arbores viuere incipiunt, cum incipiunt virere & eorum vita cum virore terminatur. Virg. lib. 6. Senectam Charontis longè à morte ab eſſe dicturus, viridem vocat.

——cruda Deo viridiſque ſenectus.

Viridis color in humido craſſo vt plurium eſt, vt apparet in impluuiis, foſſis, ciſternis, aliiſque aquarum conceptaculis, vbi diutius aqua conſiſtens aliquam craſſitiem acquirit, atque ita tandem vireſcit, quod ex Ariſtotele *περὶ χρωμάτων* confirmatur. Vbi, inquit, pluſculum temporis conſiſtit aqua, rurſus exareſcens, colore fit herbaceo. Ratione autem euenit, & hunc primum in omnibus ex terra naſcentibus colorem conſiſtere: ſiquidem omnes aquæ veruſteſcentes à principio ſanè virides fiunt, ſolis radiis admiſtæ: mox autem nigreſcunt: rurſus viridi permiſtæ coloris fiunt herbacei. Nam humidum, vt præfati ſumus, ſponte naturæ ſuæ vetuſteſcens & exareſcens, nigreſcit: ſicut in ciſternis, ſeu aquarum conceptaculis tectoria: ex iis enim quæcunque ſunt ſub aqua, hæc omnia atri coloris efficiuntur, quòd dum excreſcunt, humidum exhalet, & in aërem diſſipetur: quicquid autem exhauſtum ſoli exponitur, in herbaceum colorem abit, ea cauſa quod flauum nigro permiſcetur. Hoc idem humido. Magis, ac largius nigreſcente, herbacei fit coloris, eoque copioſius ſaturatur, & viridem colorem concipit, propè ad porri exemplum. Quod etiam eſt in cauſa, vt in omnibus ramis germina ætate confecta, multò nigrioris coloris viſantur, quàm quæ noua ſunt, & adhuc pubeſcentia: flauiores enim ſunt, quòd nondum in ipſis humidum nigreſcat. Horum enim cùm ſit tardius incrementum, inſideátque diutius humiditas, quoniam humidum ipſum exhalans vehementer nigreſcit, ex eo viride fit & porraceï coloris, vtpote nigro, eique ſincero permixtum. Viridis ergo color ex humido craſſo. At ab humido craſſo & oleoſo vitam eſſe ſupra docui. Rectè igitur viror vitæ attributus eſt.

Cauſa materiali Viroris inueſtigata, efficientem in Galeno vnà cum Valleſio inueſtigemus, è calorem perpetuo cauſam viroris inueniemus, vnde vitæ quæ in calido ſita eſt, aptiſſimè conuenire inferemus. Galen. cap. 12. libri 1. de Criſibus: *Τὸ δὲ αὖ χλωρὸν χρῶμα καὶ τὸ ἐπὶ τὸ μέλαν ὁδὸν ἐστί, καὶ ἔστιν ὥσπερ οἷον προοίμιον τοῦ μέλανος. εἰ γὰρ κατίδοις ἐπὶ τὸ νόσημα, καὶ τοῖς ἱδρῶσι, καὶ τοῖς διαχωρήμασι,*

μασι, καὶ τοῖς οὔροις τοῖς χλωροῖς, ἐφεξῆς ἐπιφαίνεται τὰ μέλανα. πελιδνὸν δὲ χρῶμα, μόνης ψύξεως ἔκγονον. id eſt: *Color Viridis in ipſa via ad nigrum fit, & eſt veluti principium quoddam nigri. ſi enim malignus ſit morbus, & vomitibus, & deiectionibus, & vrinis viridibus, ſtatim ſuccedunt nigra. liuidus verò color ſolius frigoris eſt ſoboles.* Conſtat hac ratione, Galenum apertè omnem colorem viridem tribuere calori; nam quod additum eſt ad finem dictionis, *Liuidus verò color ſemper frigoris eſt ſoboles*: dictum eſt ad differentiam cauſæ viridium, quos ex morbi malitia fieri dixerat; conſtat enim Galeno eſſe conſuetudinem hanc benè veterem: malignum morbum dicere vrentem, vt colliquantem, eum qui vehementia interimit. Ita hîc inquit: Viridis, cùm morbus eſt cacoëthes, liuidus ex ſolo frigore prouenit. Hunc locum hoc modo intellexêre autor de vrinis, & Aëtius docentes: Nigrum colorem ex calore fieri poſſe, aut frigore, verùm diſtingui ex antecedente colore; ſi enim chlorus color anteceſſit, ex caloris vehementia fit: ſi liuidus, ex frigore. Hæc nullus non intelligit ex præſenti Galeni loco eſſe deſumpta. Sed hoc vnum inuenias diſcrimen: vbi nos vertimus *Viridis*, interpres Aëtij & autoris libelli de vrinis vertunt *flauus*, tamen apud ipſos Græcos autores nihil eſt diuerſum.

Cùm eandem dictionem vſurparit Galenus quam & alij duo, nempe *χλωρὸν*. Videndum ergo modò eſt: vtra harum verſioonum videatur accedere propiùs ad Galeni mentem. Si enim uos meliùs tranſtulimus vertentes *Virides*: conſtat, virides colores de ſententia Galeni citra dubium ex cauſa calida perpetuò generari. Conſidera dictionem hanc *χλωρὸν* duo ſignificare, *pallidum*, & *viride*, interprete eodem Galeno, qui in comment. 47. 2. Prognoſtici inquit: Sæpenumero dictum iam eſt, vt chloron de pallido dicere ſolitum ſit: & item de eo, quod à quodam vocatur æruginoſum. Illud *æruginoſum* dictum eſt, non quòd *chloron* ſolùm æruginoſum ſignificet, ac non etiam *porraceum*, & *rutaceum*, & ſi quæ ſunt aliæ viroris ſpecies: ſed quò quaſi per deſcriptionem, ſignificaret colorem viridem; eſt enim nullum nomen Græcis vniuocum, quod dictioni huic *viride* reſpondeat; proinde hos colores comparatione declarant: & de porraceo, aut æruginoſo dicunt multa, quæ de viridi in genere dicerentur. Notauit hoc Galenus ipſe comm. 39. eiuſdem libri dicens: Porracei verò nunc primùm habuit mentionem, cùm non habeat proprium nomen, ſed vtatur porri appellatione. Pro viridi apertè vſurpatur 10. De ſimpl. facul. capite 5. cui titulus eſt *περὶ χλωρῶν βατράχων*, id eſt, *de ranis viridibus*; nouimus enim tales eſſe ranas, de quibus illic eſt ſermo. Itaque ſignificat dictio duo hæc, *pallidum*, & *viride*. Quæ in illa tamen dictione à Galeno de chloris dicebantur, nullo modo poſſunt pallido colori quadrare. Ergo de viridi erat illic ſermo. Quid enim inquit? Chlorus color eſt, veluti principium nigri. Vide hoc quantum conueniat cum viridi, & quantum diſcrepet à pallido. Plato in dialogo de natura ex quo loco Galenum deſumpſiſſe video omnes colorum naturas, & appellationes, ita ſcripſit: Spleodidum rubro albóque permiſtum flauum procreat: ruffum flaoi fuſcique attemperatione producitur, fuſcum albi & nigri, pallidum albo flauo permixto, ruffi nigrique temperie producitur color porraceus. Eſt verò hic porraceus dictus color viridis; de pallidi, ruffi & flaui generatione priùs fuerat locutus; conſtituens hos gradus citra rubeum: tantum abeſt, vt nigri coloris ſint principium. Viridis verò, quem porraceum appellat Plato, vt ſua oſtendit generatio ex ruffo & nigro, principium nigri eſt. Itaque rectè vertimus de ſententia Galeni; viridem colorem eſſe velut nigri principium, & fieri ex inceudio ſemper; contrà ac liuidus, qui extinctione caloris fit decimo etiam de ſimplicium medicamentorum facultate capite 12. apertè ſignificat: Omnes ſpecies viridium colorum ex flauis fieri per vſtionem in tranſitu ad nigrum edifferens de bile. Quin & in animalibus (inquit) apparet, flaua quidem iis, quæ magis ſunt calida: quæ verò minùs, pallida: & vbi calida animalia fame aut ſiti torquentur, ad atrum colorem vergit, interim illum habens æruginoſum, interim cæruleum (cæruleum non eſt viride colore, ſed via etiam eſt à flauo ad nigrum: nam, vt flauum fit ex albo & ſplendido cum rubro, ita cæruleum ex albo & ſplendido cum nigro) interim iſatidis, qui quidem magis eſt colore braſſicæ fuſcus. Harum tantummodo ſpecierum viroris meminit libello de atra bile: neque, quod ego legerim, alicuius meminit alterius. Nam, ſi ſexto Epidemiωn coomment. 3. capite 21. herbacei meminit: non ſignificauit illa dictione ſpeciem aliquam viridis, ſed per deſcriptionem ipſum virorem; quod declarauit transferens etiam appellationem per metaphoram ad omne vigens & boni habitus, conſtat verò per hanc metaphoram dici ſolere, *Virentem Iuuentutem*, non herbaceam. Sunt ergo dictæ viroris ſpecies, quas ſemper dat Galenus calidæ cauſæ. Secundo Prognoſtici commentario 39. ita ſcriptum reperias: At verò gignitur in corpore, quemadmodum crocea bilis per naturam habentibus, ita porracea altera præter naturam; conſtâtque, vt hæc in ventriculo ſæpenumero gignatur propter quorumdam cruditatem eſculentorum, aut olerum, qualia beta, cæpa & braſſica ſunt: atque vt etiam interdum talibus nequam ingeſtis, ratione ægrotationis in venis gignatur, ac decumbat, aut in ventrem ſuperiorem, aut inferiorem, calorem in corpore indicans præter naturam, atque excrementi proprietatem, talis temperamento, qualis prædictorum olerum ſuccus eſt. Hæc de porracea. Rurſus capite 47. inquit: Flauus, vbi ſeroſus ipſe humor aſſatur, quo permiſto ruffus apparet: æruginoſus verò, vbi is vehementer aſſatur. Cùm itaque adeò hæc ſibi conſentiant: mihi perſuadeo, reliquos colores, quos ex frigidis cauſis fieri obſeruauerunt Auicenna, & Auerroes, malè referri in virides: ſed hos omnes naſci ex vſtione. Neque verò ſi quis coloris ipſius naturam contempletur, aliter iudicet; nam qui ex frigore fiunt, ſunt intermortui qui-

dam colotes,at albus,& liuidus: qui verò participant igneo quodam ſplendore, cuiuſmodi ſunt rufus & flauus; hos ex inflammante igne veriſimilius eſt naſci: nam & ipſe niger color, non aliter cognoſcas, ſitne ex calore aut frigore, quàm ſi intermortuus eſt,aut ſplendore quodam oſtendit ignis veſtigium,Gal.lib.3. de cauſis ſymptomatũ. Quòd verò omnis color viridis ſplendoris ſit particeps, ipſe docet intuitus,& prætereà generatio;ſit enim,vt diximus,immiſſione rufi (qui quia igneas flammas imitatur,appellatur Græcis *πυῤῥὸς*) in colorem nigrum. Atque ira natura ipſius coloris docet,vt ad nigrum ſplendidum via ſit,cùm fiat nigritie & ſplendido colore confuſis. Ex his omnibus conſtat viridem colorem humore craſſo, & calore fieri. Vnde inter cæteros colores vitæ hic maximè aptari poteſt, cuius primarium inſtrumentum eſt calor, quippe cuius præſentia fouetur corpus, ac ſua probè munia perficit; eiuſdem verò abſentia iacet exanime. Eget autem hic calor humido,vt infra dicetur,at non quouis humido,ſed pingui,& parum tenaci quo calor, & cum calore vita, nutritur, fouetúrque.

Succincta Theriſtro.] Theriſtrum veſtis ſubtilis eſt & leuis, quales æſtiuæ ſunt, *ἀπὸ τοῦ θερίζειν* deriuat Bayſius, quod *æſtuare* ſignificat. Hoc habent nominis Græca Biblia Geneſ. cap. 24. & cant. cantic. cap. 5. Theriſtrum & Theriſtrium dicit Budæus in ſuo Lexico. Senes quibus vita effœta & calor languidus, multis indigent veſtibus. Hinc eos foco videas affixos tanquam Lares, pellitos, maſtrucatos, capitiis, petaſis, aliiſque integumentis caput opertos. Iuuenculos autem & adoleſcentes quibus multum ineſt caloris, quibus vita viget, tunicula anguſta & curta, amictu breui & leui ſuccinctos videas. Florentis vitæ alacritas, & viuaciorum hominum opera veſtium pondus non patiuntur. Sat locuples ignis ſub ſinu eſt;viuax illa flamma frigus non timet.Rectè igitur vita Theriſtro ſuccincta pingitur.

I X.

L*Uceat vt Lychnus.*] Lychnus lucernam ſignificat *παρὰ τὸ λύειν τὸ νύχος, ἤγουν σκότος*. Vide in Ammonio *λυχνίον*.

Lychno homo deſignatur, vt enim in Lychno duo ſunt ignis, & terra ex qua lampades antiquæ, quales mulras ſæpe vidi,fingebantur: ita in homine terreum corpus eſt, & anima quæ igne,& lumine ſignificatur,vt infra dicam. D. Bernard. ſerm. de tribus mixturis, Agnoſce, inquit, ô homo dignitatem tuam, agnoſce gloriam conditionis humanæ. In te conglutinantur ſibi limus terræ, & ſpiritus vitæ: in te compacta & confœderata ſunt caro,& anima; illa plaſmata,hæc inſpirata. In nouo inſtrumento D. Ioannes Baptiſta lucerna vocatur. Ioan. 5. *Ille erat lucerna ardens & lucens.* Et in antiquo etiam, Pſalmo 131. *Paraui lucernam Chriſto meo*, quæ de ſplendente gloria in Iſraël non tantum intelligenda ſunt, ſed etiam ſi D. Hieronymum audimus de Ioanne Baptiſta. Vide D. Ambroſium in Pſal.118. ſerm.14. illum Lucernæ comparantem. Itaque Lychnus ardens hominem viuentem notat, & extincta mortuum. Propheta Hieremias ſub Dei perſonas has minas habet: *Perdam ex iis vocem gaudij,& vocem lætitia, vocem malæ, & lumen lucernæ.* Quibus verbis ſe præmiſſa fame, mortem miſeram illaturum dicit, auferendo lucem lucernæ, hoc eſt animam ſiue vitam corpori. Fabularum textores ſcribunt,Prometheum hominem primò ex luto finxiſſe, & igne è cœlo delato, ſuum hominem terreum animaſſe. Lychnus igitur homo, quod ex ſequenti ritu, & Herculis auctoritate liquidius fiet. Saturnus in Latio horrendo ſacrificij genere colebatur, non quidem vt homo ad aram immolaretur, ſed vt in Tyberim de ponte Miluio mitteretur. Quod ex reſponſo quodam factitatum eſſe, Varro auctor eſt apud Lactant. Firmianum lib.1. de falſa relig. cap.21. Illius reſponſi vltimus verſus hic erat.

Καὶ κεφαλὰς κρονίδῃ καὶ τῷ πατρὶ πέμπετε ΦΩΤΑ.

qui ita exponitur:

Plutoni capita, aſt hominum ſacra reddite patri.

hoc reſponſo homo è ponte iaci ſolebat. Verùm id genns ſacrificij ab Hercule, cùm ex Hiſpania rediret dicitur ſublatum, ritu tamen permanente, vt pro hominibus lampades Saturno dedicarentur, oraculo ita expoſito:

Plutoni capita, at genitori lumina dentur.

Cum enim *φῶς* ſignificet lumen, hominem etiam ſignificat, vt apud Homerum videre eſt Iliados λ & ξ & Odyſſ. α. à *φῶ*, quod eſt *dico, loquor.* Nam *μόνος φωνίζει τὰς ἐννοίας τῷ λόγῳ*, teſte Etymologico. Polyxena apud Euripidem in Iphigenia ita vitam affatur; *χαῖρε φίλον φῶς. Salue charum lumen.*

Lucere ponitur hic pro viuere: quod enim lux in lampade, hoc vita eſt in homine. Vnde lux ſæpiſſimè pro vita vſurpatur. Tullius pro Roſc. Amerin. Propter quos hanc ſuauiſſimam lucem aſpexeris,eos indigniſſimè luce priuare. Et in Tuſcul.quæſt.lib.2. Obiiciebatur animo metus quidam & dolor cogitanti, fore aliquando finem huius lucis, & amiſſionem omnium commodorum. Et lib.1. Miſerum M. Craſſum qui illas fortunas morte dimiſerit: miſerum Cn. Pompeium qui tanta gloria ſit orbatus: omnes denique miſeros qui hac vita careant.Ouidius 5.de Triſtib.

Et

Dumque (quod ô bene ſit) lumen vitale videbis.

Et Mezentius paulò ante mortem, ad finem libri decimi Æneid. ſic ait:

Nunc vino, neque adhuc homines lucemq́ relinquo,
Sed linquam.

Itaque quemadmodum vmbra quæ luci aduerſatur, morti attribuitur; ita lux pro vita vſurpatur. D. Ambroſ. in epiſt. ad Timoth. 2. in hæc verba, *Qui deſtruxit quidem mortem, illuminauit autem vitam, &c.* Vitam, *inquit*, illuminauit æternitate, vt reſurgens à mortuis iam mori non poſſit. Obſcura enim vita eſt quæ tempore definitur, dum ſoporatur, &c. Sanctus vir ille qui *πνευμα* paſſim ſcribit Iob. cap. 12. *Producit in lucem vmbram mortis.* Vide D. Gregor. 14. Moral. cap. 11. Accendebantur faces, funalia, lampades in antiquorum nuptiis, vt conſtat ex D. Chryſoſt. homil. 12. cap. 4. epiſt. 2. ad Corinth. Nimirum vt oſtenderetur nuptiis vitæ lucem hominibus dari: Quod & diebus luſtricis, fiebat vt teſtatur idem auctor: qui mos & hodie in Eccleſia viget, & vigere maximè Monſpelij notaui: Quo enim tempore, Chriſtiani vitam viuere incipientibus nomen imponitur, duodecim faces accenduntur. In laurionibus olim ædibus ſimulachra iuuenili facie, ſenili nunquam, lucernas tenebant. Lucret. lib. 2. de rerum nat.

Si non aurea ſunt iuuenum ſimulachra per ædes,
Lampadas igniferas manibus retinentia dextris.

Cum lumen vitam ſignificet, iis maximè aptandum fuit, quibus plus vitæ eſt, vt iuuenibus.

X.

SVfficit inde Oleum.] Vt calor corporis innatus igni egregiè comparatur, vtrumque enim quatuor modis præter naturam afficitur, extinguitur pabuli inopia, nimia eiuſdem abundantia, rei contrariæ appulſu, & rei vehementioris occurſu. Ita Oleo appoſitè humidum radicale deſignatur,

Paulatim morimur, momento extinguimur vno,
Sic Oleo lampas deficiente perit.

ſcribit Thomas Morus quem infra plenius allegabo. Omnes Medicæ ſcientiæ doctores humidum iſtud Oleo comparant; non tamen in quibus hæc duo conueniant dicunt. Ego hic paucis aliqua animi gratia diſquiram.

Triplex humor in omnibus quæ aluntur corporibus deprehenditur, alibilis qui fit ex alimentis concoctione alteratis, & in cæca corporis penetralia raptis, illum videre eſt in virentibus arborum ramis, ſi igni iniiciantur. Videas enim primò humorem quendam emanare, qui non admittit ignem, & is eſt quem è terra pro alimonia ſibi aſſumpſerat. Si diutius lignum illud viride igni relinquatur, conſumpto priore humore exardeſcet, beneficio ſcilicet humoris pinguis & Oleo ſimilimi. Tertius humor elementaris eſt, qui etiam extincta flamma in carbonibus remanet, cuius ope perſtant, carbonúmque partes cohærent. Nihil oculis vſurpare poſſumus, quod calorem inſitum in viuentibus corporibus fouere poſſit, quàm ſecundum humorem illum, qui in mortuis flammæ pabulum eſt. Si ex ſeminibus, ſi ex fructibus, ſi ex floribus, ſi ex radicibus plantarum: Si ex oſſibus, ſi ex neruis, vel ex carne, vel ex membranis animalium, Oleum arte exprimatur, humor ille extrahetur, qui quam in viuente corpore naturam habebat, & modo retinet, flammam ſcilicet & calorem fouendi & conſeruandi. Non tantum igitur humidum primigenium Oleo comparandum, ſed & Oleum eſſe videtur. Illud tamen conferamus cum vulgari noſtro Oleo.

Oleum humectatorium eſt & moderatè calidum ex Galen. de ſimpl. medic. & alibi paſſim. Humidum etiam primigenium humectatorium eſſe, vel ex ipſo conſtat nomine: benignè etiam calidum eſſe nemo dubitarit. Non enim poteſt eſſe frigidum. Quomodo enim eſſet ſpiritus inſiti, ſiue calidi innati ſedes. Non etiam immoderatè calidum, citius enim conſumeretur, homóque celerius ad mortem raperetur.

Oleum pingue eſt, & pinguedine ſua flammam retinet. Humidum etiam primigenium viſcidum eſt, etiam ex Ariſtotele libro de breuitate & longitudine vitæ. Hoc humido viſcido ſpiritus inſitus retinetur, & partes ſolidæ quæ humidi noſtri ſedes ſunt, & ſua natura ſiccæ, coniunguntur, & ad mortem vſque conſeruantur.

Oleo claues facillimè vertuntur, ſi ſeras eo vnxeris: nimirum propter pinguedinem Olei, & lubricitatem. Et in quibus multum humidi primigenij eſt, celeres fiunt verſiones. Videmus ſæpe, non ſine admiratione, iuuenes verti ſinuosè, reuerti tortuosè, conuerti agiliter, per multimodas ambages diſcurſus reciprocos agitando, & inuerti periculosè corpore plicatili, & repetitis flexibus rotas imitari, niſi homines eſſe ſciremus, exoſſes crederemus. Age verò, ſenes in quibus humidum primigenium exſiccatum eſt, aliquid ſimile agant, non facient: Saltandi ſunt indociles, nec brachia, nec pedes paulò celerius rotare volent,

Inualidaſq́, manus, & inanes cerne lacertos.

ait Lucanus lib. 5. de bello Pharſal. Quid ita? ſicci ſunt, & rubiginoſi. Oleo, hoc eſt primigenio humido indigent, vt commodiores & aptiores fiant oſſium verſiones.

In Lychni Oleum, ſi aquam inuergimus, extinguitur flamma. Non aliter ſi non alimentarius ſuccus, ſed aqueus in primigenij locum reponatur, vt in hydropico, eius quamprimum mors ſuo pede oſſeo pulſat domum. Non enim vita producitur abſque calore, nec calor abſque humore, aëreo ſcilicet & oleoſo, cùm ab aqueo, vt à ſibi contrario reſtinguatur. Calore illo, igne illo, lumine lychno noſtro adempto, vita terminatur,

Lumine adempto animam moribundo corpore fundit.

Oleum conſeruandæ vitæ aptiſſimum cenſet Auerroes: & quid aptius eidem conſeruandæ, atque adeò producendæ, quàm humidum primigenium, quod caloris inſiti auctor, parens, & ſuſtentaculum eſt. Pharmacopolia affluunt Oleis multimodis, Anachardino, Anethino, Balanino, Caryino, Chamæmelino, Cheirino, Cyprino, Gagatino, Irino, Laurino, Maſtichino, Moſchatelino, Myrthino, Nardino, Omphacino, Papauerino, Ricino, Rutaceo, Sambucino, Sampſucino, Violato, Vulpino, Lentiſcino, Philoſophico; Perſicino, & ſexcentis aliis quæ omnia recenſere longum ſit. Vnguentis etiam & emplaſtris quàm plurimis quæ non ſine Oleo fiunt. Vtiliſſimum igitur fouendæ vitæ Oleum. Et humidum primigenium vtiliſſimum eſſe nemo ambigat.

Vrinatores Oleum in ore habentes, profundum maris adeunt, & ſalui emergunt: homines quotidie pericula vitæ ſubeunt, & iam iam aquis obruti, hoc eſt humoribus, videntur, qui tamen humidi primigenij affluentis beneficio incolumes euadunt. Pſaltes regius Pſal. 108. *Caro mea immutata eſt propter Oleum*, ſcilicet propter humidum primigenium, quo ægri ſanitati reſtituuntur. Ex Plutarcho, & Ariſtotele ſi Oleum mari procelloſo inuergatur,

Iam venti ponent, ſtrataq́; aequaliter vnda
Cæruleis Triton per mare curret aquis.

Vita morborum procellis turbatur: affunde multum illius humidi ſi potes, & breui procellæ illæ conquieſcent.

Mirum eſt quomodo tantiſper Olei in veſtibus, & rebus aliis diffundi & dilatari poſſit: quod nec aquæ, nec vino, nec melli, nec liquorum aliorum vlli conuenit. Num etiam mirum quomodo tantillum humidi primigenij à ſemine parentum accepto, in ſæcula extendi poſſit?

Si Oleum lampadi deſit, teter odor quamprimum diffunditur: ſi deſit humidum primigenium graueolentia cadaueris aërem inficit malis odoratu.

——— abſynthia tetra
Abrotanoſq́; graues, & triſtia centaurea.

Miſoponerus poſtquam hoc Oleum Venafrano, & balſamo prætulit, hyalino vaſe contueri dicit, quia nihil ars facit quod corruptioni magis obnitatur, quam vitrum; incorruptibilitate enim ſua, fragilitatem ſuam æquat: haud diſpari ratione nihil in nobis à natura factum, quod humido primigenio ſit fragilius. Nullum enim temporis eſt momentum, in quo non diſſipetur. Nihil tamen corruptioni noſtræ tantum aduerſatur, atque idem illud humidum, quod ſi eadem qua in ortu eſt integritate & perfectione repararetur, poſſemus in ſexcentos annos mortis corruptionem differre.

Oleum Lychno ſuffici dictum eſt, quia cùm humidum primigenium, atque adeo vniuerſi corporis ſubſtantia, tum ab inſito illo igne, calore ſcilicet innato: tum à circunfuſo aëre, aliiſque cauſis conſumetur ac diſſipetur, neque vltra ſeptem aut nouem dies vt plurimum poſſit conſiſtere, niſi cibis idoneis humidi primigenij diſpendium reparetur, ſuggeri debet alimentum, quod variis alterationibus cõcoctionibúſque tandem ſufficiatur in locum humidi primigenij deperditi. Primò ore exceptum ibi molitur dentibus, & admixtione ſaliuæ, in qua magna vis ineſt ex Galeno & Hippocrate ad immutandum reſoluendúmque, alteratur: lingua, quæ inſtar manus eſt, vt ait Galen. lib. 11. de vſu part. transferente ac voluente illud, tandémque tranſmittente in gulam ſiue œſophagum, qua via in ventriculum demittitur, vbi, vi ſcilicet caloris & inſita ventriculi proprietate, ſecunda fit alteratio quæ prima concoctio eſt. Concocto ibi alimento, & in ſubſtantiam liquidam, & colore albam, cremori ptiſanę non abſimilem quam chylum vocamus, mutato, os inferum pylorus dictum, diſcluditur, fitque via ad inteſtina, vnde per venas meſeraicas ad hepar rapitur, vbi cùm exiles admodum ſint venæ, ſuccus attractus, eius carni propriæque ſubſtantiæ intimè inſinuatur. Diutina illic mora, & exquiſita iecoris contagione, chylus ſanguinis ſpeciẽ induit: & hæc ſecunda concoctio eſt. Sufficienter illic expurgatus ſanguis per venas ampliores primùm, quaſi per quoſdam tubos, in totum corpus defertur, & in anguſtiores deinde deriuatus, omni qualitate & circũſtantiis partis proprietate perfunditur, ſenſimq́; & per gradus illius naturã aſſumit. Fit ibi primus humor ex quatuor ſecundariis, dehinc per oſcula, & cæcos exilium venarum ſinus, roris modo multiplici Mæandro, in omnem partis ſubſtantiã influit: fitque tum vera ſucci iſtius appoſitio, quem aptioris nominis inopia, rorem appellamus, paulò enim aqua craſſior eſt. Circum partium villos & ſtamina, ros ille magis ac magis aſſiduo partium calore & contactu concreſcit, illiſque agglutinatur & annectitur: Eſtq́ue tertius ex ſecundariis humor, qui partis tum qualitatem, tum æmulatur proximè temperamentum. Poſtremò naturæ energia, & vniuerſa partium ſubſtantia ita concreſcit, vt vſquequaque carni aſſimiletur. Et hoc Oleum eſt, quod nobis ad viuendum ſufficitur, iacturam humidi primigenij pro vt poteſt reparando. Pro vt, inquam, poteſt, non autem perfectè. Et cum D. Auguſtinus in Pſalm. 140. ſcribit: Propterea

caſtiga

caſtiga corpus tuum, modò doma, quod poſtea recipias, modò deficiat, & tunc ſufficiat: nam in hac vita reparari non poteſt quamdiu mortale geritur. Hæc de perfecta reparatione, non autem de aliqua, intelligenda ſunt.

Inde.]. Altior locus Virgini vitam connotanti in Emblemate datur, nec immeritò. Vita enim quæ tantum præſtat morti, quantum malo bonum, digniorem locum habere debuit. D. Ambroſius. Quid tam, *inquit*, contrarium, quàm vita morti? Si ergo vita bona putatur, quomodo mors non eſt mala? Et ideo quid ſit vita, quid etiam mors, conſideremus. Vita eſt ſpirandi munere frui, mors priuari. Hoc autem ſpirandi munus, in bonis ducitur. Hoc eſt ergo vita, frui bonis: mors contrà, bonis exui. Et ſcriptura dicit Eccleſ. 15. Ecce dedi ante faciem tuam, vitam & mortem, bonum & malum: vitam bonum appellans, mortem malum: & hæc ſibi priora, & hæc ſibi conferens. Denique vt lectionis diuinæ exemplo vtamur, in Paradiſo eſt poſitus homo, vt ederet de ligno vitæ, & cæteris Paradiſi lignis: de ligno autem in quo eſſet cognitio boni & mali, non ederet: qua die autem ederet, morte moreretur. Non ſeruauit præceptum, & caruit fructu, atque eiectus de Paradiſo mortem guſtauit. Malum igitur mors, quæ pretio damnationis infertur.

X I.

S*Vbtrahit hinc vetula exſucca.*] Clemens Alexand. lib. 5. ſtromat. Ναὶ μὴν καὶ ἐν Διοσπόλει τῆς Αἰγύπτου, ἐπὶ τοῦ ἱεροῦ καλουμένου Πυλῶνος, διατετύπωται παιδίον μὲν γενέσεως σύμβολον. φθορᾶς δὲ ὁ γέρων. θεοῦ τε αὖ ὁ ἱέραξ. ὡς ὁ ἰχθὺς, μίσους, καὶ κατ' ἄλλο πάλιν σημαινόμενον ὁ κροκόδειλος ἀναιδείας. φαίνεται τοίνυν συντιθέμενον τὸ σύμβολον δηλωτικὸν εἶναι τοῦδε. ὦ γινόμενοι καὶ ἀπογινόμενοι θεὸς μισεῖ ἀναίδειαν. *Porro Dioſpoli, quæ eſt vrbs Aegypti in æde ſacra quæ vocatur Pylon, expreſſus eſt puellus ſignum generationis: ſenex verò interitus: & rurſus Dei ſymbolum accipiter, vt piſcis ſymbolum odij. & in alio rurſus ſignificato, Crocodilus eſt ſignum impudentiæ. Videtur ergo vniuerſum hoc ſymbolum ſimul poſitum hoc ſignificare:* O QVI NASCIMINI ET INTERITIS, DEVS ODIO IMPVDENTIAM HABET. Hæc ille. Quibus verbis ſenili vultu expreſſam conſtat fuiſſe mortem, quæ ſenſim videtur humidum noſtrum ſuffurari. Hinc exſucca dicitur illa vetula, quia ſenio ſicceſimus in dies. Cùm enim humidorum elementorum, aëris ſcilicet & aquæ, minus in corporis noſtri compoſitione ſit, quod ex grauitate qua præpedimur liquidum eſt: cùmque illa humida elementa præ tenuitate facilius reſoluantur & in auras abeant: partes contra terreæ quæ in nobis præpollent, copia nimirum & renixu magis ac magis augeantur, hæc cauſa eſt cur nunquam non exſiccemur. Quod certè experientia comprobatur. Ideo enim infantes nec loqui, nec ambulare valent, quia humiditate abundant, qua muſculi relaxantur, quod Galenus & Ariſtoteles ſcribunt: Progreſſu tamen temporis & loqui valent & incedere. Nimirum quia humiditate illa prima immutata ſicciores facti muſculi, maiorem firmitudinem habent. Demum cùm multò minus humidi eſt, flexibilitas illa membrorum quæ in præcedente erat ætate, perit. Quis enim in ſene exoſſem ſaltationem quàm interdum in iuuenili ætate videmus, requirat? exſiccata ſunt membra, tabida & terrea ſiccitate, & à pingui illa prima ſubſtantia omninò diuerſa.

Γῆρας ἐκ νόσου, *ſenium ex morbo*, Philippo dicitur marcoris ſpecies lib. 1. de præſag. ex pulſ. quaſi ſenectus ſit aliquis marcor, & ſucci defectus.

Oſſea.] Aquea & aërea in nobis portio tempore abſumitur, vt iam dixi, non autem terrea quæ reſiſtit. Oſſa quæ ſicca, frigida, dura, grauia, quorum ſcilicet materia eſt ſeminis craſſamentum, dicente Ariſtotele: Oſſa in prima conſtitutione gignuntur ex ſeminis excremento, terrea ſunt; ideóque reſiſtunt, nec facilè exteruntur, vt partes humidæ, quæ in ſenibus conſumptæ ſunt, non autem terreæ & ſiccæ, nimirum Oſſa, quæ in ſenibus remanent, atque adeo in mortuis. Pſalm. 140. *Sicut craſſitudo terræ erupta eſt ſuper terram. diſſipata ſunt Oſſa noſtra ſecus infernum.* Oſſa, quæ ex terreo craſſamento ſunt, in morte & poſt mortem, quæ inferni nomine connotatur, diſtrahuntur & diſſociantur, quia partes reliquæ non ita ſolidæ quarum beneficio connectebantur, diſtenduntur & tandem abſumuntur, non autem Oſſa, quæ etiam poſt mortem Oſſa ſunt. Vnde rectè ſola Oſſium compage mors repræſentatur. In ſceleſtis enim noſtris, ad quorum exemplum pictores mortem Oſſeam effigiant, præter hyoidem Oſſa omnia videas.

Pallida.] Sanguis qui genarum pictor eſt, in ſenili ætate & copia & calore minuitur. Hinc ſenes Palleſcunt. Palleſcunt etiam quia cutis ſenectute craſſeſcit, quo fit vt putredo, quæ ſcatet in ſenili corpore, non facilè diffletur, vnde Pallor.

Cæca.] Acies oculorum in ſenibus obtunditur, quia cernendi ſpiritus paucus eſt, & quia craſſus, non autem æthereus, & limpidus. Obtunditur etiam propter humiditatis excrementitiæ copiam, qua ſpiritus dilatatio prohibetur. Propter tunicæ corneæ craſſitiem etiam obtunditur. Cùm enim ad acutè videndum tunica illa debeat eſſe ſubtilis, & tunica illa in ſenibus, quemadmodum & vngues craſſeſcat, imò & corrugetur, ſpecies difficilius in ſenili oculo recipiuntur.

Gibboſa.] Gibbus Latinum nomen à Græco tractum. Gibbus ὕϐϐος. Modò extrorſum ſpina flectitur, modò introrſum, modò in obliquum. ὕϐὸς, vel κυφὸς, vel κυρτὸς primos Græci vocant, Gib-

tos Latini: ſecundos illi λόρδους, Latini regibbos: tertios illi σκολιωμένους, Latini obliquos. Ioan. Manard. epiſt. Medic. lib. 7.

Gibboſa, & Senio.] Gibbo deformantur ſenes, non ob humiditatem ad vertebras dorſi dilabentem, laxantémque ligamina ſpondylorum, quod ſæpè in pueris accidit, minus autem in ſenibus, qui ſicci ſunt. Non etiam ob vertebrarum luxationem, ſed ob motricis facultatis infirmitatem, inſtrumentorúmque corporeorum debilitatem. Cùm enim dorſum membrorum ſuperiorum molem ſuſtinere non valeat, incuruatur, quemadmodũ Maſclion, aliúſve baiulus ſuis cùm humeris grauius onus imponitur. Bruta animantia verſus terram inclinantur, homo verò altioribus natus, erectiore eſt corpore, propter caloris vbertatem, qui ſurſum ſemper fertur. Nihilominus tamen, vt ſcribit Galenus, carinæ inſtar dorſum verſus anteriorem partem pauliſper inflectitur, tum ad ferenda facilius onera, tum vt quæ ante oculos humi ſunt poſita attollantur. Iam verò facultate motrice, & calore etiam vnà cum corpore ſeneſcente, cedit capitis & ſpatularum ponderi, & quò vergit dorſum, eò magis incumbit. Vide Galen. Comm. 3. in lib. de Art. vbi Gibboſitatis cauſas enumerat. Homerus Gibboſitatis cauſam ſenectutem agnoſcit lib. 2. Odyſſ. vbi de Ægyptio Heroë loquens, ſic ait,

Ὃς δὴ γήραϊ κυφὸς ἔην, καὶ μυρία ᾔδη.

Qui ob ſenectutem incuruus erat, & multa ſciebat: Vbi ſcribit Euſtathius γήραϊ additum ad diſcrimen eius qui natura Gibboſus ſit, & γυρὸς vocatur, vt Odyſſ. 19. de Eurybate Vlyſſis præcone,

Γυρὸς ἐν ὤμοισι μελάγχροος, οὐλοκάρηνος.

Gibboſos habebat humeros, nigro erat corpore, & criſpo capite. Dicitur enim γυρὸς qui humeris eſt teretibus, valdè extantibus & incuruis, ὁ ἐξωστρεφὴς καὶ στρογγύλους ἔχων τοὺς ὤμους, ἢ κυρτός, vt exponit Scholiaſtes. Fit autem Gibbus ex Hippocrate etiam ſanitatis tempore, aut natura, aut ſenio, aut doloribus, & caſu, vti habet lib. de Art.

Lychnus vt intereat.] Conſumpto humido primigenio calidi innati pabulo, extinguitur ipſum calidum, quod animal conſeruat, & hæc extinctio hominis interitus eſt.

Hinc vita, illinc mors, &c.] A puppi, Vitæ dulces aquæ nobis ſunt; à prora, portus Mortis, ad quem plenis velis imus. In huius Vitæ flumine à tergo fontem, & originem habemus; à fronte amarum mare, & Mortem ad quam properamus. Seneca in Oedipo:

Labimur ſæuo rapiente fato.

Principium vitæ principium necis eſt.] D. Ambroſius de vocatione gentium lib. 2. cap. 8. Vitæ huius Principium, Mortis exordium eſt, nec prius incipit augeri Vita noſtra quàm minui. Cui ſi quid adiicitur ſpatij temporalis, non adhoc accedit vt maneat, ſed in hoc tranſit vt pereat. Quod ergo ab initij ſui die mortale eſt: qualibet occidit die, non contra legem mortalitatis occumbit, nec vnquam ei vicinius eſt poſſe viuere, quàm poſſe deficere. Quamuis autem ex vna cauſa omnium hominum ſit orta mortalitas, non in vnam tamen, ſed in multiplicem imbecillitatem corruptibilis natura diſtrahitur. Et ſiue morbis, ſiue debilitatibus, ſiue vulneribus, non ſolum anni aut menſes vel dies ætatis humanæ, ſed & omnes horæ, omniáque momenta ſubiecta ſunt. Nec eſt aliquod mortis genus, aut vllus obeundi modus, qui non intra vniuerſitatem mortalium in aliquam incidat portionem. Manet enim graue iugum ſuper filios Adam à die exitus de ventre matris eorum, in diem ſepulturæ in matrem omnium. D. Auguſtinus in illa verba Pſal. 127. *Et videas bona Hieruſalem.* Sic ait. Filij ſunt paruuli, blanditis paruulis, blandiuntur paruuli, nunquid ſtant in eo? Sed optas vt creſcant, vt accedat ætas optas. Sed vide quia cùm accedit vna, altera moritur. Veniente pueritia, moritur infantia: veniente adoleſcentia, moritur pubertas: veniente ſenectute, moritur iuuentus: veniente morte, moritur omnis ætas. Quot optas gradus ætatis, tot ſimul optas & mortes ætatum. Non ſunt ergo iſta. Num deinde nati ſunt tibi filij, in terra tecum victuri, an tecum potius excluſuri & ſucceſſuri? Ad eos gaudes qui nati ſunt, vt excludaris? Nati enim pueri tanquam hoc dicant parentibus ſuis. Eia cogitate & vos ire hinc, agamus & nos minimum noſtrum. Thomas Morus magnæ Britanniæ lumen & columen, hoc ſcripſit Epigramma, quod extat in eius operibus;

Nugamur, mortemq́ procul, procul eſſe putamus:
At medijs latet hæc abdita viſceribus.
Scilicet ex illa, qua primùm naſcimur hora
Prorepunt iuncto vitaq́ morsq́ pede.
Partem aliquam furtim qua ſe metitur, & ipſam
Surripit è vita qualibet hora tua.
Paulatim morimur, momento extinguimur vno,
Sic oleo lampas deficiente perit.
Vt nihil interimat, tamen ipſo in tempore mors eſt:
Quin nunc, interea dum loquimur, morimur.

Miſoponerus in ſuo Satyrico ad finem num. 12.

Naſcentes cunis ferali naſcimur vrna,
Prima dies nobis exequialis & eſt.

Manilius lib. 4. Aſtronom.

Naſcentes

Naſcentes morimur, finiſq; ab origine pendet.

Seneca epiſt. 24. Infantiam amiſimus, deinde pueritiam, deinde adoleſcentiam, vſque ad heſternum quicquid tranſit temporis perit. Hunc ipſum quem agimus diem, cum morte diuidimus. Chorus Oedipi apud eundem,

Primuſq; dies dedit extremum.

quem imitatus Silius Ital. lib. 3. ita ſcripſit,

Extremumq; diem primus tulit. ——

Sapientiæ cap. 5. *Nos nati continuò deſinimus eſſe.* Quod Rex Dauid Ethai Gethæo dixit Reg. lib. 2. cap. 15. hoc ipſum cuiuis homini iure dicatur: *Heri veniſti, & hodie compelleris egredi.* Per portam vitæ huc ingredimur, vt ad aliam eamus, qua egrediamur. D. Auguſtinus lib. 13. de Ciuit. cap. 9. Quid aliud, *inquit*, eſt vitæ huius tempus, quàm curſus ad mortem. Vide D. Gregorij Nazianzeni diſticha.

SANGVINEVS.

EMBLEMA III.



Comus hic hortorum, & ſpecioſus flore iuuenta,
Tibia cui, myrthus, fractus & eſt radius.
Effert ſe gradibus, quibus itur ad aurea tecta,
Hac iuuenis ſunto ſymbola ſanguinei.

Hieroglyphica.

COMVS, hieroglyphicum *SANGVINEI HOMINIS.* numero I.
FLORES, hieroglyph. *VERIS.* num. II.
FLOS, hieroglyph. *BARBAE, & IVVENTVTIS.* num. III.
TIBIA, hieroglyph. *MVSICAE.* num. IV.
MYRTVS, hieroglyph. { *VENERIS,* & *AMANTIS.* } num. V.

RADIVS

RADIVS FRACTVS, hieroglyph. *LIBERALITATIS.* num. VI.
GRADVS, hieroglyph. *DIGNITATVM.* num. VII.
AVRVM, hieroglyph. *SANGVINIS.* num. VIII.

I.

DE quatuor humoribus actum in Emblemate 1. de Calido innato, & humido primigenio, in 2. in ſequentibus agit de Temperamentis, quæ omnia ad primam Medicinæ partem, quæ Phyſiologia eſt, referuntur.

Comus.] Philoſtratus ſecunda pictura graphicè depingit Comum commeſſationum, feſtiuitatúmque Deum; qui Phornutum exſcripſit. Sic enim ex interpretatione Iodoci Velarei; Dæmon eſt Comus, à quo *κωμάζειν* adſtans thalami foribus aureis vt puto. Tarda autem ac difficilis ipſarum comprehenſio, ac cognitio quòd in tenebris ſint. Nox enim non à corpore ſed à tempore picta eſt. Veſtibulo autem ſponſos admodum felices in lecto iacere indicant, & Comus iuuenis, ad iuuenes accedit, mollis nec adhuc ephebus, præ vino rubicundus: Et quòd ebrius ſit rectus dormiens. Dormit autem faciem quidem in pectus deiiciens, & gutturis nihil oſtendens, ſiniſtram venabulo ſuſtinens. Sed manus ſuſtineri arbitrata ſoluitur. Et profectò is exprimitur affectus qui in dormiendo exordio accidit, cùm nobis ſomno blandiente, cogitatio in eorum tranſit obliuionem quæ continet. Vnde & quæ in dextra eſt facula, manum præ ſomno languentem effugiſſe videtur. Sed Comus metuens cruri adhærentem ignem, ſiniſtram quidem tibiam in partem dextram, faculam verò ad ſiniſtram transfert, vt ignis vaporem declinet, ab expoſito genu manum arcens. Faces autem debentur quidem à pictoribus his, qui in vigore ſunt ætatis conſtituti, & abſque his cæcutint picturæ. Como verò paululum facie opus eſt inuenti, & à capite vmbram trahenti. Verùm cæteræ corporis partes exactæ effictæ ſunt, eas illuſtrante, atque in lucem educente facula. Roſarum autem corona laudatur quidem, ſed nequequam à ſpecie; flauis enim ac cæruleis ſi contigerit coloribus florum imagines referre, haud magnus eſt labor. Cæterum ob coronæ laxitatem ac molliriem laudetur oportet. Commendo & roſarum roſidum, ipſáſque cum odore pictas aſſero. Quid reliquum eſt Comi? quidnam aliud præterquam laſciuientes. Nonne Crotala, ſtrepitúſque intonans, ac vox enormis te petit? Lampades quoque ſublucent, vnde & laſciuientibus quæ ante pedes habent, videre, & à nobis videri licet. Multus autem populus ſimul accerſitur, & mulierculæ cum viris incedunt, & calciamentum extat, & præter peculiarem cinguntur conſuetudinem. Nam Comus & mulieri virum agere, & viro ſtolam induere mulierem, muliebritérque incedere permittit. Et coronæ non amplius floridæ, ſed ipſarum quod capitibus concinnatæ ſint, ablata eſt hilaritas, cùm per luxum & laſciuiam currant. Florum enim libertas malum auerſatur, vtpote quæ eos ante tempus flaccidos reddat. Plauſum etiam quendam imitatur pictura, cuius maximè indiget Comus. Nam dextra contractis digitis ſubiectam ſiniſtram ad cauum plectit, vt manus cymbalorum more percuſſæ conſonæ fiant.

Comus igitur gaudij, comeſſationum, cantionum, chorearum Deus, quæ cùm in homine ſanguineo ſint, non impropriè illo Deo repræſentantur. Plutarchus ad finem quæſt. 6. lib. 8. Symp. quæſt. comeſſari deriuat à *κῶμος*, quæ dictio & comeſſationem ſignificat. Ariſtophanes in Pluto *ἔοικε δὴ 'πὶ κῶμον βαδίζειν, ire viſus ad Comum*, hoc eſt, ad comeſſationem, feſtiuúmque conuiuium. Conſulenti Antigono adhuc iuueni an *κῶμον* adiret, reſpondit Menedemus, Regis te filium eſſe memineris. Laërtius in Mened. lib. 2.

Comus cantionem etiam ſignificat. Pindar. Olymp. 6.

——— τὶ καὶ
ἀνδρὶ κώμου δεσπότᾳ
νῦν παρέστι συμπλακάντι.

Quod etiam viro cantici Domino nunc adeſt Syracuſano. Apud Ariſtophanem in Ranis, *κραιπαλόκωμος*, eſt vinitotum Hymnus. Athenæus lib. 14. Deipnoſoph. ex Tryphone Nomenclaturarum lib. 2. has inter tibiales cantiones Comon primò recenſet: Comum, Bucolıaſmum, Gingras: Deinde etiam Terracomon, Epiphallon, Choricam, Callinicon, Polemicam: & præterea Hedycomon, Sicynnotyrben, Thyrocopicon, quæ Crouſithytos etiam dicitur, Cniſmon, Mothona, quæ omnes cum ſaltatione canebantur. Imo *κῶμος* ſaltationis etiam nomen eſt. Anacreon

Ὁ δ' Ἔρως ὁ χρυσοχαίτας
Μετὰ τοῦ καλοῦ Λυαίου,
Καὶ τῆς καλῆς Κυθήρης
Τὸν ἐπήρατον γεραιοῖς
Κῶμον μετείσι χαίρων.
Sed & aurea decorus
Veniens coma Cupido,

Comitante

Comitante cum Lyæo,
Comitante cum Cythere,
Senibus voluptuoſam
Choream lubens frequentat.

Nonio κῶμος ἑορτῆς feſti hilaritas eſt, & Euſtathio etiam apud Dionyſium lib. de ſitu orbis dum de Bretanidibus inſulis, ita ſcribit:

Αγχι δὲ νησιάδων ἕτερος πόρος ἔνθα γυναῖκες
Ανδρῶν ἀντιπέρηθεν, ἀγαυῶν ἀμνιτάων
Ορνύμεναι τελετῇσι κατὰ νόμον ἱερὰ Βάκχῳ.
Στεψάμεναι κισσοῖο καταφυλλάδι κορύμβοις,
Εννύχιαι παταγῆς δὲ λιγύτερος ὄρνυται ἠχή.
Ου ὅτω Θρήικες ἐπ' ἠιόσι ἀψίνθοιο
Βιστονίδες καλέουσιν ἐρίβρομον εἰραφιώτην,
Ουδ' ὅτω σὺν παισὶ μελανδίνην ἀνὰ γάγγην
Ινδοὶ Κῶμον ἄγουσιν ἐριβρεμέτῃ Διονύσῳ
Ως κεῖναι κατὰ χῶρον ἀνευάζουσι γυναῖκες.
Niſiadum ſpatio non diſtant littora longo,
In quibus vxores Amnitum Bacchica ſacra
Concelebrant, hedera foliis, tectaq; corymbis.
Non ſic Biſtonides abſinthi ad flumina Thraces
Exertis celebrant clamoribus Iraphioten,
Non ſic prærupto, qua currit gurgite Ganges,
Eoi ſtrepero peragunt Comum Dionyſo
Oceani tranans hic vanibus æquor apertum.

Hic Comus pro ſolemnibus epulis ponitur. Priſcianus enim cuius hi verſus ſunt, penultimum ſic reddiderat:

Indi ſolemnes epulas peragunt Dionyſo.

Ita deſcribitur iocularis viuendi modus, quo laſciuire ſolet etiam hodiè iuuentus in hilaribus, vnde & nomen Comi retinuit mutato C. in M. Vocamus enim idiomate Gallico *momeum*, qui laruatus, & ludibundus cum talis Bacchanalia peragit.

Omnes Comi hactenus recenſiti conueniunt cum ſanguineis, qui ſunt feſtiuitatum, comeſſationum, & ſaltationum anteſignani. In hilaritate nihil ſanguineis iucundius, in conuiuiis nihil ſalſius, in choreis nihil promptius: ſi gaudendum, toto exultant pectore, ſi comeſſandum, pleno riſu adſunt, ſi cantandum, pleno ore iubilant, ſi ſaltandum, ipſi choragi primi tripudiant & pede libero plaudunt choreas. Veri Comi ſanguinei, ſemper Comi comites, & vbique Comum agunt.

I I.

H*ortorum, & Floræ.*] Comus coronatur Floribus hic, quemadmodum & apud Philoſtratum, & Phornutum. At quibus Floribus? variis, ſed roſis inter cæteros Flores, quæ cùm vere proueniant, vernum tempus ſignificant. Epigrammatarij in Antheologia, *εἰαρινὸν ῥόδον, vernam roſam* vocant. Et Ouidius 5. Faſtorum

Dum loquitur vernas afflat ab ore roſas.

Anacreon:

Ιδὲ πῶς ἔαρος φανέντος
Χάριτες ῥόδα βρύουσι.
Videns vt ineunte vere
Charites roſis abundent.

Neque verò tantum roſæ, ſed Florum omnium ſuaueolentium maxima ſeges, vere tellurem ornant. Martial. lib. 2.

Florida per varios vt pingitur Hybla colores,
Cùm breue Siccania ver populantur apes.

Tibull. lib. 3.

Mulcebant Zephyri natos ſine ſemine flores,
Cum ſe purpureo vere remittit humus.

Manil. lib. 1. Aſtronom.

———floreutia tempora veris.

& lib. 3. de iiſdem temporibus loquens,

Tùm primum multa pelagus conſternitur vnda,
Et varios audet flores emittere tellus.

Ouid. in transformat.

Omnia tunc florent, florumq́ coloribus almus
Ludit ager.

Idem Triſt. lib. 3.

Iam violas pueriq́ legunt, hilareſq́ puellæ,
Ruriq́ quæ nullo nata ferente vehunt.
Prataq́ pubeſcunt variorum flore colorum.

Virgil. Eclog 9.

Hic ver purpureum, varios hic flumina circum
Fundit humus flores.

Seneca,

Vere cùm flores venient tepenti.

Ver quod Floribus hic deſignatur, humidum & calidum eſt, tum ex Macrob. Saturn. lib. 7. cap. 5. tum ex Medicis noſtris paſſim, atque etiam ex aſtronomis, & Philoſophis. Scire tamen operæpretium eſt, ver licet calidum & humidum ſit, eius tamen menſes tres, æqua ratione calidos & humidos non eſſe. Cum ſol in Ariete eſt, initium eſt veris, quod cum proximè hyemem quæ humida & non calida eſt, ſubſequatur, magis humidum quàm calidum eſt. Cum ſol Geminos percurrit, finis veris eſt inſtanti æſtati calidæ & non humidæ vicinus. Propterea calidior eſt quàm humidior cenſenda, extrema pars verni temporis. Medium autem veris cum ſol eſt in Tauro, ab extremis æqualiter diſtans temperatè calidum & humidum habendum. Quæ qualitates ſanguini adſcribuntur. Magnus enim Hippocrates libro infra citando, & Galen. lib. 2. de facultat. natural. humidum & calidum ſanguinem prædicant. Nec audiendus Ariſtoteles, vel interpretandus eſt cum Thoma Aueiga, ſi quando frigidum, & ſiccum vocet ſanguinem, ni ſanguis calidus & humidus eſſet, non poſſet eo ali corpus noſtrum, propter quod nutritio eſt; eſt humidum abſumptum cui calidum inſidebat, debet igitur ſanguis calidus & humidus eſſe, vt humidi & calidi vices impleat. Verno tempore qualitatibus ſimili ſanguini, exuberat ſanguis: at ver huiuſmodi eſt, vt antea dixi: illo igitur tempore maxima ſanguinis eſt copia ex Hippoc. de natura humana, & in ſphœra corporis hum. vbi propter eandem rationem vernam phlebotomiam ſuadet, & iuuenes tunc temporis ſi ægreſcant, à ſanguine laborare ſcribit. Et lib. 3. Aphor. 20. profluuia ſanguinis vere vigere aſſerit, quod quotidiè experimur. Cùm igitur ver Floribus cinctum ab antiquis pingeretur Ouid. 2. transformat.

Verq́ nouum ſtabat cinctum florente corona.

quod & repetit tertio de Ponto:

Tu neq́ ver ſentis cinctum florente corona.

ita Comus coronari Floribus debuit, vt oſtenderetur vere vigere ſanguinem.

Specioſus.] Inter illa quæ in pulchritudine deſiderantur colorum concinnitas eſt, quæ à ſanguine. At qui colores illi non niger, qui à melancholia, non flauus, qui à bile, ſed ruber, cum albo mixtus, qui in ſanguineis eſt, quia eorum corpus humore temperatiore rubram albedinem, & albam rubedinem, lactis & liliorum candorem cum roſarum, & purpuræ rubore carni conciliante, conſtat. Anacreon abſolutam pulchritudinis imaginem pictori deſcribens hæc habet carmina:

Γράφε ῥῖνα καὶ παρειὰς,
Ῥόδα τῷ γάλακτι μίξας.
Naſum genaſq́ pinge,
Lacti roſas remiſcens.

Ouid lib. 3. transform.

——— eburnea colla, decúſque
Oris, & in niueo mistum candore ruborem.

Tibull. lib. 3.

Candor erat, qualem præfert Latonia Luna,
Et color in niueo corpore purpureus.
Vt iuueni primum virgo deducta marito,
Inficitur teneras ore rubente genas.
Vt cum intertexunt amaranthis alba puellæ
Lilia, & autumno candida mala rubent.

Hippocrates citato libello, corpus ſanguinei floridum, colorémque elegantem eſſe ſcribit.

I. I. I.

F*Lore iuuenta.*] Quod in anno ver, iuuentus in vita eſt. Ver dat Flores, vt ſupra oſtendi, & iuuentus Florida eſt, vt virilis ætas fructuoſa. Maro de obitu Mecœnatis,

Illa rapit iuuenes, prima florente iuuenta.

Pindarus in Iſthm. *εὐανθέα ἁλικίαν*, pulchre Floridam iuuentutem: Amaſius ille Chærea in Eunucho Terentij, puellam quindecim annorum Florem vocat. Homerus Iliad. ν. de Ænea loquens,

Καὶ

Καὶ δ' ἔχε ἥβης ἄνθος.
Flos quoque adeſt aui.

At quis in iuuentutis vere Flos germinat? barba, quæ vernare dicitur, quia in vitæ vere ſe prodit. Martialis lib. 2.

Cum tibi vernarent dubia lanugine mala.

Macrob. lib. 1. in ſomnium Scipion. cap. 6. barbam Florem vocat. Poſt ter ſeptenos annos, genas Flore veſtit iuuenta; iuuenta quæ à Symmacho lib. 10. epiſt. 22. ad Theodoſium, & Arcadium ver vigentis ætatis nominatur. Eratoſthenes apud Stobæum Serm. 113. vigentem ætatem veri comparabat, declinantem æſtati & autumno, ſenectutem hyemi.

In iuuentutis Flore ſanguis ſuperabundat, ex Galeno lib. 1. prognoſt. 37. & lib. 3. pronoſt. 14. & Aphor. 30. & 27. lib. 3. qui eam cauſam eſſe dicit, cur ſanguinis profluuia ex naribus fiunt in tali ætate conſtitutis. Virgil. *lib. 1.* Æneid.

——lumenq́, iuuenta
Purpureum,

dicit, quia cum ſanguis in iuuenta copioſius affluat, iuuenis Æneæ formam augebat, rubicundo ſcilicet colore. Cæterum Comus Iuuenis depingitur à citatis authoribus.

I V.

T*ibia cui.*] Comus cum Tibia in læua manu pingitur in Phorn. & Philoſt. hic etiam eodem modo figuratur, vt ſignificetur ſanguineos muſica delectari. Cùm enim ſint temperatiore temperamento, quia ſanguis temperatus eſt, ex Galeno comment. in lib. de natura hum. muſica, quæ vocum eſt temperamentum, capi & affici debent, vt pote re ipſis congrua & ſimili. Præterea ſanguinei copiam ſpirituum tenuium limpidorum, & perfectè elaboratorum habent, qui facilius ad exterioris ſoni motum concitantur; Apollo qui iuuenis ab antiquis pingebatur, quique ab Epigrammatariis γηθόσυνος, hoc eſt, *Letus* nominatur, citharam, & ex aliquorum opinione Tibias inuenit: debuit eſſe ſanguineus rerum ad muſicam pertinentium inuentor.

V.

M*Yrtus.*] Myrto ſanguineos amantes eſſe hic indicatur, vt infra dicam. Myrtus autem cur ſtatim poſt tibiam ponatur ex lib. 9. Martiani Capellæ verſibus collige,

Puer ipſe verſiformis
Facibus ſtudet Cupido,
Arcuſq́, dulcinernes
Roſeo ligant ramali,
Feriato linquit arcu
Calamos parente muſa,
In carminis leporem
Curam negat ſagittis:
Tenerumq́, arundinetum
Noſtrum in melos relinquit.
Nunc ergo corda mulcent
Vapor & canor iugati,
Placet ac decet viciſſim
Cantemus, atque amemus.

Myrtus Veneri dicatur; an quia ad mare naſcatur è quo nata Venus? an quia Myrto coronata adſtitit iudicio Paridis, victoriamque de Pallade, & Iunone reportauit,

Κάλλεος εἵνεκα Κύπριν ὅτ' ἔειν ἠρίδησαν
Ἀθήνῃ, κόσμησεν ἐν Ἰδαίοισιν ὄρεσσι.
Quòd Venus Idæis eſt illa in montibus olim
Compta comas, vbi de forma contentio nata eſt.

ait Nicander noſter in Alexipharmacis. An quia mulieres minimè ſibi à Venere temperantes Myrto vtantur, aut abutantur potius, vt aperta libidinis veſtigia deleant. Ob illas rationes Myrtus eſt Veneris, & amantum planta. Virgilius lib. 6. Æneid. amantes in Myrteto locat:

——quos durus amor crudeli tabe peredit,
Secreti celant calles, & myrtea circum
Sylua tegit.

Sanguinei de hoc ſunt numero, facilè enim amorem concipiunt. Cum enim ſint molles, hilares, faciles, & comes, reſiſtere amori neſciunt, ex Platone in ſympoſ. calorem, & humiditatem in ſe habent libidinis incentiua, propterea feruntur in Venerem. Ad hæc. Sanguis vitæ ſedes, & materia ſpiri-

tuum in illis feruet, turget, inflat, implet, & motus mouet, vult exire qua data à natura porta eſt. Abundat ex ſeipſo & excremento, quod ſemen eſt. Hinc Veneri, eiuſque Cupidini addicti ſunt.

V I.

Fractus, & eſt radius.] Fracto Radio, ſanguineos liberales eſſe intellige, qui ſine menſura dant. Radius enim inter alia ſignificat hoſtorium, ſiue inſtrumentum, quo raduntur menſuræ. Vnde etiam prouerbium, ait Cœlius Rhodig. lib. 10. cap. 4. Sine Radio cumulare, ſeu abſque hoſtorio, quod eſt affluenter & vltra menſuram congerere. Plautus

Dy deaq́ omnes, tantam nobis lætitiam
Tot gaudia ſine radio cumuletis.

Sanguinei ſunt benefici & perliberales, propter humoris benignitatem.

Cæterum liberalitas ſtatim à Venere, Fractus Radius poſt myrtum poſitus in carmine eſt, quia amantes omnes liberales: apud Plutarchum δωρεοδόκος καὶ μεγαλόδωρον γίνεται πᾶς ἐραστής. Hinc vulgare antiquorum dictum Cupidinum, & amantum crumenam porri folio vinctam eſſe. Idem libello inſcripto, quomodo Poetæ ſint legendi: Ὃ δὲ ἄν τις μάλιστα θαυμάσειεν, φειδωλὸς ἀνὴρ καὶ μικρολόγος ἐμπεσὼν εἰς ἔρωτα, καθάπερ εἰς πῦρ σίδηρος, ἀνεθεὶς καὶ μαλαχθεὶς, ἁπαλὸς καὶ ὑγρὸς καὶ ἡδίων. ὥστε τουτὶ τὸ παιζόμενον μὴ πάνυ φαίνεσθαι γελοῖον, ὅτι πρασίῳ φύλλῳ τὸ τῶν ἐρώντων δέδεται βαλάντιον. ἐλέχθη δὲ καὶ ὅτι τῷ μεθύειν τὸ ἐρᾷν ὅμοιόν ἐστι. ποιεῖ γὰρ θερμοὺς καὶ ἱλαροὺς καὶ διακεχυμένους. id eſt, *Quódque vel maximè miretur aliquis, vir parcus ac ſordidus, ſimulac in amorem inciderit, non aliter quàm igni impoſitum ferrum, fit mollior ac tener, lentus ac ſuauior: vt non vſquequaque derediculum videatur illud quod ioco populari dicitur, Cupidinum crumenas porri folio ligatas eſſe. Dictum eſt autem ob eam cauſam, quòd amor adſimilis ſit ebrietati: reddit enim calidos, & hilares, & effuſos.* Idem Plutarchus in libello quem ἐρωτικὸν inſcribit, hoc inter amoris laudes commemorat, quòd è ſordido ſplendidum, è parco liberalem, è triſti ciuilem, è timido audacem reddit hominem. Cùm quibus Xenophon lib. de vita Socratis conſentit, his verbis: Πολλοὶ χρημάτων ἀνελεύθεροι φειδωλοὶ περὶ ἐρῶν ἐρασθέντες οὐκέτι δύναντ). Proinde Cupidinis ſiue amantum marſupium, herbaceo & fragili vinculo quod ſolui facilè vel frangi potius facillimè poſſit, ligari dicitur; Amantis enim diuitiæ non tã amantis quàm amati ſunt. Amabat Anytus Anthemionis filius Alcibiadem, qui cum aliquando latuatus ædes Anyti intraſſet, partémque mediam ſupellectilis argenteæ ſecum detuliſſet, qui aderant factum improbarunt, quaſi improbè cum Anyto egiſſet Alcibiades; quin imo feſtiuè, inquit, comiter & humanè; cum enim totam ſupellectilem auferre ius ei dediſſet meus in eum amor, partem tantum abſtulit. Iul. Cæſar cùm Seruiliam M. Bruti matrẽ amaret, ſexagies H S. margaritam ei mercatus eſt: & à bello ciuili ſuper alias donationes ampliſſima prædia eidem ex auctionibus haſtæ minimò addixit. Suetonius in Iulio cap. 50. Ex Strabone lib. 13. Antonius Cleopatræ quam deperibat non tantum ſua largitus eſt, ſed etiam omnia quamlibet pretioſa, quæ in aliis erant prouinciis in Ægyptum conuehebat, imo ipſa templa ſpoliabat ſacra anathemata diripiens. Τὰ κάλλιστα ἀναθήματα ἐκ τῶν ἐπιφανεστάτων ἱερῶν, τῇ Αἰγυπτίᾳ χαριζόμενος.

Comus qui hic ſanguineus exprimitur, adſtare dicitur à Philoſtrato, & Phornuto, thalami veſtibulo, quòd ſponſos admodum fœlices in lecto iacere iudicare ſubiiciunt; & in eadem Comi imagine multum eſſe populum, & mulierculas cum viris incedere, quæ omnia amorem Cupidinis & ſocietatis, quo ſanguinei ardere ſolent, denotant.

V I I.

Effert ſe Gradibus.] Extollit ſe in altum, & in aërem Comus, quia ſanguinei aërei ſunt, quem enim in elementis locum habet aër, habet ſanguis in humoribus. Sanguinem humidum & calidum ſupra declaraui, eaſdem aëri ineſſe qualitates iam declaro. Primò aërem humidum eſſe ex eo probatur, quòd facillimè alieno termino circundicatur, ſuo ægrè circumſcribatur; quod profectò rerum humidarum proprium eſſe nullus Philoſophus ignoret. Maximè cum Ariſtoteles libro, & capite 2. de generat. humidum eſſe ſcribat, quod non benè proprio termino, ſed alieno terminatur. Iam verò aërem eſſe calidum ex eo ſuadetur, quòd aër vi caloris generetur, vt videre eſt in olla igni ſuperpoſita. Contrà frigore corrumpitur, & in aquam mutatur, vt apparet in antris rupibus ſubiectis, vbi algore craſſeſcit aër & ſtillat. Præterea quæ aërea ſunt vt oleum, humida & calida eſſe ſcimus.

Sanguineos aptiſſimos eſſe, qui ſe gradibus efferant, dignitatéſque aſſequantur liquidò dicetur in ſequenti nota. Sat hic dicere, gradibus dignitates ſignificari. Tullius Epiſt. lib. 1. epiſt. 7. obtinere ſummum & altiſſimum gradum dignitatis. Aliæ huiuſmodi authoritates paſſim proſtant.

Quibus itur ad Aurea.] Phornutus poſt Philoſtratum, Comum foribus thalami Aureis adſtare ſcribit. Quid verò hic per Aurea tecta ſignificatur quæ Comus ſubeat? ſanguineos digniſſimos aulis principum eſſe, faciléque ſi velint primas illic conſequuturos.

Regum & Imperatorum palatia ſæpe Aurea fuiſſe legimus. Dio Chryſoſtomus oratione de Regno, & Philoſtr. lib. 1. vitæ Apollonij Palatium Regum Perſarum Aureum deſcribunt. Portæ, feneſtræ,

ſtræ, ipſi parietes Auro radiebant. Ipſa regis ſella erat Aurea, ex Diodoro Siculo lib. 17. cap. 11. Imò lectus erat Aureus, cui ſuperſtabat vitis Aurea gemmis ornata, vt ex Amyntæ libro primo de ponderibus & ſtateris refert Athen. Nero ex Cornelio Tacito lib. 15. annal. domum extruxit, in qua haud perinde gemmæ & Aurum miraculo erant, de qua ſic Tranquillus in Nerone cap. 32. Domum à palatio Exquilias vſque fecit: quam primò tranſitoriam, mox incendio abſumptam, reſtitutámque Auream nominauit. Alexandri magni tabernaculum erat Aureum, lacunaria aurata, & thronus Aureus; Athen. lib. 12. Deipnoſoph. Si quibus ad Aurea principum palatia aditus eſſe debet, ſanguinei ſunt. Aulici formoſi eſſe debent, ſanguinei formoſiores ſunt, tum viuido colore, roſeo ac florido & ſplendente ex albo & rubro mixto; tum etiam corpore non quidem multo adipe obeſo, ſed carnoſo, ex lib. 2. Temperam. multa enim caro à multo ſanguine eſt; Galen. de arte Medicinali cap. 59. Aulici læti, feſtiui, iucundi, ſalſi, faceti, eſſe debent; tales ſunt ſanguinei; ex Hippoc. enim lib. de præparatione hominis, frequenter rident, qui puriore fruuntur ſanguine; Hilares ſunt, comes, ridibundi, iucundarum rerum & hominum amantes, & vt cum Ariſtophane loquar,

——— ἐστεφανομένοι,
Γελῶντες, εὐφημοῦντες.

Coronati, ridibundi, fauſtis acclamationibus intenti. Aulici eſſe debent dociles, ingenioſi, & apti rebus omnibus. Huiuſmodi ſunt ſanguinei ob ingenij vigorem, & inſitam ex ſanguine vim. Aulici non ita facilè ira ſuccendi debent. Sanguinei non ſunt in iram proni, humiditate enim ſanguinis & benignitate feruor bilis obtunditur. Canunt, amant, dant effuſè aulici. Vide Balthaſarem Caſtagl. Sanguineos hæc eadem agere ſupra docui.

VIII.

Aurea tecta.] Sanguineo digniſſima, quia vt ferrum bilem refert, plumbum melancholiam, pituitam argentum, ita ſanguinem Aurum, vtrumque enim temperatum. Aurum, ſcribit Florentinus ille Medicus Marſilius, omnes ante omnia probant tanquam rerum omnium temperatiſſimum, & à corruptione tutiſſimum. Soli quidem propter ſplendorem, Ioui autem propter temperaturam conſecratum. Ideóque poſſe calorem naturalem cum humore mirificè temperare, humores à corruptione ſeruare, Solarem & Iouialem ſpiritibus inferre virtutem. Verumtamen oportet duriſſimam Auri ſubſtantiam ſubtiliorem facere penetratúque facillimam. Nouerunt enim cordialia tunc maximè latentem cordis recreare virtutem, quando in eis attrahendis minimè natura laborat. Vt autem minimè fatigetur, vel ſubtiliſſima iam effecta, vel cum ſubtiliſſimis ſunt exhibenda. Optimum fore putant ſi abſque aliena permixtione Aurum potabile fiat, ſin minus poſſit, contuſum, & in folia redactum accipi volunt. Aurum vt ferme potabile habeas, collige flores borraginis, bugloſſi, meliſſæ, quam citrariam nominamus. Et quando Luna (ſubiicit idem) Leonem ſubit vel arietem, vel ſagittarium, aſpicitque Solem aut Iouem, eoque eum candido ſaccharo aqua roſacea liquefacto, & pro qualibet vncia inſere diligenter Auri folia tria, ieiunus cum vino quodam Aureo ſume. Item, aquam ex capone deſtillantem foco, vel aliter conſumpto, vna cum Iulep ſume roſaceo, in quo Auri folia quædam antè contuderis. Præterea in nitidiſſimam fontis aquam Aurum extingues ignitum, cum eadem Auri contundito folia, eadem vinum Aureum temperato, & vnà cum eiuſmodi potu comedito recentem oui vitellum. Facile verò in tota corporis arbore ſeruabis humorem, ſi in radicibus conſeruaueris: Accipe igitur gallinarum & pullorum eiuſmodi, atque caponum cor, iecur, ſtomachum, teſticulos atque cerebellum, eoque aqua modica minimo ſale, cocta contunde ex tota carne, & toto iure & ſaccharo, addito tecentis oui vitellum, fac placentam modico cinnamomo, crocoque conditam, & auratam, ac veſcere eſuriens ſemel, ſaltem quarto quoque die, & tunc quidem ſola, claro tamen ad potum addito vino. Hoc Aureo victu Aureas hoc eſt ſanguineas in re virtutes hilaritatem, amorem, benignitatem, temperaturam, & alias procreabis. Addi temperaturam, quia ſanguinea temperatura omnium temperatiſſima eſt, & temperatura Auri ſignificatur. Pindarus ſic oden omnium primam orditur.

Αειστον μὲν ὕδωρ. ὁ δὲ
Χρυσὸς, αἰθόμενον πῦρ
Ατε διαπρέπει νυκτὶ.
Μεγάνορος ἔξοχα πλούτω.

Optima quidem res aqua, & aurum (velut ignis noctu ardens) coruſcat eximiè inter ſuperbificas diuitias. Quibus in verſibus Aurum inter aquam ignémque ponitur, quod temerè factum minimè credendum eſt, nimirum ſignificare voluit æqualiſſimum perfectiſſimum puriſſimúmque Aurum eſſe corporum, quæ ex elementis componuntur, ita vt ignis actio vehementiſſima, & aquæ corruptio & rubigo, eius vix poſſint perfectionem labefactare, vnde Cyrus Theodorus, Aurum ἄμαχον, id eſt, *inexpugnabile* nominauit, quæ certè quadrare ſanguini videntur. Inter bilem & pituitam nonne locum habet? num illius calorem, huius humiditatem tenet, ſed abſolutiore perfectioréque gradu? Non enim calor ſanguinis ſiccus & acer eſt, vt bilis; nec ſanguinis humiditas aquea eſt. Quo fit vt viuaciſ-

ſimi ſint qui ſanguinea ſunt temperatura, quia in calido humido longiſſima vita eſt. Hoc enim ordine ratione vitæ longioris, temperaturæ locantur ab Haly filio Abbas. Breuiſſimæ vitæ ſunt frigidi ſicci; deinde, frigidi tantùm; tertiò, ſicci tantùm; quartò frigidi; quintò calidi ſicci; ſextò, humidi tantùm; ſeptimò calidi tantùm: Poſtremò longiſſimæ vitæ ſunt calidi humidi, & contra breuioris ætatis eſſe dixi, qui qualitates iſtis poſtremis pugnantes habent, frigiditatem ſcilicet & ſiccitatem. Cùm enim vita in humido & calido cum debita quantitate & qualitate conſiſtat, tum ex omnibus noſtris doctoribus, tum ex Ariſtotele lib. de reſpirat. mors adueniet ex illorum defectu. Id cauſæ eſt cur mors definita ſit, frigiditas cordis ex humidi inopia. Iam ſanguinei cùm humidi ſint, non humore aqueo, ſed aëreo & pinguiuſculo: Et calidi etiam, non calore tenui, raro, & acri, ſed benigno: longiorem vitam ducunt. Iure igitur merito ſanguis theſaurus vitæ dicitur, quandoquidem Aurum eſt, quo vita habetur, conſeruatur, & diuturnitatem aſſequitur, cuius qui inopes ſunt vitæ etiam inopes ſint neceſſe eſt.

Dicat fortaſſe aliquis in ſuperioribus aliquid eſſe contradictorij. Diximus enim ſanguinem & ſanguineos eſſe temperatos, diximus & eoſdem eſſe calidos & humidos. At quæ calida & humida ſunt, temperata eſſe non poſſunt, nec quæ temperata, calida eſſe & humida. Dico ſanguinem modo temperatum, modo calidum, & humidum dici ab Hippocrate, & Galeno ſexcentis in locis, ſed diuerſa conſideratione. Sanguis in ſeipſo expenſus temperatus eſt, quia nullius qualitatis euidentem ὑπερβολίαν ſiue exceſſum habet. Conſtat enim ex pituita frigida & humida, ex bile calida & ſicca, & melancholia frigida & ſicca, quibus neceſſarium eſt ſanguinis maſſam temperari, & magna moderatione librari. Qua quidem conſideratione exiſtimandum, eſt ſanguinem ſæpiſſimè temperatum ab artis noſtræ principibus fuiſſe appellatum. Si verò ſanguis cum reliquis humoribus, & cum quouis eorum conferatur, nulli dubium erit quin calidus & humidus dicendus ſit. Nam Galenus lib. 2. de cauſis morb. calorem & humiditatem ſanguinis venatur collatione facta ad humores reliquos. Addo etiam inſuper, propriam & peculiarem eam eſſe ſanguinis temperiem, & vtilem corpori quod calido & humido viuit. Nam licet temperatus dicatur, id potius intelligendum eſt, quod modico exceſſu verſus calorem & humiditatem recedat, quàm quod re vera talis exiſtat: ſiquidem quarta ſubſtantia abundantior eſt reliquis ſuccis, & ea temperie reliquos coercet ac moderatur, quod ex omnibus calor & humiditas eluceat, adeo tamen moderatè, vt ferè in naturæ mediæ æquilibrio pendere videatur. Idem de vere medio maximè dicendum eſt, quod in ſe conſideratum temperatum cenſetur, quia nullius qualitatis euidenti exceſſu præpollet; cum reliquis tamen tempeſtatibus comparatum, & humidum, & calidum habetur.

Quæ ſanguineæ temperaturæ ſunt, ſatis ſupérque declarata, in Alexandro demonſtro, cuius temperatura ad ſanguineam vergebat. Sanguinei belli & venuſti ſunt, Alexander forma fuit laudabili: teſtes Lyſippi ſtatuæ. Teſtis candor ille, qui in toto corpore eluceſcebat, & in genis & pectore, vt notat Plutarchus, purpuraſcebat. Candor erat ab humida, rubor à calida ſanguinis qualitate.

Sanguinei muſica afficiuntur: Alexander Achillis lyram habebat, qua fortium virorum laudes canere conſueuerat.

Sanguinei comitate & vrbanitate præſtant, Comis & vrbanus erat Alexander. Cum è Macedonum copiis ad mare remitteret mutilos ac valetudinarios, proditus eſt quidam qui falsò inualidis ſe adſcripſerat. Is ad Alexandri conſpectum adductus, faſſus eſt ingenuè ſe ob amorem Teleſippæ ad mare profectæ morbum prætexuiſſe. Cui Rex abire permiſit, eius amori comiter indulgendo. Idem dum omnes gentes infatigabili curſu luſtraret, quodam loco niuali tempeſtate oppreſſus, ſenio iam confectum militem Macedonem, nimio frigore obſtupefactum: ipſe ſublimi & propinqua igni ſede ſedens, animaduertit: factáque non fortunæ, ſed ætatis vtriuſque æſtimatione deſcendit, & illis manibus quibus opes Darij afflixerat, corpus frigore duplicatum, in ſuam ſedem impoſuit. Idem Alexander licet violentia morbi dilaberetur, in cubitum tamen erectus, dextram omnibus, qui eam contingere vellent, porrexit.

Sanguinei clementia & humanitate antecellunt. Et Alexander excelluit. Cùm accepiſſet eſſe quendam qui conuitiis ipſum impeteret, Regium eſt, inquit, cùm facias benè, audire malè; indemnémque dimiſit.

Sanguinei vt humani ſunt, ita & liberales & munifici. Certè Alexander vt humanitate, ita largitate de omnibus merebatur. Cùm multi eius milites violentia militari, & tumultuoſo clamore imperium detractaſſent, eiulatu atque pœnitentia perculſus Alexander, eis nunc modeſtè incuſaris, nunc comiter appellaris, complures bello inutiles exauctorauit, magnificentiſſiméque donatos dimiſit. Anaxarcho Philoſopho iuſſerat quæſtorem dare, quantumcúmque ille poſtularet: cúmquè quæſtor audita poſtulatione turbatus Alexandro indicaſſet, Philoſophum petere centum talenta: Rectè, inquit, facit, ſciens ſe amicum habere, qui tantum dare & poſſit & velit. Perillus vnus ex amicorum Alexandri numero (habebat enim amicorum multitudinem, quod ſanguineorum proprium eſt) filiabus ſuis ab Alexandro dotem petiit. Iuſſit rex illum capere talenta quinquaginta, cúmque ei reſpondiſſet, decem ſatis eſſe. Tibi quidem, inquit, ſatis eſt tantum accipere; mihi verò non ſatis eſt tantum dare. Xenocrati Philoſopho quinquaginta talenta dono miſit: ea cùm ille recuſaſſet accipere,

cipere,

cipere, dicens ſibi non eſſe opus, interrogauit, anne amicum quidem vllum haberet, cui eſſet opus. Nam mihi, inquit, vix Darij opes in amicos ſufficerent.

Sanguinei lepore, & morum feſtiuitate celebrantur, Alexander à Plutarcho dicitur omnium Regum in conſuetudine feſtiuiſſimus, neque vllius exors leporis.

Sanguinei ſunt iucundarum rerum amantes, & hominum: erat & Alexander. Chares Mitylenæus refert apud Athen. Alexandrum cùm mala pulcherrima in agris circa Babyloniam reperiſſet, iis ſcaphas compleuiſſe, ac illorum iactu è nauibus vt pugnarent, imperaſſe, periucundo eo ſpectaculo, quod inde μηλομαχίαν appellarunt.

Sanguinei potores ſunt ac vinoſi. Comeſſationes amant cum Como, qui à Philoſtrato, & Phornuto, præ vino rubicundus ac ebrius pingitur. Alexander vinolentus à Plutarcho, Arriano, Curtio, & Athenæo deſcribitur, nec hic opus hederam dare Baccho, notus omnibus eſt.

Sanguinei cum amicis iocvlariter verſantur, gaudent rident, recreantur, & potant. Alexander gaudens, ridens, iocans, & commeſſabundus dies ſeptem Carmaniam peragrauit. Illum equi octo compoſito gradu vehebant, ſequebantur currus frequentes, partim purpureis, & picturatis tapetibus partem arborum virentium ramis inumbrati, quibus alij vehebantur amici & duces coronati potantéſque. Videres non cetra, non galea, non ſariſſa: ſed phialis, pateris, calicibúſque milites per ludum armatos, dum circunſonabant omnia loca fiſtulis, tibiis, carminibus, cantilenis, & mulierum circunludentium plauſibus. Gedroſiæ ludos ſpectauit cum incredibili voluptate. Ecbatanis ſpectacula, & ſolemnes dies indixit. Bagoam in theatro deoſculatus eſt.

At ſanguinei amaſij ſunt; Alexander verò temperantiſſimus fuit, qui Darij filias, & eius vxorem formoſiſſimam captiuas licet, non violauit? Amori etiam deditus fuit Alexander, vt ex Dicæarcho, & Caryſtio probat Athenæus lib. 13. Sed cohibuit ille ſeſe. Hæc enim verba ſunt authoris. *Vt ad amorem propenſior fuit Rex Alexander, ita in eo, quod honeſtiſſimum ac maximè decorum eſt, temperans.* Concludam verbis Q. Curtij lib. 10. in quibus ſanguineam indolem graphicè deſcriptam videas. Liberalitas ſæpe maiora tribuentis, quàm à Diis petuntur: clementia in deuictos: tot regna aut reddita, quibus ea dempſit bello, aut dono data: mortis, cuius metus cæteros exanimat, perpetua contemptio: gloriæ, laudiſque vt iuſto maior cupido, ita vt iuueni, & in tantis admittenda rebus. Iam pietas erga parentes, quorum Olympiada immortalitati conſecrare decreuerat, Philippum vltus erat. Iam in omnes ferè amicos benignitas, erga amicos beneuolentia: conſilium par magnitudini animi, & quantam vix poterat ætas eius capere, ſolertia: modus immodicarum cupiditatum, Veneris iuxta naturale deſiderum vſus: nec vlla, niſi ex permiſſo voluptas. Ingentes profectò dotes erant.

Symbola.] Symbola præter alia ſignificata quæ miſſa facio, dicuntur ſigna quædam quaſi ænigmata rei alicuius occultæ & reconditæ, quæ etiam συνθήματα; & ἀλληγορήματα dicuntur, qualia fuerunt Symbola Pythagorica, de quibus, vide Laërtium lib. 8. vide etiam quæ de hieroglyphicis infra habeo.

MELAN-

MELANCHOLICVS.

EMBLEMA IV.



Saturnus requieſcit humi, manus ora coercet,
Et ſenio tardos plumbea vincla pedes.
Impalleſcentem libro terebrata dioptra,
Polypus & cingit, triſtificuſq́ lepus.
Et ſicci hic ponunt foliorum examina rami:
Iſta Melancholici ſunt hieroglyphica.

Hieroglyphica.

SATVRNVS, hieroglyphicum, *MELANCHOLICI.* num. I.
TERRA, hieroglyph. *MELANCHOLIAE.* num. II.
INDEX AD OS ADMOTVS, hieroglyph. *SILENTII.* num. III.
SATVRNVS, hieroglyph. *TEMPORIS.* num. IV.
PLVMBVM, hieroglyph. *MELANCHOLIAE.* num. V.
DIOPTRA, hieroglyph. *PRVDENTIAE.* num. VI.

POLYPVS, hieroglyph. { *Tenacitatis.* num. VII.
Malignitatis, & Fraudulentiae. num. VIII.
Auaritiae. num. IX.
Somniorum horrendorum. num. X.
Curarum. num. eod.
Timoris. num. XI.
Solitudinis. num. eod.
Famis impatientiae. num. XII.
Ciborum ſalſorum amoris. num. eod.
Breuioris vitae. num. eod. } *MELANCHOLICI.*

LEPVS,

LEPVS, hieroglyph.
- *Triſtitiæ.* num. XIII.
- *Vigilantiæ.* num. XIV.
- *Timoris.* num. XV.
- *Maciei.* num. XVI.
- *Edacitatis.* num. eod.
- *Libidinis.* num. XVII.
- *Solitudinis.* num. eod.
- *Solertiæ.* num. XVIII.

DECIDVI RAMI, hieroglyph. *AVTVMNI.* num. XIX.

I.

HÆC Melancholica conſtitutio, præcedenti, ſanguineæ ſcilicet, in omnibus aduerſatur. Melancholici autem nomen, non pro eo qui Melancholico morbo laborat hic accipitur, licet ita vt plurimum ab auctoribus vſurpetur; ſed pro eo in quo plurimum eſt Melancholici chymi. De hoc nomine infra.

Saturnus.] Melancholica conſtitutione qui eſt, Saturno exprimitur, tam enim Saturnus Melancholicus, quàm Iupiter lætus. Moroſoph. Emblemata 50.

Eſt grauis iſte ſenex, ſed lætus Iupiter, ambos
Allicit, & iungit docta Minerua ſimul.
Triſtia qui miſcet lætis, & gaudia luctu,
Temperat, hic Pylij ſæcula regis aget.

Et certè nihil in Saturno niſi Melancholica videas. Filios vorat, virilia reſecat, in compedes conicitur, in tartarum detruditur, à Ioue ligatur. Et Saturni ſacrificiis quid triſtius, quando Carthaginenſes ſuos illi filios immolabant? vt author eſt Plutarchus περὶ δεισιδαιμονίας; & Phœnices etiam, vt teſtatur Apollodorus apud Porphyrium, quem & allegat in huius rei teſtimonium D. Cyrillus contra Iulianum lib. 4. Et Saturno planeta quid magis Melancholicum? lib. 7. Epigrammatων Græcorum, vbi varia variis planetis dantur attributa Saturnus στυγνὸς, hoc eſt, *triſtis* dicitur. Firmicus Maternus ſcribit Saturno in ſecundo ſigno ab Horoſcopo per diem exiſtente, reddi homines Melancholicos, latentes, abſconſos, ſolitudinis amantes, quæ certè cum Hebræo, Syriaco, & Phœnicio Saturni ethymo appoſitè conueniunt; סתר *Sathar* enim nihil niſi abſconſum notat, quod Melancholicorum, vt Timoris vitium eſt. Hic aliqua ex primo ἀποτελεσμάτων Ptolemæi apponam, quæ & ad hunc locum, & ad alia ſubſequentia faciet. Illic dicitur Saturni ſidus frigidum eſſe & ſiccum, quæ Melancholiæ qualitates ſunt vt infra dicam. Frigoris ratio eſt, quia ſit à ſole remotius, ſiccitatem parit interiectum à terra ſpatium. Martem Solis propinquitas torret, ac ſiceſcere facit, Iouem temperatum reddit, hinc Saturni frigus, illinc Martis incendium, præcipuè tamen calefacere, quia Martis, & Solis ſphæris incumbat. Venus vt Luna humida eſt, quod & ipſa luminis copia terræ vapores attrahit, recipit tamen ex propinquo caloris vim. Et ſimilia quæ videas. Noſtra lingua Gallica Melancholicos Saturnios vocat, & Ronſardus Poëtarum noſtrorum coryphæus, Saturni nomen triſtitiæ dat.

Requieſcit.] Quia Saturnus ſenex. Virg. lib. 7.

Saturnuſq; ſenex. ——

& quia βαρύγουνος, hoc eſt, *grauibus & tardis genibus*, apud Nonn. in Dionyſiacis, eſt. Et Melancholici graues, & tardi ſunt, non tantum genibus, ſed & toto corpore, imò & in omnibus ſuis actionibus,

—— *mouent formicinum gradum.*

vt ait Plautus in Menæch. de quodam Medico loquens.

I I.

HVmi.] Humi iacet Saturnus, quia Melancholia terræ ſimillima ex Platone in Timæo. Quod & ante Platonem dictum fuerat, ſcilicet ab Hipp. de Compoſ. corp. hum. Melancholicus humor, vt ibidem habetur, frigidus & ſiccus eſt. Galen. lib. 2. de temperamentis, & lib. 3. de partib. affectis, & ibid. Thomas Rodericus Aveiga, quæ quidem qualitates in terra ſunt: ex Medicorum, philoſophorúmque conſenſu. Imo ex ſacris codicibus ſiccitas terræ probari poteſt. Dicitur enim cap. 1. Geneſ. Et vocauit Deus aridam, terram, nimirum ob maximam eius ſiccitatem, vt interpretatur D. Ambroſ. lib. 1. Exam. cap. 4. & D. Baſilius homil. 4. Si quis rationem poſcit, adeat Ariſtotelis citatum locum cùm humiditatem aeris probauimus, & ſicci definitionem illic acceptã huc transferat

terræque det, eo pacto quo humidi definitionem aëri adſcripſimus. Frigidam verò eſſe terram experientia comprobatur. Videmus enim terram pro naturali ſua conſtitutione affectam corpora ſibi appoſita circumgelare. Terra quia frigida & ſicca, grauis etiam eſt. Etiam Melancholici omnifaria grauitate corporis ſcilicet & animi, graues ſunt. Galen. In nat. hum. nimirum quia frigidi & ſicci ſunt.

I I I.

MAnus ora coercet.] Συνεκδοχικῶς Manus pro digito à pollice proximo. Oris coertio facta indice taciturnitatem ſignificat. Martianus Capella de nupt. Philol. lib. 1. Quidam redimitus puer ad os compreſſo digito ſalutari (qui index) ſilentia commonebat. Apul. lib. 1. Aſini aur. At ille digitum à pollice proximum Ori ſuo admouens, & in ſtuporem attonitus, Tace, tace, inquit. Ægyptij Harpocratem ſilentij Deum celebrabant. Vide Goropium Becanum libris 4. 5. & 6. hierogl. vbi ille multa non multum: Romani verò, Angeronam digito Ori impreſſo in ara Volupiæ colebant. Vide D. Auguſtin. lib. 18. cap. 5. de Ciuitate Dei. Titi Liuij imaginem videre eſt, vt refert Valerianus, ſupra fores prætorij Patauini, in qua digitus os comprimit, nempe quod is ſcribendo tam multa ſit complexus, vt ſcriptoribus cæteris alter Harpocrates ſilentium indixerit.

Hic igitur digiti admotione Ori taciturnitas Melancholicorum denotatur. Cur autem Melancholici taciturni? quia frigus cùm viuentium actiones retardet, vt videre eſt ſummâ hyeme, in qua animalia ſegnia & torpida ſunt, adeo vt plurima, vt annotat Galen. lib. 1. Aphor. Comment. 15. ſimilia mortuis appareant, cùm ſine ſenſu ac motu in latibulis iaceant. Non mirum ſi Melancholici, quos frigidos dixi, paucorum verborum ſint homines, rarius & parcius linguam mouendo. At illa taciturnitas non tam vitio linguæ eſt verborum dædalæ, quàm voluntaris. Organum enim logicum nullo impedimento præpeditur in Melancholicis, quos interdum videmus magna volubilitate verba rotare. Id ergo euenit pertinacia, fandi negligentia, & animo ad aliquid aggrediendum tardo, & abiecto. Nam ex Hippocrate Coac. lib. 2. αἱ μετὰ σιγῆς ἀθυμίαι μελαγχολίαν σημαίνουσι. *Animi deiectiones cùm ſilentio Melancholiam ſignificant.*

I V.

ET ſenio.] Saturnus ſenex erat ex Virgil. ſupra citato, quippe qui pater fuit Iouis, qui à Poetis ſæpius dicitur, [illegible]

[illegible] τὸ Σπάρτο.

Guil. Perrierius Embl. 7. Saturnum ſenectuti ductorem facit,

Decrepitam dicit Saturnus ture ſenectam:

Cui iam vita, dolor: mors properata, ſalus.

Senili grauitate pingebatur, vt Vincentius Cartari annotat. qua enim alia forma pingi potuit, qui tempus rerum omnium à Deo antiquiſſimum, quódque rebus antiquitatem dat, repræſentabat. At quomodo tempus antiquiſſimum? diſcamus ex D. Auguſtino lib. 1. de Geneſi contra Manichæos non longè à limine. Sed & ſi in principio temporis Deum feciſſe cœlum & terram credamus, debemus vtique intelligere, quod ante principium temporis non erat tempus. Deus enim fecit & tempora. Et ideò antequam faceret tempora, non erant tempora. Non ergo poſſumus dicere fuiſſe aliquod tempus, quando Deus nondum aliquid fecerat. Quo modo enim erat tempus, quod Deus non fecerat, cum omnium temporum ipſe ſit fabricator? Et ſi tempus cum cœlo & terra eſſe cœpit, non poteſt inueniri tempus, quo Deus nondum fecerat cœlum & terram. Cùm autem dicitur, quid ei placuit ſubito, ſic dicitur, quaſi aliqua tempora tranſierint quibus Deus nihil operatus eſt. Non enim tranſire poterat tempus, quod nondum fecerat Deus, quia non poteſt eſſe operator temporum, niſi qui eſt ante tempora. Certe & ipſi Manichæi legunt Apoſtolum Paulum, & laudant, & honorant: & eius epiſtolas malè interpretando, multos decipiunt. Dicant ergo nobis quid dixerit Apoſtolus Paulus, Agnitionum veritatis, quæ eſt ſecundum pietatem Dei in ſpem vitæ æternæ, quam promiſit non mendax Deus ante tempora æterna. Æterna enim tempora quid ante ſe habere potuerunt? Hoc ergo cogantur exponere, vt intelligant ſe non intelligere, cum temerè volunt reprehendere, quod diligenter quærere debuerunt. *Et paulo poſt.* Non coæuum Deo mundum iſtum dicimus, quia non eius æternitatis eſt hic mundus, cuius æternitatis eſt Deus: mundum quippe fecit Deus, & ſic cum ipſa creatura quam Deus fecit, tempora eſſe cœperunt. Et ideo dicuntur tempora æterna, non tamen ſic ſunt æterna tempora, quo modo æternus eſt Deus, quia Deus eſt ante tempora, qui fabricator eſt temporum. Cum igitur de rebus creatis nihil ſit tempore antiquius, tempori ſenilem formam merito datam dicamus. Tempus verò Saturno figuratum ex Macrob. lib. 1. Saturn. cap. 4. diſcimus, ex quibus & ea quæ ex D. Auguſtino retuli confirmantur. Saturnum aiunt abſcidiſſe Cœli patris pudenda: quibus in mare deiectis, Venerem procreatam: quæ à ſpuma vnde coaluit, *ἀφροδίτη* nomen accepit. Ex quo intelligi volunt cum Chaos eſſet, tempora non fuiſſe. Siquidem tempus eſt certa dimenſio, quæ ex cœli conuerſione colligitur. Tempus cœpit inde. Ab ipſo natus

putatur

putatur Κρόνος (Saturnus) qui χρόνος (hoc eſt tempus) eſt. Cùmque ſemina rerum omnium poſt cœlum gignendarum de cœlo fluerent: & elementa vniuerſa, quæ mundo plenitudinem facerent, ex illis ſeminibus funderentur, vbi mundus omnibus ſuis partibus membriſque perfectus eſt, certo iam tempore finis factus eſt procedendi de cœlo ſemina ad elementorum conceptionem: quippe quæ iam plena fuerant procreata. *Et poſt.* Falcem Saturno quidam putant attributam, quòd tempus omnia metat, exſecet, & incidat. Hunc aiunt filios ſuos ſolitum deuorare, eoſdémque rurſus euomere. Per quod ſimiliter ſignificatur, eum tempus eſſe à quo vicibus cuncta gignantur, abſumantúrque, & ex eo denuò renaſcantur. Eundem à filio pulſum, quid aliud eſt, quàm tempora ſeneſcentia, ab iis quæ poſt ſunt nata depelli? Ex quibus quàm meritò ſenectus temporibus onuſta hoc Saturno denotetur, cuilibet patet. At cur ſenectutis tam longa hic mentio? quia illa ætas Melancholiæ imprimis ſubeſt. Apud Eurip. in Bacchis ſic Cadmum alloquitur Agaue:

> *Ὡς δύσκολον τὸ γῆρας ἀνθρώποις ἔφυ,*
> *Ἔν τ' ὄμμασι σκυθρωπόν.*
> *Vt moroſa ipſa ſenectus apud homines eſt,*
> *Et in oculis tetricum.*

Senes enim ſicci & frigidi. Galenus lib. 5. de ſanitat. tuenda. Eſt, *inquit*, id quod omnes homines propriè ſenectutem appellant, non aliud quàm ſiccum & frigidum corporis temperamentum. Idem in arte Med. cap. 100. Ipſæ particulæ ſolidæ ſicciores, & idcirco eorum vires ſunt imbecilliores, atque earundem ratione corpus vniuerſum frigidius. Macies, gracilitas, rugæ ſenum ſiccitatem comprobant. Id. rurſus lib. 1. de ſanit. tuend. paulò à princ. In eo verò quod ſequitur tempore, omnibus iam partibus ſupra iuſtum ſicceſcentibus, non ſolùm cuiuſque officium minus probè adminiſtratur, ſed etiam corpus ipſum macilentius graciliúſque quàm antè, redditur. Ergo vltra ſiccatum, non macilentius modò, verum etiam rugoſum efficitur. Frigidi verò ſunt, quia calor innatus actione ſua continua, longa dierum annorúmque ſerie *ἀναγκαῖον* neceſſariò elangueſcit. Frigiditatis argumentum habes in ipſorum tremore. Tremor enim oritur ex Ariſtotelè Sectione 3. probl. 5. cum corpus admodum friget: vel externi frigoris violentia, vt hyberno tempore cum

> *——— gelidus per dura cucurrit*
> *Oſſa tremor.*

Aut naturali calore extincto, quod fieri ſolet vel qualitate contraria, vel ætate,

> *——— vt cum felicior ætas*
> *Terga dedit, tremulóq; gradu venit ægra ſenectus.*

Ouidius 14. Metamorph. Melancholicus hic deſcribitur ſenex, triſtis, humi iacens: ſenex quidem propter rationes allatas: triſtis autem, & humi iacens, præter dictas rationes vel dicendas, quia ſenectus quæ Melancholiam comitatur, humilis, abiecta eſt, & mœſta. D. Ambroſ. ſerm. 18. in Pſal. 118. Non mirabilis humilitas in ſenectute, quæ effœta viribus, fracta debilitatibus, triſtis doloribus, anhela ſuſpiriis, coacta curarum æſtibus, & ipſo viuendi mœſta faſtidio, alacritatem eſt oblita iactantiæ.

Tardos.] Tardiuſculi ſunt Melancholici tum in corporis, tum in animi actionibus propter rationes iam allatas. Pulſus Melancholicorum etiam tardus & rarus: omnia in illis aliquid tarditatis habent. Et id cauſæ eſt cur Saturnus Melancholicorum præſes fingatur ligatus; vt nota proximè ſequenti dicam.

V.

P*Lumbea vincla pedes.*] Saturnus in carcerem fuit compactus, compedibúſque detentus. Sibylla Erythræa;

> *Ἡνίκα δ' ἤκουσαν Τιτῆνες παῖδας ἐόντας*
> *Λάθριον, οὓς ἔστερξε Κρόνος τε Ῥέη τε σύνευνος.*
> *Καὶ ῥ' ἄγ' ἐν δεσμοῖσι Κρόνον τε Ῥέην τε σύνευνον*
> *Κρύψαν δ' ἐν γαίῃ, καὶ ἐν ζωσμοῖς ἐφύλαξαν.*
> *Aſt vbi Saturni Titan de ſemine natos,*
> *Deq; Rhea ſenſit, trahit hos in vincula vtroſque,*
> *Condens ſub terra, vincliſq; coercuit illos.*

In his verſibus Sibyllinis notabis Saturnum ſub terra vinctum cum Rhea, quæ terra eſt, vt docetur in commentariis in quartam Philoſtrati Epiſtolam pag. 107. & 108. quod abſque cauſa minimè factum. Indicant ſcilicet illi verſus, Saturnum, hoc eſt Melancholiam cum terra qualitatibus coniunctum eſſe. Hinc infero rectè dictum in Emblemate, *Saturnus requieſcit humi.*

Aliud quippiam ſignificari docet Macrob. lib. 1. Saturn. cap. 8. dum quærit, cur Saturnus ipſe in compedibus viſatur: Verrius Flaccus cauſam ſe ignorare dicit: Verùm mihi Apollodori lectio ſuggerit; Saturnum Apollodorus alligari ait per annum laneo vinculo, & ſolui ad diem ſibi feſtum, id eſt, menſe Decembri. Atque inde prouerbium ductum, Deos laneos pedes habere. Significari verò

decimo menſe ſemen in vtero animatum in vitam grandeſcere, quod donec erumpat in lucem, multibus naturæ vinculis detinetur: Aliam cauſam habet in fine capitis, vinctum fuiſſe Saturnum ſcribens, quòd certa lege naturæ connexa ſint tempora: vel quòd omnes fruges quibuſdam vinculis nodiſque alternentur.

At fuit laneis pedicis ligatus, cur ergo hic dantur Plumbea vincula Saturno? quia Plumbum Saturno, & Melancholicis dedicatur, vt ſupra ſcripſi. Philetas Poëta Cous ſoleis Plumbeis vſus in calceis eſt, ne à vento propter corporis exilitatem efferretur. Qui Melancholica ſunt conſtitutione, quod Philetas in pedibus, habent illi in capite, non omnibus cogitationum flabris feruntur, maturè omnia agunt, & vt Fabius Maximus,

[illegible] *cunctando reſtituunt rem.*

nihil inconſideratius agunt, ſciunt & obſeruant dictum Democriti Ætoli, nullam rem eſſe tam inimicam prudentiæ & conſiliis quàm celeritatem. Præcipitata nulla reuocari pœnitentia in melius poſſe.

Impalleſcentem libro] Perſiana dictio Satyra 5. quia ſtudiis pallor contrahitur

At te nocturnis iuuat impalleſcere chartis.

Melancholici ſtudij amantes ſunt, quia iidem ſolitudinis amantes.

Scriptorum chorus omnis amat nemus, & fugit vrbes.

Horat. lib. & Epiſt. 2. hæc ratio eſt Arnaldi à Villanoua in cap. 92. de conſeruanda valetud. Sed alias rationes doctiori indagine cum Ficino expiſcemur.

Cur qui ſtudio addicti ſunt Melancholici ſint, & Melancholici ſtudio adducti, tres potiſſimum rationum ſpecies afferri poſſunt. Prima cœleſtis, ſecunda naturalis, tertia eſt humana. Cœleſtis, quoniam Mercurius, qui vt ſcientias inueſtigemus inuitat, & Saturnus qui efficit, vt in doctrinis inueſtigandis perſeueremus, inuentáſque ſeruemus, frigidi quodammodo ſiccique ab Aſtronomis eſſe dicuntur: vel ſi forte Mercurius non ſit frigidus, fit tamen ſæpe ſolis propinquitate ſicciſſimus, qualis eſt natura apud Medicos Melancholica: eandémque naturam Mercurius ipſe, & Saturnus literarum ſtudioſis, eorum ſectatoribus impertiunt ab initio, ac ſeruant augéntque quotidie. Naturalis autem ratio eſſe videtur, quòd ad ſcientias præſertim difficiles conſequendas, neceſſe eſt animum ab externis ad interna, tanquam à circunferentia quadam ad centrum ſeſe recipere, atque dum ſpeculatur in ipſo, vt ita dixerim, hominis centro ſtabiliſſimè permanere. Ad centrum verò circunferentia ſeſe colligere, figique in centro, maximè terræ ipſius eſt proprium, cui quidem Melancholia perſimilis eſt. Igitur atra bilis animum, vt ſeſe colligat in vnum, & ſiſtat in vno contempletúrque aſſiduè prouocat. Atque ipſa mundi centro ſimilis, ad centrum rerum ſingularum cogit inueſtigandum, euehitque ad altiſſima quæque comprehendenda: quandoquidem cum Saturno maximè congruit altiſſimo planetarum. Contemplatio quoque ipſa viciſſim aſſidua quadam collectione, & quaſi comprehenſione, naturam Melancholiæ perſimilem contrahit. Humana verò ratio & Medica hæc eſt: Quoniam frequens agitatio mentis, cerebrum vehementer exiccat: igitur humore magna ex parte conſumpto (quod caloris naturalis pabulum eſt) calor quoque plurimum ſolet extingui, vnde natura cerebri ſicca frigidáque euadit, quæ quidem terreſtris & Melancholica qualitas nominatur. Præterea ob frequentiſſimum inquiſitionis motum, ſpiritus quoque moti continuè reſoluuntur: Reſolutos autem ſpiritus, ex ſubtiliore ſanguine inſtaurari neceſſarium eſt. Quapropter ſubtilioribus clarioribúſque ſanguinis partibus ſæpe conſumptis, reliquus ſanguis neceſſariò denſus redditur & ſiccus & ater. Accedit ad hæc quòd natura in contemplatione, cerebro prorſus cordíque intenta, ſtomachum eparque deſtituit. Quare alimentis præſertim vel vberioribus vel durioribus malè concoctis, ſanguis inde frigidus craſſúſque efficitur. Demum nimio membrorum ocio, neque ſuperflua excernuntur, neque glutinoſi, tenaces, fuſcique vapores exhalant. Hæc omnia Melancholicum ſpiritum generant.

V I.

T*Erebrata dioptra.*] Inſcitia inciſoris aſtrolabium non Diopteram hic vides. Dioptra eſt inſtrumentum geometricum, quo diſtantia, altitudo, latitudo, & locorum longitudo è longinquo deprehenditur per minuta foramina, tranſmiſſa oculi acie, & interuallum colligente. Foraminoſus ille caniculus qui viſum colligit & dirigit, propter quem terebrata hic Dioptra, hoc eſt, terebra forata, διαυλιον Polybio dicitur. Stoflerinus de vſu aſtrolabij Diopteram & eius foramina ſequentibus verbis deſcribit. Adeſt, *inquit*, regula quæ extenſa ſuperponitur tabulæ inſtrumenti, in cuius capitibus binæ erectæ ſunt tabellæ aut pinnæ, quæ ad accipiendas altitudines ſolis & ſtellarum, ſeu ad geometricalium menſurarum ſcientiam bina habent foramina ſibi reſpondentia: hæc Arabicè vocatur Alhidada id eſt verticulum, quia in ſuperficie inſtrumenti vertitur & mouetur, eleuatur & deprimitur. Græcè Dioptra, id eſt, ſpeculatrix qua res mathematicas ſcrutamur & exactè conſideramus, quam alij vocant mediclinium, quia in medio climatis, id eſt, tabulæ rotundæ conſiſtit: alij haud ineptè radium dici volunt ob id, quia diſtantiis locorum metiendis (quod Geometrarum officium eſt) ſeruiat.

ſeruiat. Per huius medium porrigitur linea recta, quæ non ab rè linea fiduciæ nominatur.

Datur autem Melancholico Dioptra, quia ex Tullio lib. 1. de diuinitat. Melancholicus habet aliquid in animo præſagiens atque diuinum. Ille non alia quàm mentis Dioptra, hoc eſt, ſolertia non tantum locis diſſita, ſed temporibus, vt quæ ſunt futura aliquando detegit Melancholicus. Illius enim mentis vis acrior & expeditior, nimirum propter ſiccitatem, à principiis ſenſuum iudicio conſtitutis exorſa, longius progreditur ratiocinando inueſtigandóque, & eruit ac texit inde longè plura concinna ſerie & methodo, rectè dextréque accommodatis principiis, & arguté formatis connexionibus ſyllogiſticis, tandem rem venturam infert. Melancholico humore non tamen plus æquo excedente, nec praua aliqua qualitate affecto, homines prudentiores eſſe nemo it inficias, quia cùm denſos ſpiritus obtineant rerum ſimulachra concepta diu retinent, ſicciore cerebro adiuuante, nec aliis eas commutant, quo fit vt eaſdem res variis cogitationibus voluentes, & reuoluentes quæ fieri poſſint ac debeant longa meditatione perquirunt, tandémque inueniunt, prædicunt, & cauent. Sapiens enim non tantum præteritorum meminit, præſentia agit, ſed & futura quantum mentis ſolertia aſſequi poteſt prædicit, & præcauet, vt dicit Iſocrates apud Stobæum ſerm. 1. Et hoc eſt per prudentiæ Dioptram, diſtantia è longinquo deprehendere, & res omnes exactè perſcrutari.

Ariſtoteles Sect. 30. probl. 1. ſcribit ex Melancholia quoſdam diuinos euaſiſſe; & Sibyllas a naturali Melancholica humorum complexione, fuiſſe diuinatrices atteſtatur. Quemadmodum & Plato etiam in Menone, in Phædro, & in Ione, quod equidem à ſola Melancholia id factum non dixerim.

V I I.

Polypus, & cingit.] Polypum ita deſcribit Ariſtoteles lib. 4. hiſt. de animal. Polypus brachia ſua ad officium tum manuum, tum pedum accommodat, namque duobus quæ ſupra os habet; iis admouet ori cibum. At quod omnium poſtremum eſt, eo vtitur ad coitum. Eſt autem inter cætera acutiſſimum, & ſolum obalbidum, & mucrone duplici, ſinu cano, & ſitum ſuper dorſo: vocatur autem dorſum hic, pars ea læuis à qua brachia prorſum prodeunt. Ante alueum ſupra brachia fiſtula caua eſt, qua mare alueo exceptum reddit cùm quippiam corpore ſumpſerit. Mouet autem eam tum in dexteram, tum in ſiniſtram: ea etiam atramentum emittit. Nat obliquus, tendens pedes ſupra id quod caput appellatur. Eique ita euenit vt, quia oculos in vertice habet, quæ antè ſunt proſpiciat, os autem ponè ſit, caput quandiu viuit durum, & quaſi inflatum habet.

Hic Polypus hieroglyphicum eſt tenacitatis, quia ſi quid acetabulis ſiue brachiis, quæ ſunt illi loco manuum & pedum amplectatur, firmiſſimè tenet. Polypus ille Euclio apud Plautum,

Ego iſtos noui polypos, qui vbi quid tetigerint, tenent.

Ouidius Metamorphoſeωn lib. 4.

Vtque ſub æquoreis deprenſum polypus hoſtem
Continet, ex omni demiſſis parte flagellis.

Phocylides in ſuo morali poëmate,

Μηδ' ἕτερον κεύθῃς κραδίῃ νόον ἄλλ' ἀγορεύων
Μηδ' ὡς πετροφυὴς πολύπους, κατὰ χῶρον ἀμείβου.
Pectore néve aliud celes, aliúdve loquare,
Proq́ loco varieꝫ, petris vti polypus hærens.

Gregorius Nazianzenus ſcribit; ſi quis de cauernis trahere per vim velit, aut de ſcopulis Polypum; aut è ſaxis aliquid euellet, aut è carne ipſius ſcopulis adhærentem portionem relinquet. Ariſtoteles libro citato de illius acetabulis tenaciter hærentibus ſic habet, *ἅπτεται καὶ κατέχει ταῖς πλεκτάναις ὑπτίαις· καὶ ὁ μεταξὺ τῶν ποδῶν ὑμὴν, ἐκτείνεται πᾶς.* Prehendit autem & retinet brachiis incuruatis, atque ibi membrana quæ inter pedes eſt, tenditur vniuerſa. Idem Ariſtoteles de tenacitate Polypi, nonnihil detrahit dum ait. Quòd ſi in arenam inciderit, impotens fit ad retinendum, quod quidem falſum bona tanti viri venia eſſe dico. Arenam enim ipſam retinere aliquando vidi, & ſe vidiſſe etiam aſſerit Iul. Cæſ. Scaliger ſcribens, Polypum arenam retinere, ſed illius partes cùm non ſint continuè, eo pacto, hoc eſt, continuè non poteſt retinere. Plinius lib. 9. cap. 29. veſtigiis Ariſtotelicis inſiſtens, poſtquam dixit, per brachia velut acetabulis diſperſis, hauſtu quodam adhæreſcunt, tenent ſupini vt auelli non queant, addit, vada non apprehendunt. Apprehendunt, ſed ea ratione qua dixi. Idem capite ſequenti. Polypus luctatur complexu, & ſorbet acetabulis, ac numeroſo ſuctu detrahit, cùm in naufragos vrinantéſque impetum cepit. Et ſtatim poſt eleuare eius videtur tenacitatem, aduerſando iis quæ præcedenti capite dixerat, & quæ retuli. Sic enim ille: Sed ſi inuertatur elangueſcit vis. Conciliari illa duo loca poſſunt dicendo: ſi Polypus dentes altius infixit etiam ſupinum firmiter tenere. alioquin reſupinari vim facilè elangueſcere. Non eſt prætereundum grandibus minorem eſſe tenacitatem, cùm maior eſſe deberet.

Melancholici propter tenacitatem Polypi ſunt. Auari, ſoluere lenti, parci, iræ & propoſiti tenaces, nimirum ob ſiccitatem quam in ſe habere dixi. Quis neſcit quæ in re ſicca cælata ſunt, diutius ha-

tere, quàm quæ in fluida. Infindat fallaci aratro altos ſulcos in madido littore Vlyſſes, Praxiteles verò incidat ſuas Veneres in marmore, quod erit perennius? ſculptura ſicci marmoris, licet ſulci altiores fuerint.

V I I I.

POlypi maligni ſunt, inuidi, fraudulenti. Inſidiantur conchis apertis, impoſitóque lapillo extra corpus, ne palpitatu eiiciatur, ita ſecuri graſſantur, extrahúntque carnes: illæ ſe contrahunt, ait Plinius, ſed fruſtra, diſcuneatæ. Malignitatis, rapacitatis, & fraudulentiæ miram refert hiſtoriam Ælianus. Puteolis oppido Italiæ auditum eſt Polypum in mirandam altitudinem creuiſſe, & ſpreto neglectoq; maritimo victu in continentem proceſſiſſe, & terrena quædam deprædatum eſſe. Cumq; per ſubterraneum ſpecum Puteolanas ſordes in mare tranſmittentem in maritimam domum aſcendiſſet, vbi mercatorum ex Iberia res, ſalſamentáque in magnis vaſis eſſent, brachiorum circumplexione vaſa primò ſtrictè comprimentem corrupiſſe, deinde ſalſamenta depopulatum fuiſſe. Mercatores verò ingreſſos, vbi dolia diſrupta inſpexiſſent, & permagnum earum rerum, quas naui aduexiſſent, numerum exhauſtum deprehendiſſent, ſtupuiſſe. Ac nimirum cùm ab inſidiis fores integras, tecta ab omni irruptione intacta, parietes non perfoſſos intuerentur. Quiſnam populator fuiſſet, nulla coniectura aſſequi potuiſſe: At enim cùm reliquias conditorum piſcium animaduerterent, eos conſtituiſſe, ex domeſticis audaciſſimum armatum intus in inſidiis ponendum eſſe: Polypum verò noctu ad aſſuetas tanquam epulas adrepentem reuertiſſe: Et tanquam Athleta aduerſarium ſtrictiſſimè correptum ſuffocat, ſic flagellis vaſa circumplicantem perfregiſſe. Eum porrò qui inſidias moliretur, etiamſi Lunæ fulgore domus illuſtraretur, omniáque conſpicua eſſent, non tamen, quoniam ſolus eſſet, beſtiæ tantæ metu perterritum, hanc aggreſſum fuiſſe, ſed manè mercatoribus totam rem explicaſſe: Quod quidem, ipſum ij audientes, ei fidem enarratarum rerum non habebant. Deinde tum negotiatores ob tantum acceptum detrimentum, periculi memoria depoſita, conſenſerunt ſimul ingredi & congredi cum hoſte, tum alij inuſitati, & incredibilis ſpectaculi ſtudio ſua ſponte ſeſe auxiliatores vna in domo illa concluſerunt. Poſtea verò quàm ſub veſperam inſolita dolia fur inuaſiſſet, ex eis partim cloacam obſtruebant, partim armis tecti in hoſtem irruentes, dolabris & cultris acutiſſimis eius brachia abſcindebant. Cúmque quemadmodum frondatores, & putatores arborum robuſtiſſimos ramos ſecant, ſic ij ipſius membra circuncidiſſent, tandem vix non pauco labore eum ipſum confecerunt, atque oppreſſerunt. Carteianus Polypus Puteolanum ſequatur. Carteiæ in cætariis aſſuetus exire Polypus, è mari in lacus eorum apertos, atque ibi ſalſamenta populari, conuertit in ſe cuſtodum indignationem aſſiduitate furti immodici. Sepes erant obiectæ, ſed has tranſcendebat per arborem: nec deprehendi potuit, niſi canum ſagacitate; Hi redeuntem circumuaſere noctu, conciti que cuſtodes expauere nouitatem. Primùm omnium magnitudo inaudita erat, deinde color muria obliti, odore diri. Quis ibi Polypum expectaſſet, aut ita cognoſceret? cum monſtro dimicare ſibi videbantur. Namque & afflatu terribili canes agebat, nunc extremis crinibus flagellatos, nunc robuſtioribus brachiis clauarum modo incuſſos, ægréque multis tridentibus confici potuit. Oſtendere Lucullo caput eius dolij magnitudine, amphorarum quindecim capax, atque (vt ipſius Trebij verbis vtar) barbas (hoc eſt flagella & cirros) quas vix vtroque brachio complecti eſſet, clauarum modo toroſas, longas pedum x x x. acetabulis ſiue caliculis vrnalibus peluium modo, dentes magnitudini reſpondentes. His vides hiſtoriis malignitatem, & artes veteratorias Polyporum, quæ Melancholicorum vitia eſſe ſolent.

I X.

POlypus omnia venatur & colligit, in cubiliíque ſuo recondit, teſtas, cancrorum cruſtas, vmbilicorum putamina, ſpinas piſciculorum conuehit. Veſcuntur, ait Plinius, conchyliorum carne, quorum conchas complexu crinium frangunt; itáque præiacentibus teſtis cubile eorum deprehenditur. Omnia in domum comportat, dein putamina eroſa carne egerit, adnatantéſque piſciculos ad ea venatur. Quid aliud hoc eſt, quàm auaritia qua Melancholici infici ſolent. Pro queſtu etiam tenui, maxima quoque, vt ait ille, pericula adeunt. Quorum quidem ea conſuetudo eſt, vt dum venantur quid in ædes inferant, nihil ſordidum ac turpe defugiunt: nec pro exiguo quidem lucello ab infamia iter detorquent, ſed cupiditate habendi, comparandarúmque diuitiarum ac rei amplificandæ ardore nimio incenſi præcipitéſque, cuncta vndique corradunt, non parcunt illiberalibus, nec abſtinent ſordidis: quippe quibus nullus amicitiæ, nullus religionis, nullus honeſti, nullus denique famæ cultus, aut reſpectus eſt; lucro qualecúmque ſit illud cuncta poſthabentes. Itaque & vnde & à quibus minimè licet, & ſupra quàm opus eſt, & quàm decet quacúmque ratione capiunt. Quid, capiunt? tolerabilius hoc eſſet, furantur, depeculantur, compilant, intercipiunt, auferunt, extorquent, dolo, vi, fraude, malis artibus, omniq́ue impuritatis ac flagitij genere.

X.

PLutarchus in libello qui inſcribitur, quomodo ſint adoleſcentibus audiendi Poetæ, non longè à principio ſcribit, eſum Polypi ſomnia parere triſtia, ac formidoloſa. Vnde eius eſum interdicebant iis qui cuperent ex inſomniis præſcire futura: quemadmodum & fabarum, vt refert idem Plutarchus in ſymposiacis, caro enim eius & fabæ ſunt Melancholici cibi. Certò Melancholia ſomnia gignit terribilia, vt mortis, cadauerum, ſepulchrorum, cruciatuum, etiam & dæmonum. Ratio eſt quia atros progenerat ſpiritus, qui deinde in cerebro horrendas animo imagines exhibent.

Polypus ſua ipſe brachia rodit. Horus Apollo lib. 2. hierogl. 106. ἰσχνὸς ἐὰν ἀπορήσῃ τροφῆς τῆς ἀπὸ ἄλλων, τὰς ἰδίας πλεκτάνας ἐσθίει. *Is ſi victu aliunde quæſito indiguerit, ſua ipſe comedit acetabula.* Quod Melancholicorum proprium eſt, qui curarũ & ſolicitudinum dente ſeipſos rodunt atque conficiunt.

X I.

POlypus adeo meticuloſus eſt, vt minimo vel ſtrepitu audito, vel piſcatore viſo colorem mutet, quod Athenæus libro 7. & Plinius lib. 9. innuunt. Melancholici etiam timidi ſunt, ex Hippoc. lib. 6. Aphor. 23. Galen. lib. 3. de locis affectis, & lib. 2. de cauſis Symptom. Ratio eſt, quia cùm vapor Melancholiæ niger & piceus in ſubſtantiam cerebri fertur, eam quibuſdam tenebris inuoluit, quibus anima circunfuſa perturbatur, & formidat, non quòd illa Melancholica caligo, eã immediate turbet; ſed animales ſpiritus primum ſentientis animæ inſtrumentum, qui cùm debeant eſſe ſplendidi, ſi vapore Melancholico obſcurentur, phantaſia ſplendore quem à ſpiritibus habere debet priuata, conturbatur, & ex conturbatione timet. Videmus pueros & rudes mulierculas, atque etiam viros minimè viriles, ſi in aliquo ſint loco opaco & ſine lumine, timore perhorreſcere, dæmones, lemures, lycanthropos, μορμολυκεῖα, & ſimilia ſibi adeſſe imaginari. Haud diſpari ratione Melancholici tenebricoſa phantaſia perturbantur. Certiſſimum enim eſt quemadmodum Polypus ex Ariſt. lib. 9. hiſt. habet atramentum quod in timore effundit, quodque ſi in lucernam infundatur amotis reliquis luminibus, adſtantes omnes picea nigredine, fœdatos oſtendet, ita vt Æthiopes videantur: Sic Melancholicus vaporum quodam veluti atramento abundat, quo per cerebrum effuſo, multa animo horrenda repræſentantur.

Polypus in ſcopulos maris excauatos ſe recipit: & Melancholicus ſolitudine maximoperè delectatur, quia cùm temperies Melancholica ſpirituum triſtitiam generet, & rerum odium ex quibus lætitia promanat: hinc fit vt à Melancholico vitetur ſocietas humana à qua recreamur dicente Pſaltregio Pſal. 132. Eheu quam iucundum habitare in vnum: & Tullio orat. ad Quirites poſt red. haud multum à principio: Amicitiæ, conſuetudines, vicinitates, &c. quid habeant voluptatis, carendo magis intellexi, quàm fruendo.

X I I.

POlypus famis impatiens eſt, vt ex ſupradictis colligere licet. Melancholicus minus de omnibus famem patitur, quia fames à ſucco Melancholico excitatur. Portiuncula enim illius humoris à liene ad ventriculum fertur (ſiue per venam coronariam, vt vult Princeps Arabum, ſiue per alias, quas Galenus inueſtigat) vbi frigiditate & auſteritate ſua ventriculum corrugat, vnde appetentia.

Polypus dulcia omnia refugit, ob eamque rationem non inueniuntur in Ponto Polypi: quia mare illud abundantiſſimo aquarum dulcium affluxu, ſupra aliorum æquorum ſaporem dulceſcere quodammodo videatur. Et ſcopulis ſi Polypus adhæreſcat ea firmitate qua ſupra dixi, aquæ dulcis aſpergine amouebitur. Quantum verò auerſatur dulcia, tantum ſalſamenta amat, pernas, tomacula, & cibos omnes qui ſapiunt,

Id quod marina miſit aura piſcina.

cuius rei fidem faciunt Carteiani, & Puteolani illi Polypi quos antè memoraui. Melancholici dulcia non amant, amant verò cibos ſalarios vt plurimum, propter humorem acrem & ſiccum ventriculi tunicis impactum.

Polypus eſt breuioris æui ſcribente Ariſtotele lib. 9. hiſtor. de animal. τὰ μὲν ἐν πλεῖστον γένος τῶν πολυπόδων, οὐ διετίζει. *Pauciſſima genera Polyporum biennium viuunt.* Melancholici etiam contractioris vitæ ſunt. Cum enim longior vita ſit à calida & humida complexione, qualis eſt ſanguinea, vt prius probaui; ſequitur vt breuior futura ſit à complexione contraria quæ ſicca & frigida, qualis eſt Melancholica, vt à me antea declaratum.

X I I I.

T*Riſtificúſque lepus*}. Lepus aſcribitur Melancholico, primo propter triſtitiam, quam denotat adiunctum. Triſtis enim naturæ eſt id animal, & eius caro comedentibus Melancholiam ingenerat,

nerat, Melancholia verò triſtitiam. Quis enim ignoret actiones animi ſequi temperiem corporis & humorum, ab iiſque variè affici per ſpiritus ſplendidos aut tenebricoſos. Splendidi animo afferunt & offerunt læta ſub amœna ideæ: at atri, quales qui à Melancholia vt ſupradixi, turbida mœſtáque ſimulachra animo exhibent: ſic Melancholia triſtitiæ parens eſt, triſtitia contra Melancholiæ mater, mutuam enim ſibi dant operam. Præterea quemadmodum calor & humiditas temperata, gaudium ingenerant: ita qualitates contrariæ frigiditas & ſiccitas, quæ in hoc humore deprehenduntur, triſtitiam ingenerabunt.

Opponet aliquis auctoritatem Medici illius Cappadocis Aretæi qui Græcè ſcripſit, & Iacobi Pharuiij Medici Regienſis qui Leporinam carnem commendant. Ego verò eis opponam Hippocratem, Galenum, Paulum Æginetam, Simeonem Sethi, Michaelem Pſellum, & cum doctiſſimis illis rationes. Hippocrates lib. de diæta. Caro, *inquit*, Leporina ſicca & adſtringens, lotium aliquantiſper mouet. Galenus lib. 3. de locis affect. cap. 6. plurimas enumerando quæ Melancholicum ſanguinem gignunt; Atque magnam, *inquit*, in huiuſmodi ſanguinis generatione vim obtinet ex Lepore cibus. Et de aliment. facult. lib. 3. cap. 2. Caro Leporum ſanguinem gignit craſſiorem. Et in comment. de attennante victu; vtilem eam dicit in victu exiccante, non autem attenuante, quia craſſum ſanguinem gignit. Paulus ab Ægina lib. 1. de arte Med. cap. 84. cum Galeno conſentit, ſcribens ſuccum illam craſſum habere. Pſellus etiam inter cibaria atram bilem gignentia eam connumerat. Simeon Sethi in libro de cibariis, quem Michaeli Ducæ Imperatori dicat, quæcumque ab antiquioribus dicta fuerant recolligens; Carnes, *inquit*, Leporum, his qui exiccare corpus volunt, valdè conducunt, minimè verò his qui temperatura ſunt ſicciore, ſanguinem quippe gignunt craſſatum partium, & Melancholicum.

Iam verò vt ad rationes veniam cum Ferrarienſi Medico, Ioanne Manardo aliqua ſupponenda ſunt. Primò quidem, quòd cum de temperatura cuiuſpiam rei Medici loquuntur, non de ea loquuntur, quam in ſe, vel quo ad totam naturam habent (ad Philoſophum enim ſpectat hæc conſideratio) ſed hominis conſideratione: ita vt id calidum aut frigidum, humidúmque vel ſiccum dicatur, quod humanum corpus calefacere, frigefacere, humidúmque vel ſiccum reddere poteſt. Secundò ſupponendum, eſcas & medicamina in hoc conuenire, quod vtraque in nos agunt, & à nobis patiantur: in hoc differre quòd medicamenta agunt quidem potius, quàm patiantur. Tertiò, cibos tandiu medicamenti rationem ſubire, quandiu in ſanguinem mutantur: vbi verò perfectè in ſanguinem verſæ ſunt, ſiue calidæ, ſiue frigidæ fuerint, ab eis ſemper calorem augeri. Quartò, eſcas etiam vbi penitus mutatæ à nutriento vi ſunt, poſſe corpus reddere multò quàm eſſet antea frigidius, ſi videlicet *plus* frigidorum humorum, pituitæ ſcilicet, & nigri humoris, quàm boni ſanguinis, & bilis generent. Ex his quatuor ſuppoſitis colligitur, qua via inueſtiganda ſit, & Leporinæ carnis, & cuiuſque cibi temperatura. Non enim extrinſecæ cuiuſpiam rei vel conſideratione vel comparatione id metiendum, ſed relatione ad corpus humanum iudicium faciendum: ex hoc quippe habet quid, vt ſit homini cibus, quòd talem habet cum homine, ſimilitudinem, vt conuerti in eius ſubſtantiam poſſit: hoc enim eſt, & non aliud, quod facit aliquam rem, & dici, & eſſe hominis eſcam. Et licet agere dum mutatur in corpus hominis aliud poſſit: non propter hoc eſca, ſed medicina dici debet. Si quis igitur rectè iudicare voluerit Leporidæ carnis, quatenus eſca eſt, temperaturam, agnoſcere eum in primis oportet, in quos humores à calore humano concocta vertatur: quod certè non niſi ex longo vſu dignoſci euidenter valet. Omnia enim nutrientia, vt Galenus ait lib. 5. de temper. alterant aliquo modo corpus, ſed obſcurè, dum ſemel tantum accipiuntur: Verum ſi longo tempore offerantur, valdè alterant, atque manifeſtè corpora immutant. Et lib. 1. de alim. facult. Cibi cognitio vix in multo tempore ex determinata experientia rectè fit. Et Hippocrates in Epidem. Cibi & potus experientia egent. In hoc ergo indicio, quod longo experimento innititur, ſtandum antiquorum obſeruationi, præſertim quando illis rationes quoque aliæ conſentiunt, quas Galenus ab extrinſeco acceptas vocat: inter quas multum valida ea, quæ à carnis ipſius ſubſtantia aſſumitur, quæ certè in Lepore (nam de lepuſculo non loquor, tantum enim hic ab illo differt quantum caro vitulina à bubula) dura ſatis apparet. Facit autem hæc durities, vt ſerò & paulatim nutriat. Quæcumque enim dura carne conſtant, vt ait Galen. in Aphor. 18. lib. 2. tardius & paulatim nutriunt, quod non leuo frigiditatis argumentum eſt. Quemadmodum enim id quod facilè concoquitur & celeriter nutrit, eſt quo ad nos calidum, Galeno teſte, in fine lib. 3. de Temper. ita è contrario quod tardè & paulatim, eſt quo ad nos frigidum. Facile enim in ſubſtantiam noſtram conuertitur, quod cum natura noſtra maiorem habet ſimilitudinem: atque id difficilius, quod magis diſſimile. Sumus autem nos à prædominio humidi & calidi. Eſt præterea eadem durities euidens indicium ſiccitatis, vt ex lib. de Temper. allato colligit Galenus. Licet enim non omne durum ſit ſiccum, id tamen durum quod neque à vehementi calido duratum eſt, neque à vehementi frigido congelatum, proculdubio eſt ſiccum. Tanta autem caliditas eſſe in Lepore non poteſt, vt carnem eius induret: nec tanta frigiditas, vt congelet. Quare cùm ſit dura omnino, omninò etiam ſicca eſſe videtur: alioqui & ipſa ſola durities eam in numero bonarum carnium eximit, Galeno teſte, libro de attenuante victu. Non moror Martialis carmen,

Inter quadrupedes gloria prima Lepus.

ſed multò magis auctoritatem Galeni qui lib. 3. de alimentorum facult. cap. 18. Sanguis, *inquit*, ad coquendum eſt difficilis. Leporinus autem, vt ſuauiſſimus, celebratur. Si ſanguis Leporis ſuauiſſimus exiſtit, ex illis verbis Galeni, quomodo eius caro ſuauiſſima non exiſtet. Reſpondebo non ſemper membra cum ſanguine conſentire. Lac nihil aliud eſt ex Ariſtotele libr. 4. de generat. animal. cap. 8. quàm ſanguis dealbatus: lac tamen vaccinum butyro abundat, contra carnis naturam quæ ſicca eſt. Et carnis vaccinæ ius pinguiſſimum eſt, ſuauiſſimúmque, caro verò arida. Iam ad conſenſus quos habet Lepus cum Melancholicis gradum facere tempus eſt.

X I V.

Lepus vt ſcribit Ælianus libro & capite tertiis decimis ſolus animalium, non oculos claudit cùm ſomnum capit, nec ſomno eius palpebræ cedunt. *Οὐ μὴν ἐπιμύει καθεύδων ὁ λαγὼς, καὶ τοῦτο αὐτῷ ζώων, μόνῳ πρόσεστιν.* Horus Apollo ſcribit Ægyptios patulum quippiam ſignificare volentes, Leporem pingere, *διὰ τὸ πάντοτε τοὺς ὀφθαλμοὺς ἀνεῳγότας ἔχειν τοῦτο τὸ ζῶον. Quòd ſemper apertos habeat oculos hoc animalis genus.* A Suida & à Nonno, quem & ipſe Suidas ex Ægypto doctiſſimum vocat; *δερκεύνης* dicitur, id eſt, *inter dormiendum videns.* Melancholici ſomnus non huic diſſimilis eſt. Breuis eſt propter cerebri ſiccitatem, quæ ſomno obeſt ex omnibus tum Philoſophis tum Medicis, & inter cæteros Auicenna & etiam Galeno qui lib. 3. de locis affect. ſcribit, ſenes ob ariditatem somnis vexari. Cùm dormit Melancholicus, vigilare videtur propter triſtia inſomnia à fumis, & vaporibus Melancholicis excitata, quibus facilè expergiſcitur.

Xenophon non tantum de Leporis inſomni ſomno, ſed & de vigiliis eius loquitur dum ſcribit: Leporem palpebris clauſis vigilare, ad apertis dormire. Melancholici præter quòd leui ſomno ſunt, dum vigilant altis cogitationibus inhærent,

Obſtipo capite, & figentes lumine terram.

ita vt vigilantes vigilare non videantur.

X V.

Timidus eſt Lepus: vnde, vt Iulius Pollux ait in Onomaſt. *πτὼξ* dicitur à *πτώσσειν* quod eſt *timere.* Galen. ad princ. librorum de vſu part. Ceruo autem, *inquit*, & Lepori (timida enim ſunt animalia) velox quidem eſt corpus, ſed nudum omninò & inerme, timidis enim, opinor, velocitas quidem: arma verò audacibus conueniebant. Homerus Iliad. χ. hoc Lepori dat adiunctum de aquila loquens,

Ἁρπάξων ἢ ἄρν' ἀμαλὴν ἢ πτῶκα λαγωόν.

Rapiens aut ouem teneram aut timidum Leporem. Et Iliad. ρ. ſolitariè *πτῶκα* vocat, quaſi Lepus ſit ipſo Timor. Herodotus in Thalia leoni animali ſcilicet audaciſſimo Leporem opponit. Miſoponerus Satyr. 4.

Omnibus eſt ſub corde Lepus, nemo excutit illum
Vt quondam Oenotrias generoſa Britannica turmas
Irruptura, Timor linguamq́; ſtylumq́; coercet.

hic timorem Leporem vocat, alludendo ad Bunduicæ Britannicæ virilis animi fœminæ factum. Illa centum viginti millia militum quibus præerat, hortata, vti ſcribit Xiphilinus in Nerone, *λαγὼν ἐκ τοῦ κόλπου προήκατο μαντείᾳ τινὶ χρωμένη. Leporem è gremio dimiſit ominis capiendi cauſa.* Demoſthenes oratione in Æſchinem *λαγὼ βίον ἔζης, δεδιὼς καὶ τρέμων, καὶ ἀεὶ πληγήσεσθαι προσδοκῶν.* id eſt, *Leporis vitam viuebas timens ac tremens, ac ſemper expectans vt vapulares.* Hinc Poeta Cornificius fugientes præ timore milites ſuos, galeatos Lepores per opprobrium appellabat. Melancholicos meticuloſos eſſe quis dubitet, cum ita loquatur Hippocrates, *Ἢν φόβος καὶ δυσθυμίη πολὺν χρόνον διατελέῃ, μελαγχολικὸν τὸ τοιοῦτον. Si Metus cum triſtitia perſeuerent longo tempore, Melancholicorum hoc eſt.* Cauſa autem cur Melancholici timidi ſint inquiritur à Galeno libro 3. de locis affect. cap. 8. & ab Auerroë lib. 3. Colliget cap. 4. ille atro Melancholiæ colori cauſam timoris adſcribit: iſte temperamento. Ego neutri contradicens & colori & temperamento cauſam aſſigno: Melancholia cùm frigida ſit, effectus producit effectibus à calore contrarios. Calor facit homines audaces, promptos, agiles; frigus contra timidos, & lentos. Qui frigido ſunt temperamento vt ſenes, fœminæ, & qui proximè ad fœminas accedunt eunuchi, timidi ſunt, inania etiam formidant, illis leui de cauſa,

——— frigidus horror
Membra quatit, gelidúſque coit formidine ſanguis.

Melancholia cùm frigida ſit non ſolum cerebrum refrigerat, ſed cor etiam, quod generoſæ facultatis illius quæ iraſcibilis dicitur, ſedes eſt. Galen. in arte Medica inter ſigna frigidi cordis timorem ponit, quod & ſcribit lib. 3. de placit. & Auicenna 1. 3. tract. 4. cap. 14. Ardore illo audaciæ parente imminuto, debet imminui audacia contra timor augeri. Eadem Melancholia cum nigra ſit, vt alias,

oſtendi, ſpiritus animales qui puri, ſubtiles, & clari eſſe debent, incraſſat, infuſcat, opacat, & quodam veluti fumo, obtenebrat, & ita cauſa eſt, vt omnia obiectiuè repræſententur ſenſibus interioribus ſub ſpecie opaca horrendáque, vnde timor.

X V I.

LEpores & cuniculi ex Plin. lib. 11. cap. 37. non pingueſcunt: Melancholici etiam vt plurimum macri, ex Galeni libro tertio de locis affect. & ex experientia. Ratio datur à Sapiente prouerb. cap. 17. ſpiritus triſtis exſiccat oſſa. Alia ratio eſt, quia Melancholici laudabilis ſanguinis inopes ſunt. Alia etiam ratio eſt quam affert Mart. Ruland. lib. 2. his verbis: quia lien omnem aqueum humorem cuius alliciendi cauſa deſtinatus ad ſe rapit, & ab hepate ſanguinis ergaſterio auertit, ne ab eius venis captus, cum ſanguine in corpus deriuetur, humidiorem temperiem eidem conciliando.

Lepus edax eſt, cibum dentibus malè præparat, & ſtatim deglutit. Vnde ventriculus oneratus, cibum remittit in os, vbi rurſus eatenus præparatur, quatenus à ventriculo facilè confici queat: Natura edax animal faciens, cæcum ei inteſtinum dedit, non quidem paruum, vt aliorum, ſed ampliſſimum & capaciſſimum omnium, quò eſſet veluti ſecundus quidam ventriculus, vbi chylus vltimo perficeretur: Siquidem huiuſmodi inteſtinum materia chyloſa refertum ſemper inuenitur. Melancholici malè cibos conficiunt, edaces ſunt & famelici, vt experientia docet, & ratio ſuadet. Omnes acidi ſucci vt primum ventriculi os attingunt, appetentiam mouent, id quotidiano cognoſcimus experimento dum acetum, omphacium, & eiuſmodi acida cibis admiſcentur, quo deiectus appetitus irritetur. Quod ex Galeno diſcimus, oris ventriculi deiectam appetentiam, acidis fructibus, & ſuccis reparando. Fames enim ſequitur acrem quendam morſum, & ventriculi corrugationem. Iam humor Melancholicus cum ſit acidus, aciditate ſua ad famem excitandam vim habet ventriculum corrugandi, ad quem ex Arabum ſententia à liene mittitur. Et ex Galeno lib. 5. de vſu part. quem in hanc rem citat Franſc. Valeſius controuerſ. Medic. lib. 1. cap. 20. Vt veſicula fellea expurgat ſanguinem qui in hepate gignitur à bilioſi excrementi multitudine, & quam bilem traxerat, ad inteſtina deinde remittit alicuius vtilitatis gratia: ita lien à Melancholico excremento purgat, quod deinde in ipſum reiicit ventriculum: id quod non ſine magna commoditate fuerit à natura ſummè alioqui artificioſa, inſtitutum. Nempe vt ventriculum corrugaret, vt in eodem libro dicit Galenus, & per conſequens appetentiam excitaret, vt Auicenna clarè affirmat.

X V I I.

LEpus laſciuus eſt, ideóque ſub pomo Veneris arbore ex Scholiaſte Ariſtophanis in nubibus, latitantem inducit Philoſtratus, & Cupidines deinde cum eo luſitantes. Hebræi cum genere maſculino omnia animalia efferre ſoleant, hoc ſolum fœminino extulerunt, quaſi velint indicare molle eſſe & effeminatum. Herodotus eius laſciuiam, & fœcunditatem his verbis deſcribit in Thalia: *Τοῦτο μὲν, ὅτι ὁ λαγὼς ὑπὸ παντὸς θηρεύεται θηρίου, καὶ ὄρνιθος, καὶ ἀνθρώπου. οὕτω δή τι πολύγονόν ἐστι, ἐπικυΐσκεται μοῦνον πάντων τῶν θηρίων. καὶ τὸ μὲν δασὺ τῶν τέκνων ἐν τῇ γαστρὶ, τὸ δὲ, ψιλὸν. Τὸ δὲ ἄρτι ἐν τῇσι μήτρῃσι πλάσσεται. τὸ δὲ, ἀναιρέεται. τὸ μὲν δὴ τοιοῦτό ἐστι. Vnde fit vt Lepus, quem omnia venantur, fera, ales, homo, tam ferax ſit: ſoláque ex omnibus beſtiis, cùm grauida eſt, etiam impleatur, & alium fœtum in vtero geſtet pilis veſtitum, alium nudum, alium tantum non formatum: alium concipiat. Et Lepus quidem talis eſt.* Melancholici etiam laſciui ſunt ex Ariſtotele, quia flatulenti ſunt, vt ex eorum palpitationibus & borboriſmis frequentibus patet: flatus autem ita ſtimulant, & ad venerea excitant, vt ſine illis quod in laſciuia maximè requiritur, lorum ſit in aqua maceratum. Præterea quia craſſus humor ſiue phlegmatis, ſiue atræ bilis interdum vel in ſplene, vel in hepate, vel in meſenterio Melancholicorum exardeſcit, qui cum quodammodo ebulliat; inflatur vicináſque partes excalfacit.

Lepus ſolitudinem amat, rarò enim aut nunquam duo in eodem cubili verſantur, nec ſuos Lepuſculos, vt notat Plutarchus animalium ſolertiam inquirens, in eodem reponit cuniculo, ſed in diuerſis, iugeris vnius interuallo ſeparatis. Vndè forte ab Hebræis *Saphan* dicitur, quod occultationem ſignificat. Melancholici ſolitudinis amantes ſunt, quod triſtium proprium eſt. Melancholicus ille Bellerophon præ triſtitia ſyluas & deſerta peterrabat.

X V I I I.

LEpus ſolers eſt. Ariſtot. lib. 1. hiſtor. de animal. *Τὰ δὲ φρόνιμα, οἷον λαγὼς, δασύπους. Alia ſapientes* (ingenioſæ vertit Gaza) *vt Lepus, cuniculus.* Cum enim Lepus ſe recipit cubitum, ne deprehendi queat, multum hac illac diſcurrit, veſtigiáque variis gyris & ambagibus miſcet & perturbat, tandémque longiore ſaltu infert ſe in latebras. Idem decurſo ſpatio retroſpicit, laſſus clunibus ſolis demiſſis conſidit: vt capite erecto hoſtem ſpeculetur: idem ſentes, ſarmentáque propter ſcini-

tam porrecta, prærodit eouſque, quoad iter curſuro laxiùs fiat ſublatis impedimentis. Melancholici etiam ingenioſi, ex Ariſtotele Sect. 30. problem. 1. quem Cicero lib. 1. Tuſcul. quæſtion. his verbis citat: Ariſtoteles ait omnes ingenioſos Melancholicos eſſe, vt ego me tardiorem eſſe non moleſtè feram. Plato, & ex eo Ariſtoteles ſcribunt, Melancholicos nonnullos interdum adeò ingenio excellere, vt non humani, ſed diuini potius habeantur. Quod vt probet Ficinus duplicem eſſe ſcribit Melancholiam, alteram quidem, naturalem à ſcientiæ noſtræ doctoribus appellatam, aduſtam alteram. Naturalis illa nihil eſt aliud, quàm denſior quædam ſicciórque pars ſanguinis. Aduſta verò in quatuor partes diſtribuitur. Aut enim naturalis Melancholiæ, aut ſanguinis purioris, aut bilis, aut ſalſæ pituitæ corrubuſtione concipitur. Quæcunque aduſtione naſcitur, iudicio & ſapientiæ nocèt: nempè dum humor ille accenditur atque ardet, concitatos furentéſque facere ſolet: quam Græci Maniam vocant; At quando iam extinguitur, ſubtilioribus clarioribúſque partibus reſolutis, ſoláque reſtante fuligine tetra, ſtolidos reddit & ſtupidos; quem habitum Melancholiam propriè & amentiam, vecordiámque appellant. Sola igitur atra bilis illa, quam diximus naturalem ad iudicium nobis ſapientiámque conducit. Neque tamen ſemper. Sanè ſi ſola ſit, atra nimium denſaque mole offuſcat ſpiritus, terret animum, obtundit ingenium. Si verò pituitæ ſimplici miſceatur, cùm frigidus obſtiterit circum præcordia ſanguis, craſſa quadam frigiditate, ſegnitiem adducit atque torporem. Atque vt denſiſſimæ cuiuſque materiæ natura eſt, quando eiuſmodi Melancholia frigeſcit, ad ſummum frigiditatis intenditur. Quo in ſtatu nihil ſperatur, timentur omnia, tædet cœli conuexa tueri; Si bilis atra vel ſimplex, vel mixta putreſcit quartanam gignit febrem, lienis tumores, & multa generis eiuſdem. Vbi nimis exuberat, ſiue ſola ſit, ſiue coniuncta pituitæ, ſpiritus craſſiores facit atque frigidiores. Continuò animum afficit tædio, mentis aciem hæbetat, nec ſalit Arcadicò circum præcordia ſanguis. Oportet autem atram bilem neque tam paucam eſſe, vt ſanguis, bilis, & ſpiritus quaſi fræno caleant. Vnde inſtabile ingenium labilémque memoriam eſſe contingat: neque tam multam vt nimio pondere prægrauati dormitate, atque egere calcaribus videamur. Proinde neceſſarium eſt, omnino eam eſſe quoad eius natura patitur ſubtiliſſimam. Si enim tenuara pro natura ſua maximè fuerit, poterit forſitan abſque noxa etiam eſſe multa: atque etiam tanta vt æquare bilem ſaltem pondere videatur. Abundet igitur atra bilis, ſed tenuiſſima, non careat humore ſubtilioris pituitæ circunfuſo, ne areſcat prorſus duriſſimáque euadat. Non tamen miſceatur omnino pituitæ; præſertim vel frigidiori vel mitiræ, ne frigeſcat: Sed bili ſanguiníque adeò miſceatur, vt corpus vnum conficiatur ex tribus, dupla ſanguinis ad reliqua duo proportione compoſitum. Vbi octo ſanguinis partes duæ bilis, duæ iterum atræ bilis portiones exiſtant. Accendatur aliquantulum à duobus illis atra bilis, accenſaque fulgeat, non vratur: ne quemadmodum ſolet materia durior, dum feruet nimium vehementius vrat & concitet. Dum verò refrigeſcit, ſimiliter frigeſcat ad ſummum. Bilis enim atra ferri inſtar, quando multùm ad frigus intenditur, friget ad ſummum: Quando contrà ad calidum valdè declinat, calet ad ſummum. Neque mirum videri debet atram bilem accendi poſſe facilè, atque accenſam vehementius vrere. Siquidem videmus calcem illi ſimilem, aqua perfuſam, feruere ſtatim, atque exurere. Tantam ad vtrunique extremum Melancholia vim habet vnitate quadã ſtabilis, fixæque naturæ. Quæ quidem extremitas cæteris humoribus non contingit ſummè quidem calens ſummam præſtat audaciam, imo ferocitatem; extremè verò timorem ignauiámque extremam. Mediis verò inter frigus calorémque gradibus affecta variè, affectus producet varios, non aliter quàm merum præcipuè potens, bibentibus ad ebrietatem, vel etiam paulò liberius, affectus inferre varios ſolet. Igitur opportunè temperata ſit atra bilis oportet. Quæ cum ita moderata eſt, vt diximus, & bili ſanguiníque permixta, quia & natura ſicca eſt & conditione quantum ipſius natura patitur tenuiſſima, facilè ab illis accenditur, quia ſolida eſt atque tenaciſſima, accenſa ſemel diutiſſimè flagrat, quia tenaciſſimæ ſiccitatis vnitate potentiſſima eſt, vehementius incaleſcit: Quemadmodum lignum in paleis ſi vtraque accendantur, magis diutiúſque calent & lucent: Atqui à diuturno vehementíque calore, fulgor ingens, motúſque vehemens & diuturnus proficiſcuntur. Huc tendit Heracliti: lux ſicca, anima ſapientiſſima. Quæret fortè quiſpiam, quale ſit corpus illud humoris eiuſmodi ex tribus illis humoribus, ea qua diximus proportione conflatum? Tale eſt fermè colore, quale aurum eſſe videmus, ſed aliquantum vergit ad purpuram. Et quando tam naturali calore, quàm vel corporis vel animi motu accenditur? ferme non aliter quàm ignitum, rubénſque aurum, purpureo mixtum calet & lucet, atque velut iris trahit varios flagrante corde colores. Quæret aliquis iterum quonam pacto humor eiuſmodi conducat ingenio? Nempe ſpiritus ex hoc humore creati, primò quidem ſubtiles ſunt, non aliter quàm aqua illa quam, & vitæ ſeu vitis aquam nominant & ardentem, quoties ex craſſiori mero, quadam ad ignem diſtillatione, vt fieri ſolet, exprimitur. Spiritus enim ſub anguſtioribus atræ bilis ciuſmodi compreſſi meatibus vehementiore ob vnitatem calore, maximè tenuantur, pérque arctiores meatus expreſſi ſubtiliores erumpunt. Deinde calidiores ſimiliter, atque eadem ratione lucidiores, tertio, motu agiles, actione vehementiſſimi: quartò, ſolido ſtabilíque humore iugiter emanantes, actioni diutiſſimè ſeruiunt. Tali autem animus noſter obſequio fretus indagat vehementer, perſeuerat inueſtigando diutius. Facilè quæcunque inueſtigauerit, inuenit, clarè perſpicit, ſyncerè diiudicat, ac diu retinet iudicata

Adde quòd quemadmodum in ſuperioribus ſignificauimus, animus inſtrumento ſiue incitamento eiuſmodi, quod centro mundi quodammodo congruit, atque vt ita dixerim, in ſuum centrum animum colligit, ſemper rerum omnium & centra petit & penetralia penetrat: Congruit inſuper cum Mercurio atque Saturno: quorum alter omnium planetarum altiſſimus inueſtigantem euehit ad altiſſima. Hinc Philoſophi ſingulares euadunt, præſertim cùm animus ſic ab externis motibus atque corpore proprio ſeuocatus, & quàm proximus diuinis, diuinorum inſtrumentum efficiatur. Vnde diuinis influxibus oraculiſque ex alto repletus noua quædam inuſitatáque ſemper excogitat, & futura prædicit. Quod non ſolùm Democritus atque Plato affirmant, ſed etiam Ariſtoteles in problematum libro, & Auicenna confitentur.

X I X.

ET *ſicci his ponunt foliorum, &c.*] Foliis deciduis autumnus hic ſubintelligendus, Virgil. lib. 6. Æneid.

Quàm multa in ſyluis autumni frigore primo
Lapſa cadunt folia.

Et lib. 2. Georg.

Et iam olim ſeras poſuit cùm vinea frondes,
Frigidus & ſyluis aquilo decuſſit honorem.

Hinc Oppianus lib. 1. Cyneg. ver vocat φυλλοτόκον *folia producens*, autumnum verò φυλλοχόον, *fluentem foliis.*

Εἴαρι φυλλοτόκῳ, καὶ φυλλοχόῳ φθινοπώρῳ.

Decidunt autem folia autumnali tempeſtate propter defectum humidi ſuſtinentis & alentis folia, quod maximè deſit in autumno ob ſiccitatem. Cùm enim præcedat æſtiua ſiccitas, & autumnalis ſubſequatur cum frigore, nihil ſupereſt foliis vnde poſſint conſeruari. Autumnus enim qualitatibus veri aduerſatur, quemadmodum Melancholica temperatura ſanguineæ. Hæc calida & humida eſt, illa verò frigida & ſicca: ita ver calidum & humidum, quæ duo vitam fouent & tuentur: autumnus autem ſiccitate & frigiditate infamis eſt; hæ enim duæ qualitates vitæ ſunt infenſiſſimæ, vt ex ſuperioribus liquet. Non igitur mirum ſi Galenus, & Arabes Auicenna, Razis, & Auerroes dicant in autumno vires, quàm in reliquo anno eſſe infirmiores. Infirma tunc temporis ſunt vitæ ſuſtentacula, non in animalibus tantum, ſed multò etiam magis in plantis; debent ergo tunc defluere folia.

Autumnum frigidum & ſiccum eſſe docent omnes & inter cæteros Macrob. lib. 7. Saturn. cap. 5. & ex Aphor. 10. lib. 3. colligere licet, vbi Hippocrates τὸ φθινόπωρον τοῖς φθίνουσι κακόν. *Autumnus tabidis malus.* Et Galenus illic ita dicit: liquet autem vtriſque autumnum eſſe malum, cùm ſit ſiccus ſimul, & frigidus. Et quandoquidem in tabidorum mentionem incidi, hic obiter dico, tabidis capillos defluere propter eandem rationem, qua arboribus decidunt in autumno, ob exhauſtam ſcilicet humiditatem, quod enim frondes in arboribus, hoc pili ſunt in homine. Autumnus cùm ſit ſiccus & frigidus Melancholiæ conuenit, cuius feraciſſimus eſt, vnde vocatur θανατώδης. Quartanis febribus quæ Melancholiæ ſoboles ſunt, abundat, non ſolùm ſtato quartanarum ordine incipientibus, ſed ex abſceſſu aliorum morborum per tranſitum in quartanam. Et hoc nimirum quia Melancholici humoris prouentus fit per autumnum, proptereáque feracior eſt quartanarum febrium reliquis anni partibus.

At obiiciat aliquis Hippocratem lib. 3. Aphor. 20. ſcribere Melancholias vere fieri. Pro intellectu huius loci dicendum, vere humorem Melancholicum per corpus propagari, & veluti floreſcere, qui hyeme & maximè autumno genitus eſt.

Foliorum examina.]. Τῶν ἀρετῶν ἑσμὸν, *examen virtutum*, ἑσμὸν δὲ ἀγαθῶν, *examen bonorum*, ex Plutarcho & Syneſio: examen ſeruorum, infantium examen, iuuenum examen, examen Poëtarum ex Cicerone, Plinio Cæcilio, Horatio, Philoſtrato.

Melancholici.] In mendicis aptitudinem veſtium non requirimus. Lacero ſuo pallio quod humeris tegendis vſus dedicauit, in tegendis pedibus interdum vtuntur, nimirum quia inopia abuſum permittit. Inopia nominum nos etiam abuti nominibus interdum facit. Melancholicus is propriè eſt in quo exuperat μέλαινα χολὴ, hoc eſt, *nigra bilis*, ſupra modum vſta, calida, ſicca, acris, erodens, acerba, acida, ſplendens, & terram fermenti & aceti acerrimi modo eleuans. Pro eo tamen hic, vt & vulgò vſurpatur, in quo abundat ſuccus ille naturalis & benignus, licet craſſus & fæculentus, qui Melancholicus dicitur.

Hieroglyphica.] Erant ſacræ Ægyptiorum notæ, ſiue potius imagines, figuræ & effigies, animalium diuerſorum, plantarum & eiuſcemodi rerum ad aliquid ſignificandum inuentæ, quibus literarum vice ſacerdotes & ſapientes Ægypti vtebantur. Horum meminit Philo lib. de vita Moſis, ſcribens Moſem præter alias diſciplinas, ab Ægyptiis didiciſſe inſuper & occultam Philoſophiam, deſcriptam literis, ſiue hieroglyphicis, hoc eſt, notis animalium quæ ipſi venerantur pro numinibus

καὶ προ-

καὶ ἀσκοῦσι τὴν διὰ συμβόλων φιλοσοφίαν ἣν ἐν τοῖς λεγομένοις γράμμασιν ἐπιδείκνυνται, καὶ διὰ τῶν ζώων ἀποδοχῆς ἃ καὶ θεῶν τιμαῖς γεραίρουσι. Mercurius ille dictus Theut, huiuſmodi hieroglyphicorum inuentor dicitur à Platone, in dialogo qui inſcribitur Philæbus. Qualia autem fuerint illa hieroglyphica plenius diſce ex Clemente Alex. lib. 5. ſtromatum; & ex lib. 3. biblioth. Diodori Siculi. Sed fuſiſſimè ex Horo Apolline, vbi quæ ad eum dicuntur lege. In Horum hieroglyphicorum cognitione vniuerſa Ægyptiaca doctrina ſita erat, quam Origenes ſapientiam ſecretam, & virtutem vocat: ſic enim ille in homil. 1. ſuper numeros. Si quis procedit in virtute, ipſe numeratur; & non in qualicumque virtute, id eſt, non in Ægyptiorum virtute, neque in Aſſyriorum, neque in Græcorum, ſed in virtute Iſraël ipſe numeratur apud Deum. Eſt enim virtus animi, quam Græcorum Philoſophi docent. Sed hæc non pertinet ad numerum Dei, non enim pro Deo, ſed pro gloria exercetur humana. Eſt & Aſſyriorum virtus, eſt Chaldæorum, quæ in aſtrologiæ ſtudiis prædicatur. Sed non eſt iſta virtus Iſraelitica, & ideo non pertinet ad Deum. Eſt & Ægyptiorum virtus in ea quam dicunt ſecreta ſapientia, ſed hæc non adiungitur ad calculum Dei. Hæc ille.

Vt autem huic ſecretiori ſapientiæ maior honor haberetur, erant quidam viri apud Ægyptios virtute, grauitate, & ſcientia non vulgari Hieroglyphi nominati, qui magna induſtria, & artificio in operoſiſſimis ædium veſtibulis ſuas illas myſticas notas ſiue hieroglyphica, vel inſculpebant, vel depingebant, quod ex Cyrillo lib. 9. aduerſ. Iulianum conſtat. At tantumne in foribus ad reuerentiam? imo etiam ad immortalitatem in ingentibus pyramidum obeliſcorúmque molibus. Cuius etiam rei hodiè non deſunt monumenta. Crinit. lib. 7. cap. 2. In obeliſcis Regum Seſoridis atque Sennoſórnei, qui ex Ægypto in vrbem deuecti ſunt, per eiuſmodi ſymbola, & hieroglyphicas notas, rerum naturis interpretatio adnotata eſt: ita enim Ægyptiorum Philoſophia creditur primò illuſtrata, quod à Plinio, & aliis traditur.

MELANCHOLICVS ÆGER.

EMBLEMA V.



Cerne figuratæ circumcurſare lucernæ
Tegmina, queis aſinos raſos tonſtrina moratur,
Vel queis prætextas, & bullas piſtor ad ædes
Dulcia monſtrantes irritamenta gularum
Cogit: ibi ranas, auulſos corporis artus,
Ciſternas, gallos, naſum promuſcidis inſtar,
Butyrum, lateres, vrinæ flumina, vitrum,

Serpentes, hominum truncos, ollas, & Atlantes,
Atratos Erebi ciues, triplicemq́ tiaram,
Mortis & articulos extantes currere gyru
Aſpicias. Totidem ſiccum phantaſmata verſat
Et gelidum cerebrum, quodque hypochondria miſſo
Prouentu inſano turbant fuliginis atra.

Hieroglyphica.

LATERNA, hieroglyphicum, *CAPITIS HYPOCHONDRIACI.* num. I.
ASINVS, hieroglyph. *STOLIDI.* num. II.
ASINVS RASVS, hieroglyph. *INANIS OPERAE.* num. eod.
PRÆTEXTA & BVLLA, hieroglyphica, *PVERI.* num. eod.

Rana. num. III.
Artus. num. eod.
Ciſterna. num. IV.
Gallus. num. eod.
Naſus grandior. num. V.
Butyrum. num. eod.
Lateres. num. eod.
Vrina flumen. num. eod.
Vitrum. num. eod.
Serpens. num. VI.
Truncus humanus. num. VII.
Olla. num. VIII.
Atlas. num. eod.
Cacodæmones. num. eod.
Mors. num. IX.

(The above:) hieroglyphica *VARIORVM PHANTASMATVM QVIBVS AGITANTVR AEGRI MELANCHOLICI.*

TRIPLEX TIARA, hieroglyph. *PONTIFICIS.* num. VIII.
CIRCVLVS MITRÆ PONTIFICIÆ, hieroglyph. *REGIAE POTESTATIS.* num. eod.
AVRIPHRYGIVM EIVSDEM MITRÆ, hieroglyph. *VITAE CONTEMPLATIVAE.* num. eod.
VINVM, hieroglyph. *BILIS ATRAE.* num. X.
FVLIGO ATRA, hieroglyph. *NIGRORVM MELANCHOLIAE SPIRITVVM.* num. eod.

I.

M*ELANCHOLICVS AEGER.*] De benignè Melancholico præceſſit Emblema: iſtud eſt dè Melancholico ægro, hoc eſt, deſipiente ex atra bile, ſiue Melancholia, de qua Auctor Definit. Medic. Μελαγχολία ἐστὶ πάθος βλάπτον τὴν γνώμην μετ' ἀθυμίας ἰσχυρᾶς, καὶ ἀποστροφῆς τῶν φιλτάτων, γινόμενον ἄνευ τοῦ πυρετοῦ, τισὶ δὲ αὐτοῖς, καὶ χολὴ προσγινομένη πολλὴ μάλιστα βλάπτει στόμαχον, ὥστε καὶ ἀπεμεῖσθαι, καὶ οὕτως τὴν γνώμην συγχεῖσθαι. *Melancholia affectus eſt mentem lædens cum vehementi triſtitia, & amicorum auerſione, ſine febre. Nonnullis verò ſi multa bilis acceſſerit, ſtomachum lædit, ita vt vomitione reiiciatur, ſimúlque hoc modo mens vitietur.*

Lucerna.] Cælius Sympoſius Laternam his verſibus velat in ſuis ænigmatis:

Cornibus apta cauis teretis pelluceda gyro

Lumen habens intus diuini ſidus inſtar,
Noctibus in medijs faciem non perdo dierum.

Laterna hic deſcripta quomodo fiat, ſcribit Hieronymus Cardanus lib. 15. de Rerum variet. cap. 86. Fiunt, *inquit*, & quædam quæ ſpectra licet non ſint, admirationem tamen pariunt. Tympanum è pergameno figuris pingitur varijs, ita vt ſenſim deſcendat ratio picturæ: & rurſus deſcendentes excipiantur ab aſcendentibus: in obliqnum enim ſitus earum tendit, ac quaſi per æquidiſtantes lineas, vt à latero vides: in medio lumen collocatur quod more flammæ quæ veru circumagit, tympanum vertit, cúmque ſemper ſitu differentes figuræ occurrant oculis, omnes aut aſcendere aut deſcendere videntur, quod mirabile eſt.

Lucerna hic capitis ſymbolum eſt. Lucerna corporis noſtri non tantum eſt oculus, ex Chriſto domino Matth. 6. ſed totum ipſum caput, quod Galenus lib. 1. de regim. acut. rationalis animæ ſedem nnncupat, ſi oculus dirigit nos, multò magis anima, cuius beneficio videt oculus. Anima eſt velnti lux, vt alibi demonſtraui, latet in capite tanquam in lucerna, vbi ſe prodit per varia ſenſuum organa, per lucentes veluti plagulas quæ in eo ſunt.

Tegmina.] Lucerna illa, qua caput ſignificatur, obducitur tegmine membraneo multifariam figurato.

Opertum caput Melancholiam notabat, vt ſcribit Lyranus ſup. 2. Reg. 15. vbi Dauid Rex, & cum eo plebs omnis operto præ triſtitia capite cliuum oliuarum aſcendebat. Et cap. 19. de eodem Dauide mortem filij deflente, hæc leguntur: *Porrò rex operuit caput ſuum, & clamauit voce magna: fili mi Abſalon; Abſalon fili mi.* Qui mortis periculum ſibi imminere videbant, præ triſtitia caput obnubebant. Ex quibus notum eſt, non ſine cauſa lucernæ caput Melancholici ſignificanti, datum hic fuiſſe tegmen.

Præ metu etiam tegebatur caput. Plaut. Moſtell.

Capite obuoluto vt fugiat cum ſummo metu.

Et hîc caput ægri Melancholici ranas, Atlantes, ollas, ſerpentes, gallos, &c. huiuſmodi formidantis, tecta lucerna non fruſtra connotatur. Nam metus comes eſſe ſolet Melancholiæ hypochondriacæ. Ante annum Ducem Corticum inuiſi ſæpè, qui cùm eſſet hypochondriacus, omnes quaſi eſſent carnifices refugiebat. Et vix hora eſt cùm ruricolam inuiſi, qui propter Melancholiam dæmonem ſemper imaginatur & reformidat. Neque verò timor tantum comes eſt Melancholiæ, ſed & parens interdum. Nam timor calorem ſuffocat, calore ſuffocato excremenrorum crudorum fit prouentus; vnde obſtructiones in hypochondriis, propter quas calor viſcerum magis coarctatus excrementa incraſſat, & quodammodo adurit; vnde craſſi atque atri vapores ſurſum feruntur, qui perturbantes ipſius cerebri temperamentum, cogitatiuæ facultatis functiones tam malè afficiunt, vt in Melancholiam incidant. Diuinus Hippocrates lib. 6. Aphot. 23. Ἢν φόβος καὶ δυσθυμίη πολὺν χρόνον διατελέῃ, μελαγχολικὸν τὸ τοιοῦτον. *Si metus cum triſtitia perſeuerent longo tempore, Melancholicum hoc eſt.*

I I.

Q*Vos aſinos.*] Bardos & ſtolidos intellige. Galenus de differentia pulſuum lib. 2. bardum ſenem cum aſino confert: ἐπὶ τούτοις ὁ μὲν γέρων, ὥσπερ ὄνος ἐσείεν πως τὰ ὦτα. *Adhuc ſenex quidem ille velut aſinus quatiebat aures.* Tullius poſtquam Piſonem pecudem vocauit, aſinum vocat. Quid nunc te, *inquit*, aſine, literas doceam? non opus eſt verbis, ſed fuſtibus. Horat. lib. 2. Epiſt. 1.

Scriptores autem narrare putaret aſello
Fabellam ſurdo.

hoc eſt, exiſtimaret Poëtas loqui ſtolidis, qui dictornm ſenſum non capiunt. Plotinus ſummus ille Platonicus, ſtolidos homines & ſenſus expertes Pythagorica metempſycoſi in aſinos mutandos iri ſcribit. Quid enim in aſino non ſtolidum? conformatio capitis, auricularum longitudo, cordis magnitudo, ſonitus ruditus, de quo Plutarchus lib. de Iſide & Oſir. Buſiritæ, *inquit*, & Lycopolitæ tubis non vtuntur, qnod rude quiddam & aſininum ſonare videantur. Et idcirco aſinum tamquam animal execrabile auerſantur. Hæc omnia ſtoliditatis aſini ſunt argumenta.

Raſos.] Aſinus raſus ſymbolum eſt inanis operæ. Ariſtophanis ſcholiaſtes, Οὐδὲ γὰρ αἱ τοῦ ὄνου πόκαι χρησιμεύουσιν. *Neque enim aſini villi vllam vtilitatem adferunt.* Itaque qui aſinum radit, operam ludit: & aſinus dans villos, nihil cuiquam vtile facit, nec ipſe vtilior eſt exutus pilis, imò inutilior. Cùm enim frigoris ſit impatientiſſimus etiam tectus pilis, ſi radatur præ frigore inutiliſſimus erit.

Tonſtrina.] Quæ hic deſcribitur laterna paſſim videtur in barbitonſorum & dulciariorum officinis.

Moratur.] Pueri & cum illis aſini, ignari inquam, qui ſub annoſo corpore puerilem animum habent, admirantur omnia, etiam nugas nugaciſſimas. Ad minima exclamant,

Ὦ Φοῖβ' Ἄπολλον, καὶ θεοὶ, καὶ δαίμονες
Καὶ Ζεῦ.

ô Phœbe Apollo, Dij dæmones, ô Iupiter. Et vt cum Horatio, poſtquam cum Ariſtophane, loquar:

Defixis

Defixis oculis, animoq́ & corpore torpent.

Doctus verò nihil miratur. Doctrina enim τὸ μὲν ἐξ ἀπορίας, καὶ ἀγνοίας θαῦμα, καὶ θάμβος ἐξαιρεῖ γνῶσις, καὶ ἱστορία τῆς περὶ ἕκαστον αἰτίας. *Miraculum quidem, & pauorem ex hæſitatione, & ignoratione naſcentem eximit cognitione, & ſcientia cauſarum vniuſcuiuſque.* ait Plutarchus, apud quem Pythagoras debere ſe Philoſophiæ dicebat τὸ μηδὲν θαυμάζειν, *nihil mirari.* Tullius lib. 3. Tuſculan. quæſt. Et nimirum, *inquit*, hæc eſt illa præſtans & diuina ſapientia, perceptas ſæpius & pertractatas res habere, nihil admirari, cùm acciderit: nihil antequam euenerit, non euenire poſſe arbitrari.

Pueris quibus omnia noua ſunt & inſueta, rebus propemodum omnibus capiuntur: Vnde non mirum eſt ſi in laternæ piſtorinæ volubilitate conſideranda diutiùs hærent. Vident lumen, & circa illud figuras ludicras, prætereà motum cuius cauſam neſciunt: hæc omnia poſſunt eos detinere.

Prætextas.] Prætexta ſignum & ſymbolum eſt puerorum, quòd prætexta vterentur ad annum decimum ſeptimum, quo virilis toga ſumebatur. Suetonius in Auguſto: Quadrimus, *inquit*, patrem amiſit: Duodecimum annum agens auiam Iuliam defunctam laudauit, quadriennio poſt virili toga ſumpta. Citius tamen depoſitam fuiſſe anno ſcilicet ætatis decimo quarto inferre videtur Lipſius ex iſtis Tertuliani verbis lib. de velandis virgin. Ethnici fœminas quidem à duodecim annis, maſculos verò à duobus amplius ad negotia mittunt. Prætexta autem dicebatur ea toga, cuius oræ & circuitus purpura prætextus erat. Hinc eſt quòd à Plutarcho in Publicola dicitur περιπόρφυρος, quaſi habens in circuitu purpuram intextam, & cuius limbus erat purpureus. Huiuſmodi habitus puerorum erat, vnde Liuius pueros Prætextatos vocat, Plutarchi verbo correſpondens. Vide Budæum in Pand. Prætextæ originem, & quomodo vſurpari cœperit à pueris, habes apud Ambroſium Aurelium. Tarquinus Demarati exulis Corinthij filius Priſcus, quem quidam Lucumonem vocitatum ferunt, Rex tertius ab Hoſtilio, quintus à Romulo, de Sabinis egit triumphum. Quo bello filium ſuum, annos quatuordecim natum, quod hoſtem manu percuſſerat, & pro concione laudauit, & bulla aurea prætextáque donauit: inſigniens puerum vltra annos fortem præmiis virilitatis & honoris. Nam ſicut prætexta magiſtratuum, ita bulla geſtamen erat triumphantium: quam in triumpho præ ſe gerebant, incluſis intra eam remedus, quæ crederent aduerſus inuidiam valentiſſima. Hinc deductus mos, vt prætexta & bulla in vſum puerorum nobilium vſurparentur ad omen & vota conciliandæ virtutis: ei ſimilis, cui primis in annis munera iſta ceſſerunt. Alij putant eundem Priſcum, cùm his ſtatum ciuium ſolertia prouidi principis ordinaret, cultum quoque ingenuorum puerorum inter præcipua dixiſſe: inſtituiſſeque vt patricij bulla aurea cum toga, cui purpura prætexitur, vterentur, duntaxat illi quorum patres curulem geſſerant magiſtratum: cæteris autem vt prætexta tantum vterentur indultum: ſed vſque ad eos quorum parentes equo ſtipendia iuſta meruiſſent. Libertinis verò nullo iure vti prætextis licebat: ac multò minùs peregrinis, quibus nulla eſſet cum Romanis neceſſitudo. Sed poſtea libertinorum quoque filiis prætexta conceſſa eſt: ex cauſa tali; quam M. Lælius augur refert: qui bello Punico ſecundo Duumuiros dicit ex ſenatuſconſulto, propter multa prodigia, libros Sibyllinos adiiſſe: & inſpectis his nuntiaſſe, in Capitolio ſupplicandum, lectiſterniúmque ex collata ſtipe faciendum: ita vt libertinæ quoque, quæ longa veſte vterentur, in eam rem pecuniam ſubminiſtrarent. Acta igitur obſecratio eſt, pueris ingenuis, itémque libertinis, ſed & virginibus patrimis, matrimiſque pronuntiantibus carmen. Ex quo conceſſum vt libertinorum quoque filij, qui ex iuſta duntaxat matreſamiliâs nati fuiſſent, togam prætextam, & lorum in collo pro bullæ decore geſtarent. Verrius Flaccus ait: Cùm populus Romanus peſtilentia laboraret: eſſetque reſponſum, id accidere, quòd Dij deſpicerentur, anxiam vrbem fuiſſe, quia non intelligeretur oraculum: eueniſſeque vt Circenſium die, puer de cœnaculo pompam supernè deſpiceret, & patri referret: quo ordine ſecreta ſacrorum in arca pilenti compoſita vidiſſet. Qui cùm rem geſtam Senatui nuntiaſſet: placuiſſe, velari loca ea, qua pompa veheretur: atque ita peſte ſedata, puerum qui ambiguitatem ſortis abſoluerat, togæ & prætextæ vſum munus impetrauiſſe. Vetuſtatis peritiſſimi referunt, in raptu Sabinarum, vnam mulierum nomine Herſiliam, dum adhæreret filiæ ſimul raptam. Quam cùm Romulus Hoſto cuidam ex agro Latino, qui in aſylum eius confugerat, virtute conſpicuo vxorem dediſſet, natum ex ea puerum, antequam vlla alia Sabinarum partum ederet: cumque quòd primus eſſet in hoſtico procreatus, Hoſtum Hoſtilium à matre vocitatum, & eundem à Romulo bulla aurea ac prætexta inſignibus honoratum. Is enim cùm raptas ad conſolandum vocaſſet, ſpopondiſſe fertur, ſe eius infanti, quæ prima ſibi ciuem Romanum eſſet enixa, illuſtre munus daturum. Nonnulli credunt ingenuis pueris attributum, vt cordis figuram in bulla ante pectus annecterent: quam inſpicientes, ita demum ſe homines cogitarent, ſi corde præſtarent. Togam quoque prætextam his additam, vt ex purpuræ rubore ingenuitatis pudore regerentur.

Prætextas & bullas.] Poſt *Prætextas*, *Bullas* additum eſt, quia per Prætextas pueri non ſat diſtinctè connotati fuerant. Prætexta enim non tantum habitus puerilis fuit, ſed & regalis. Tullum enim Hoſtilium deuictis Hetruſcis ea vſum ſcribit Plinius, & Romulum Plutarchus. Præter reges magiſtratus alios eam induiſſe apud T. Liuium lib. 34. Valerius Tribunus plebis apertè teſtatur. Purpura, *inquit*, viri vtemur Prætextati in magiſtratibus, in ſacerdotiis: Liberi noſtri Prætextis purpura

togis

togis vtentur. Magiſtratibus in coloniis municipiiſque. Hic Romæ infimo genere magiſtris vicorum togæ Prætextæ habendæ ius permittimus: nec id vt viui ſolum habeant tantùm inſigne, ſed etiam vt cum eo crementur. Senatores etiam erant Prætextati ex Tullio Philippica 2. Etiam Ædiles Prætextati, ex eodem 7. in Verrem. Et collegiorum magiſtri, ex Aſconio Pæd. in Piſonem.

Bullæ pro pueris: Erant enim inſignia & ornamenta puerorum. Cicero in Verrem, Bulla, *inquit*, in toga erat ornamentum pueritiæ. Plutarchus in Romulo: τὰς παῖδας αὐτῶν φέρειν τ̀ χαλυμένην βύλλαν. Bullæ cordis figuram referebant, & de Romanorum puerorum collo ſuſpendi ſolebant. A Bulla bullatus dicitur de puero & infante. Iuuenalis Satyr. 14.

——— ludit & heres
Bullatus, paruoq́ eadem monet arma fritillo.

Miſoponerus Satyra 21.

——— ſolitat pellita iuuentus
Credere, qua quondam Bullatus credidit infans.

Macrob. lib. 3. Saturn. cap. 14. Cùm ingreſſus eſſet ſaltatorium ludum, plus in eo vidit, pueris virginibúſque quingentis: & in his vnum puerum Bullatum petitoris filium, non minorem annis duodecim cum crotalis ſaltantem. Aſconius Pædianus annotat ingenuorum Bullam fuiſſe auream, ſcorteam verò libertinorum. Titus Liuius ſcriptum reliquit Tarquinij Priſci filium quatuordecim annis tantummodo natum, hoſte in acie cæſo, primum omnium Bulla fuiſſe inſignitum. Exacta pueritia Bulla ſolemni feſto Laribus ſuſpendebatur, ſicut puellarum puppæ Veneri Argiuæ, cùm iam plenis erant nubiles annis. De Bullis Perſius:

Cùm primum pauido cuſtos mihi purpura ceſſit,
Bullaq́ ſuccinctis Laribus donata pependit.

Bulla dicitur à ſimilitudine Bullæ quæ in aqua fieri ſolet, de qua in alio Emblemate. Quod autem nonnulli putant, ἀπὸ τ̃ βουλῆς deduci, abſurdiſſimum eſt: nam neque Bulla cum ſimplici λ ſcribitur, neque conſilium eſt in pectore ſed in cerebro, vt rectè docuit Plato poſt Hippocratem, qui primi hanc ex veritate ſententiam ſtabiliuerunt, contra omnes præcedentes Philoſophos.

I I I.

I*Bi ranas.*] Recenſet in ſequentibus varia Melancholicorum phantaſmata.

Quidam hypochondriacus cui præcordia humore Melanchólico ac flatibus turgida eſſent, perſuaſum habebat, vt ſcribit Leuinus Lemn. lib. 2. de complexionibus, Ranas ac rubetas, quas bufones vocant inteſtina arrodere, nec vlla ratione ea illi opinio eximi potuit. Medicus quò illum haberet obſequentiorem (ſunt enim tenaces ſuæ opinionis Melancholici) tale quiddam in corpore ineſſe pronunciauit. Itaque exhibita potione Medica, curatum eſt vt aliquot eius generis reptilia in ſubiectam peluim conucerentur: vbi autem pharmacum vires ſuas explicuit, aluus affatim inanita eſt, conſpectíſque excrementis & quæ illis innatabant Ranis, vana illa opinio animo excuſſa eſt.

Iuuenem ego vidi, qui Ranam ſuo inhærere capiti, ſempérque coaxare aſſeueraret: ſanatus eſt capitis ſcarificatione, & obiecta Rana, quæ furtim allata fuerat.

Auulſos corporis artus.] Artemidorus Grammaticus cùm in littore viſo Crocodilo expauiſſet, quod facilè fit, & maximè Melancholicis, omnium literarum oblitus, putauit tota vita, alterum crus, & manum ſibi exempta. Hollerius ſcholiis in cap. 17. morb. internor.

Non diu eſt, cùm nobilis Lemouix, cui renunciatum fuerat in proximo aprum vagari cum ſeruis domeſticis armatus venabulo domo egreſſus eſt ad locum vbi erat beſtia. Illa perterrefacta, recta in iuuenem impetum facit, & inter crura illata proſternit, dilaceraſſetque miſerè, niſi domeſticus furnarius viribus præpollens, ferrata pala beſtiam confodiſſet. Iuuenis tanto timore conturbatus eſt, vt alterum ſibi crus ab apro auulſum biennium integrum licet illæſus crediderit. Aduocati ſunt Medici plures, purgatus eſt, ſcarificata tibia, vt à falſa opinione doloris ſenſu abduceretur. Fruſtra omnia. Extra tibiam ſanus erat iudicio, & pietati vacabat. Quotidiè miſſæ intererat, ieiunabat indictis diebus, & viros ſanctiorem vitam profitentes, maximè quos Recolectos vocamus ſummo ſtudio colebat, quippe quorum vitæ inſtitutum ſequi volebat. Fortè fortuna duo Recollecti iter facientes inclinato in veſperam die tecto admitti petunt. Conceſſum eſt, & cum illis iuuenis ſummo effuſus gaudio cœnauit. A cœna relictis piis hominibus cum luculēti foco, tardius claneulùm aduenit, ſuam enim domeſticis pietatem innoteſcere nolebat. Se diu in votis habuiſſe D. Franciſci familiæ adſcribi aperuit, ſed non leue eſſe impedimentum; ſe monopodem eſſe, quòd alterum ſibi crus fera deuoraſſet. Mirantur religioſi, & an ligneum ſub tibiali ſerico rogant, & explorare petunt. Detecta vana opinione ſanæ menti hominem reſtituere conantur, ludibrium eſſe dæmonis aſſeuerantes, timentis ne deſiderium expleret. Duabus tandem horis in colloquio conſumptis præ religionis ardore, ab inani illo phantaſmate dimotus eſt. Et poſtridie ſibi cuique occurrenti geminam eſſe tibiam aſſeuerabat. Tandem parentibus licet reluctantibus votum conſequutus eſt.

I V.

C*Iſternas.*] Auenzoar tract. 5. Medic. quendam ſe vidiſſe Melancholicum ſcribit, qui cum de placenta in Ciſterna facienda nunquam non cogitaret; maximam farinæ vim emi, & in Ciſternam iaci ſeruis imperauit, & facere recuſantes baculo adegit. In eam deinde ipſe deſcendit, farinam pinſuit, & vicinos conuocatos de ſuo libo edere voluit.

Gallos.] Galenus lib. 3. de locis affect. cap. 6. Melancholicum quendam fuiſſe ſcribit, qui quotieſcunque Gallos cantare audiret, vt hi alarum ante cantum, ſic ille brachiorum plauſu latera quatiens, animantium ſonum imitatus eſt.

V.

N*Aſum promuſcidis inſtar.*] Cuidam, quem Andreas Laurentius libello de Melanch. ſcholaſticum fuiſſe ſcribit, perſuaſum erat; Naſum ſibi excreuiſſe in immenſam atque in prodigioſam magnitudinem longitudinémque, ita vt Elephantis proboſcidem circunferre viſus ſit, qui nuſquam non eſſet impedimento, adeò vt ſubinde patinis, vt illi creditum eſt, innataret. Accitus Medicus, atque affectum Melancholicum ſubeſſe ſuſpicatus; dexteritate, ac latenti habilitate, longum carnis farcimen naribus admouit, arreptáque nouacula, & apprehenſa nonnulla carnis parte, imaginarium Naſum auulſit; confeſtim exhibita homini parum ſobriæ mentis ſopotifera potione, præſcriptáque ſalubri diæta, omnis mali metus ademptus eſt.

Monſpelij ante paucos annos Medicinæ ſtudioſus ὑσφοίρκεον ſubortam ſibi non quidem in Naſo, ſed in ano imaginatus eſt. Remedium petit à chirurgo, partem exhibet vt magnitudo mali videatur. Nibil ille apparere dicit. Res Medico exponitur, qui malum in capite, non alia in parte eſſe cognoſcit. Quaſi tamen tale malum videat quale ſe pati querebatur Melancholicus; curam promittens imperat chirurgo, vt ferrum igni admoueat ad carnem vſtionē tollendam. Vt igne incanduit vidente hypochondriaco, in lectum vt inclinetur iubet, & pro candente ferro, aliud calidiuſculum retrò applicari iubet. Et haud ſecus quàm ſi aliqua carnis excreſcentia exureretur, en vt fumat, inquit Medicus, en vt ſenſim tollitur. Mactè animo, iam iam benè valebis, nihil fermè reliquum eſt. Tandem remoto ferro nihil ſupereſſe affirmauit. Sic his ludicris ceremoniis benè valuit ſcholaſticus. Cui cum diceretur poſt menſem, næ tu ſtultus eras, qui cum falsò crederes carneum tuberculum in podice tibi enatum, fictis remediorum ceremoniis benè te habueris; in eandem hypochondriacam opinionem incidit.

Butyrum.] Piſtor quidam Bruxellenſis, quia ſe totum eſſe Butyraceum firmiter ſibi perſuaſerat, ad ignem & furnum ſuum, veritus ne ardore liqueſceret, accedere nolebat, ſe totum etiam nudum foliis refrigerantibus cooperiri iubebat.

Lateres.] Medicus ille Cappadox Aretæus lib. 1. de morb. cron. ſe hypochondriacum vidiſſe ſcribit, qui pro corpore lateritiam habere ſtructuram credebat, quam ne diſſolueret ab omni potu abſtinebat.

Vrinæ flumina.] Senenſis nobilis tanta vrina ſe diſtentum eſſe putabat, vt malle ſe mori diceret, quàm illam effundere, certum eſſe vt tota vrbs miſerè periret, ſi ſuis lotij fluminibus viam laxaret. Medici cùm fruſtra repeterent, centum millia hominum non poſſe vrbis minimam domum ſubmergere, remedium certè lepidum commenti ſunt. Incendium proximo ſtabulo offerri iuſſerunt, & omnes vrbis nolas ſono incendij proprio ex compacto pulſare, multóſque ad ignem, ad ignem conclamare. Miſſi etiam ſunt ciuitatis primarij, qui nobilis auxilium implorarent: actum eſſe de vrbe niſi quamprimum vrinam fundat. Hypochondriacus in ſummo eſſe periculo Senam ratus, veſicam fœliciter exonerauit, non tam vrbis, quàm ſuæ bilis retorridæ incendium extinguendo.

Vitrum.] Pariſiis vitriarius in Sancti Germani ſuburbio ſe vitreas habere nates exiſtimans, puluillo multa pluma tumente ſemper etiam rectus muniebat. Medici iuſſu à Vitriaria officina abductus, cæſus virgis eſt. Et cum gemeret ſub verberibus; carneas nates ſentire, non Vitreas dictum illi eſt. Ita reſipuit.

Alius ſe vitreos habere pedes autumans parcebat inceſſui.

V I.

S*Erpentes.*]. Mulierem quidam curauit Melancholia laborantem, hoc pacto, vt ſcribit Trallianus lib. 2. cap. 17. Cùm putaret illa Serpentem ſe deuoraſſe, vomitum medicamento citauit, atque in id quod reiectum, paruam beſtiam per omnia imaginationi illius conſentientem iniecit. Sic gaudium reiecti Serpentis curauit eum, quem deuoratæ beſtiæ triſtitia malè affecerat.

Vidi quendam, ait Io. Bapt. Montanus Concil. 25. qui totam mundi ſuperficiem imaginabatur eſſe ex ſubtiliſſimo vitro, & ſubtus eſſe Serpentes, ſe in lecto tanquam in inſula, vnde ſi egrederetur frangeret vitrum, & incideret in Serpentes, & ideo nolebat ex lecto egredi.

Opiniones & ſomnia de Serpentibus vſitata ſunt Melancholicis.

V I I.

H*Ominum truncos.*] Alios pleróſque vidimus, ait Trallianus citato loco, quorum ſuperfluum eſt forte etiam ſupra vires noſtras, omnium velle meminiſſe. Verum hæc appoſuiſſe ſufficiet, quæ iis potius quæ à Melancholico humore, originem trahere inceperunt, ſolent euenire. Quapropter ſi morbus ex triſtitia, aut ſollicitudine quadam præcedente, aut alio animi affectu cœperit, conſiderare tunc oportet imaginationis ſpeciem, aut rationem, aut aliud quiddam eorum, quæ ſubitam mutationem efficere poſſunt. Plurimi namque ſic curati ſunt quodammodo, vt cùm vidiſſent audiuiſſentque ea, quæ conſequi deſiderabant. Ita ergo Philodotus Medicus quendam, qui ſibi caput amputatum eſſe, quòd tyrannus factus fuiſſet, putabat, caſúmque deplorabat, curauit: impoſito repente capiti ipſius plumbeo pileo, & grauitatem ſentiens, caput ſe recepiſſe rurſus putaret, gauiſúſque ſit plurimum, atque ideo vana imaginatione liberatus.

V I I I.

O*Llas.*] Galenus lib. 3. de locis affect. cap. 6. ſcribit quendam ſe teſtam factum putaſſe, atque idcirco obuiantibus cedebat, ne collideretur.

Atlantes.] Fuit quidem, eodem Galeno ibidem referente, timens ne Atlas qui mundum ſuſtinere dicitur, grauatus ſub tanto onere ipſum à ſe excuteret, atque ipſe cum illo collideretur, ac nos quoque cum illo periremus.

Trallianus ſe mulierem vidiſſe ſcribit, qui ea imaginatione vexabatur, vt medium manus ſuæ digitum conſtringeret, tanquam in ipſo totum geſtaret orbem. Plorabat autem illa quoque verita, ne quando digitum ſuum inflecteret, totus mundus corrueret, & omnia ſtatim interirent. O egregium Atlantem!

Cùm gigantes hortante Iunone cœlum affectarent, Apollinis, Mineruæ, & Dianæ auxilio in Tartarum detruſi ſunt præcipites. Atlanti verò, qui dux eorum fuerat, cœlum ſuper humeros Iupiter impoſuit, & impoſitum adhuc hodiè geſtare dicitur, vt ſcribit Hyginus cap. 150. & Poëtæ. Hiſtorici verò dicunt Atlantem Promethei fratrem propter ſummam Aſtrologiæ ſcientiam circiter Moſis tempora locum dediſſe fabulæ, & Atlanti Mauritaniæ monti nomen feciſſe.

Atratos Erebi cives.] Cacodæmones intellige. Virg. 4. Æneid.

Pallentes umbas Erebi, noctemq́; profundam.

Erebus accipitur modò pro rege inferorum, modò pro fluuio eorundem, modò pro obſcuriſſimo loco, & Poëtæ frequenter Erebum pro obſcuriſſima inferorum ſede vſurpant, Melancholici ægri huiuſmodi obſcura loca & nigros ſpiritus ſæpè dormientes ſomniant, & vigiles imaginantur. Narrabo hic quam Quercetano acceptam refero hiſtoriam non iniucundam.

Dominus Viel inſignis Medicus, & Hiſtoriographus Regius, agnatum quendam habuit virum doctum & celebrem, qui huiuſmodi morbo phantaſiam deprauante, & ſpiritum perturbante laborabat: is ſibi imaginatus fuerat, credebátque certò, ſibi à quodam amico ex Italia reuerſo, ingeſtos in corpus duos ſpiritus, qui in colloquium cum ipſo ſæpè venirent, ſed qui mortem interdum, aut grande aliquod malum interminabantur. Is cum Domino Viel rem pateſeciſſet, morbum ſuum expoſuiſſet, agnouit ille ſtatim phantaſiæ eluſæ eſſe morbum. Cúmque iuuandi conſanguinei ſtudio teneretur, conſilium iniit, quî morbo illius mederi poſſet. Atque hi cum Lutetiam appuliſſent, rem cum Domino Pena communicauerunt, qui malum confeſtim agnouit: facultatem videlicet imaginatricem eſſe vitiatam: quin imò æger ipſe fatebatur, ſpirítali ſe morbo conflictari, atque idcirco nonniſi mentalibus remediis iuuari poſſe. Huic extemplò aſtipulatus eſt Pena, pollicitúſque ſe idoneum excogitaturum remedium, quo reſtitueretur in priſtinam ſanitem, & vindicaretur à ſpiritibus, qui ſingulis horis mortem aut grauiſſimum malum intentarent. Hic multis ſtrophis vtendum fuit, variáque ſtratagemata excogitanda, quibus huiuſmodi impreſſiones à phantaſia excluderentur: quod eò difficilius videbatur, quò vir doctus & perſpicacis ingenij, volebat omnia ſibi communicari, quibus Medici in curam vterentur: ſed tædioſum fortaſſe fuerit ſi ſingula quæque fusè perſequi velim: præcipua tantùm huius rei capita attingam. Sic igitur in curam proceſſum eſt.

Confingendi fuerunt characteres, & ſpirituum nomina, necnon perſuadendum, committendos eſſe ſpiritus fortiores, cum iis qui corpus torquebant, vt in hac pugna potentiores ex corpore debiliores eiicerent. Arriſit hoc medicandi genus ægrotanti; Interim dum tempus opportunum expectabatur adminiſtrandi huius remedij, alia præſcribebantur remedia, quibus in dies vtebatur æger ad atram bilem fugandam: atque id per aliquod tempus continuatum eſt, dum canicula occideret, & fœliciores dies orirentur. Tandem Medici vt rem ſuam peragerent magnam aulam ſelegerunt, vt illic & characteribus & inuocatione ſpirituum, ac aliorum coniuratione confictis phantaſticam illam imaginationem exploderent. Ad hoc inſtitutum delectus eſt honeſtus & prudens quidam chirurgus, qui inuocati ſpiritus perſonam ageret, quique optimè calleret quid ſibi dicendum faciendúmque foret. In loco, horáque electa delineatus tandem eſt quidam circulus, aliæque adhibitæ

ceremoniæ, quibus ſpirituum conuocatores, & necromantici vti ſolent, quas attentè obſeruant. In medio circuli collocatus eſt æger, monitúſque ne quid reformidaret. Deinum poſt inſuſurrationes quaſdam & cæca murmura, conuocatúſque eſt primò orientalis ſpiritus vt accederet: eadem & meridionali ſpiritui facta eſt coniuratio, ſed fruſtra. Tertio demùm loco, inuocatus eſt ille ſpiritus, qui opportunus videbatur, aſſurgit tunc chirurgus ille, latitans in quodam obſcuro illius aulæ loco, qui ſeſe in laruam ſpiritus dat conſpiciendum. Monetur rurſus æger ne quid metuat, qui ob ſpem expectationémque valetudinis, quam ex huiuſmodi præſtigiis certò præſagiebat futuram, reſpondit, nihil ſe reformidare. Tandem res ita peracta eſt, támque dextrè & artificiosè perducta, vt ſibi prorſus æger perſuaſerit, à ſe ſuos ſpiritus prorſus excluſos, & integræ ſe valetudini reſtitutum. Atque hac ratione & induſtria imaginatrix eius facultas prorſus deprauata, ad ſanam mentem reuocata eſt. Nec tamen deſiit doctus Pena confirmationem valetudinis ægri promouere, remediis atram bilem purgantibus, vt reliquias omnes morbi excuteret. Tandem poſt menſem, prorſus expurgato huiuſmodi humore, reſtitutus æger cum doceretur ab atra illa bile falſam illam de ſpiritibus intra corpus opinionem temerè concepiſſe, erubuit, quòd tam parum firma mente fuiſſet, & ingenio adeo debili lubricóque.

Triplicémque tiaram.] Cum Pontifex Triplicem coronam ſiue Tiaram geſtet, Hieron. Vida,

Maxime Pontificum, triplicem qui fronte coronam,
Et duo ſacrata qui geris arma manu.

Triplex Tiara, ſiue Triplici corona ornata Pontificiæ dignitatis erit hieroglyphicum. Rituum Eccleſiaſticorum lib.3. Sect.5. cap.8. Eſt præterea, *inquit*, Tiara Triplici corona ornata, quod Regnum appellatur: per quam ſignificatur Sacerdotalis, & Imperialis ſumma dignitas atque poteſtas. Summus Pontifex quo die conſecratur coronatúrque, in ſuggeſtum ad id ornatum gradibus baſilicæ Apoſtolorum principis impoſitum aſcendit, & in altiori parata ſede collocatur. Cúmque Præſules omnes conuenerint, & populus è baſilica in aream exierit, Diaconus à læua mitram Pontificis capiti detrahit; alius verò Diaconus à dextra imponit Tiaram, quod *Regnum appellant Triplici corona ornatum*, ait idem liber rituum lib.1. Sect.2. cap.1. Interim populus Kyrie eleiſon acclamat. Et dexter Diaconus latinè, ſiniſter verò vernaculè indulgentias proclamat, tum paratur ſupplicatio in Lateranum. Hac Triplici Tiara coronatur Pontifex in maximis ſolemnitatibus dum it reditque ab Eccleſia, ſed nunquam inter ſacra. Pro altari eam deponit, orat, & aſſumpta mitra pergit ad ſedem, facítque rem diuinam cum iſta, ſiue in veſperis, ſiue in miſſa, Tiara interim ſuper altare repoſita, quæ perfecta re ſacra, Pontifici in palatium redituro imponitur. Antiquitus diebus ſolemnibus Tiaram habenti non aliter quam in coronatione à Diaconis & officialibus acclamabatur, & Pontifex Preſbyterium dabat. Vtrumque hodiè extra vſum eſt. Tiara verò coronabatur in feſto ſanctorum quatuor coronatorum, S.Stephani, S.Martini, S.Petri, S.Syluestri, S.Clementis in Dominica Gaudete, in Dominica Lætare, in Natiuitate Domini, in Epiphania, in Reſurrectione, & ſecunda feria, in Dominica Ego ſum paſtor bonus, in Aſcenſione, in Penteceoſte, & in anniuerſario ſuæ coronationis.

Liber tertius Rituum Eccleſ. citatus, tres Pontifici fuiſſe mitras ſcribit his verbis: Romani Pontifices tribus mitris pro temporis exigentia ſecundum antiquas ceremonias vtebantur. Prima & pretioſior erat cum vnionibus, & gemmis, habebátque auriphrygium in circulo & titulo, id eſt, per medium à circulo ad ſummitatem, & hac vtebatur in ſolemnitatibus. Per circulum deſignant vt aiunt, coronam poteſtatis; per auriphrygium quod ad ſummum aſcendit, contemplatiuæ vitæ diſcurſum. Secunda etiam erat cum vnionibus, auriphrygiúmque tantummodo habebat in circulo, & hac vtebantur in conſiſtoriis tam publicis quàm priuatis: per quam ſignificabatur Regia poteſtas. Tertia erat alba ex Damaſceno ſericeo, ſine vnionibus, ſine auro aliove ornamento, & hac vtebantur in dominicis aduentus, & quadrageſimæ diebus ferialibus, & in officiis defunctorum.

Melancholici ægri has interdũ Tiaras in phantaſia ſibi contexunt. Teſtis ille Hippocomus, de quo Muretus & alij, qui ſe Pontificem ſummum imaginabatur, certíſque hebdomadæ diebus Venetiis in domo heri ſui, hac de cauſa conſiſtorium Cardinalium in charta depictorum, quos alloqueretur, ſtatuebat. Teſtis etiam ille qui foris ſapiens, domi ſe Pontificem eſſe vt alter credebat. Cubiculum conſiſtorium eſſe, & tot Cardinales quot in eo baculi, quos certo ordine diſpoſitos, de rebus ad Romanam curiam pertinentibus alloquebatur.

I X.

M*ortis & articulos extantes.*] Burgundus quidam, referente Hollerio, Pariſiis ad S. Iuliani archiatris plurimis præſentibus, mortuum ſe affirmerat vna cum fratre ibi decumbente. Poſtea phantaſia mutata declamabat precabatúrque Medicos, ne ampliùs, animæ impedimento eſſent, quo minus è purgatorij flammis ad Deum euolaret. Imitabatur aliquando moribundum, dicebat

Se membratim vitalem diſperdere ſenſum:
In pedibus primùm digitos liueſcere, & vngues,
Inde pedes & crura mori, poſt inde per artus,

Introrſum trahere, & partes conducere in vnum,
Atque adeo cunctis ſenſum deducere membris.

deinde monebat vt defunctum ſpectarent: & vt alij addunt, orabat ne ſe diu ibi relinquerent, ſe iam putrefactum ſepulchro eſſe deferendum. Exhorreſcebat deinde, quaſi cacodæmones videret. Tandem medicinæ præſidio, hæmorrhoidúmque profluuio à Melancholicis illis terroribus aſſertus eſt.

Lutetiis Pariſiorum, vt Guyonus, Leuinus & alij narrant, anno quo ornamentum illud noſtræ Galliæ Budæus mortuus eſt, milleſimo ſcilicet quingenteſimo quinquageſimo, & iuxta ædes eiuſdem cauſidicus opinione ſola ſibi mortuus viſus eſt: adeo vt cùm illum amici & familiares, impriméſque vxor, ad inſtaurandas vires iam collapſas, precibus, blandimentis, obiurgationibus adhortarentur atque vrgerent, omnia reſpueret, quòd cauſeretur mortuum eſſe ſe, atque nihil ita conſtituto opus eſſe alimento. Cùm autem fame enecandus videretur, inſtante ſcilicet ſeptimo die, qui famelicis atque inedia confectis lethalis eſſe ſolet. Per id tempus nepos ægri vxoris Biturigibus vbi iuri incumbebat, venit Pariſios vt à patre, qui cognitor comitialis erat, nummos extorqueret. Eiectus ex ædibus eſt, quòd non ante tres hebdomadas trimeſtrem pecuniam accepiſſet. Confugit ille ad auunculum. Hortatur vt comedat, ſed nihil plus quàm antè Medici & parentes promouet. Cognita hominis phantaſia, bellum artificium comminiſcitur. In proximum conclaue ſe recipit, ibique linteo ſepulchrali inſuitur, libera tamen facie, deinde portari ſe iubet in auunculi cubiculum, & menſæ imponi accenſis circum funalibus, dato domeſticis mandato, vt deflerent ſe veluti mortuum. Vnus de illis diu riſum non tenuit, ſed effuſo cachinno ipſi actori fabulæ riſum expreſſit. Melancholicus cuius cauſa agebatur hiſtrionia hæc conſpicatus, ſciſcitatur quis ille foret? reſpondet vxor eſſe nepotem, qui pleuritide correptus, ſtatim ab aduentu diem ſuum extremum obierit, breuique in tumulum deportandum. At riſit, adiecit ille, quod non conceſſum mortuis. Imò, inſtitit coniunx, rident mortui & loquuntur, tu ipſe poſt mortem loqueris, & ſi velis etiam rideas. Tentauit ille, obiecto ſpeculo, & riſit. Hoc facto mortuis non denegatum riſum ſibi perſuaſit. Et hæc prima ad ſanitatem via. Nepos ex riſu de ſucceſſu benè ſperans afferri iubet cibos. Inſtructa menſa ferculorum apparatu, liberalius largiúſque ſe cibo ac potu reficit. Quod vt videt æger, rogat num etiam mortui comederent. Comedere reſponſum eſt, quod non vanum experietur ipſe ſi velit: experitur & cibo fruitur affluentius. Peracta autem cœna ſomnus illi obrepit, in eum vſum confecto liquamine. Siquidem qui ſenſu mentiſque iudicio ac ratione ſunt orbati, arte tractandi ſunt, nec vlla re efficacius, quàm ſomno domandi. Hæc veritas comœdorum fabulæ locum dedit, quæ præſente Carolo IX. exhibita eſt, cui etiam interfuit nepos tunc temporis non incelebris cauſidicus.

X.

T*Otidem, &c.*] Vnde tanta phantaſmatum in Melancholicis diuerſitas, vt de ſexcentis vix vnus & alter reperiantur qui idem imaginentur, vnde rerum tam abſurdarum quales ex quæ narratæ ſunt, imaginatio? Antiqui Melancholiam vino appoſitè expreſſerunt. Quemadmodum enim vinum pro temperamento, & moribus eorum à quibus immodicè hauſtum eſt, diuerſos effectus producit, illos ad riſum, iſtos ad fletum, quoſdam ad furorem, alios ad ſamnolentiam incitat, haud abſimiliter humor iſte diuerſimodè imaginationem turbat, vel propter corporis temperamentum, vel à certo vitæ ſtudio, & ab aſſuetis actionibus, vel certè ab occulta aliqua cauſa in qua *θεῖον τι* ſubeſt, de qua nihil impræſentiarum. Corporis diſpoſitio ſimilia aliquatenus obiecta, interueniente tamen aliqua externa cauſa repræſentat. Qui ſicco admodum temperamento, & cerebro aridiore ſunt, ſi lateres, vaſa figlina, vitreáque, & oſſa ſæpe videant, Ollas, Lateres, Vitrũ, & mortuorum Oſſa imaginabuntur: qui in inteſtinis, aut ventriculo lumbricos habebunt, ſerpentes ſibi fingent: qui flatu, & vaporante ſpiritu abundabunt, ſe Gallos eſſe, aut alias aues per aërem ferri: qui ſimul & lumbricos habebunt, & flatus copioſos *βορβορυγμὰς* excitantes, Ranas ſibi fingent coaxantes: qui veſicam multo lotio plenam reſeratam tenere ſoliti fuerint, ſe Vrinæ flumen habere: qui ſemine turgebunt, mulieres propoſitas habebunt: qui aliqua parte corporis, vel leuiter dolebunt, ſe crure, vel Brachio, vel alio corpores membro mutilos: qui quauis ex cauſa multo ſudore diffluent, ſe Butyraceos eſſe: qui ponderoſa humorum ſaburra grauabuntur, Atlantes eſſe ſe cenſebunt.

Alia ſunt phantaſmata hypochondriacos agitantia, quæ non ex habitudine corporis, ſed ex peculiari ſtudio, & viuendi ratione oriuntur. Auarus montes aureos, ambitioſus coronas, tiaras, diademata, & ita de cæteris imaginabitur. Vt plurimum tamen & habitudo corporis & viuandi ratio ad huiuſmodi ſpectra progignenda in vnum conſpirant. Alia ſunt imaginationis ſimulacra, quæ ad neutram præcedentium cauſam referri poſſunt, ſed ad *θεῖον τι*, quid diuinum.

Siccum, & gelidum cerebrum.] Hoc dicitur quia Melancholia primaria, & per eſſentiam, quæ fit à frigida & ſicca cerebri intemperie multiplices eaſque grauiſſimas affectiones difficillimè remediis cedentes parit.

Quódque hypochondria.] Propriè Hypochondria ſunt partes regionis epigaſtricæ, quæ notharum coſtarum cartilaginibus extremis ſubiacent, vti ex etymologia conſtat. Dicuntur enim Hypochon-

dria qòud ſint ὑπὸ τ̃ χόνδρων, *ſub cartilaginibus.* Latè tamen ab Hippocrate vſurpantur, vt lib. 2 Coac. Hypochondriorum meteoriſmus ſiue tumor, accipitur pro tumore hepatis, lienis, diaphragmatis, quæ omnia per metonymiam hic dicuntur Hypochondria. Latius etiam accipiuntur, lib. 4. Aphoriſ. 73. ὁκόσοισιν ὑποχόνδρια μετέωρα διαβορβορύζοντα, *quibus Hypochondria ſuſpenſa murmurant*; in quibus verbis pro toto abdomine accipiuntur. Cùm autem ſub Hypochondriis, & ſub abdomine multa ſint contenta viſcera, de quibus intelligenda ſint auctoris verba cognoſcendum. Multa ſunt viſcera quæ malè affecta Hypochondriacam Melancholiam progignunt. Eſt primò hepar quod ſi ardore nimio efferueſcat è ventriculo frigido cibos ſemicrudos attrahit, aut humores adurit, aut illos ſuis in venis, quæ ſtrictiores ſunt, retinet. Eſt etiam ſplen cuius munus eſt fœculentum terreúmque humorem expurgare, quod ſi non facit, præter naturam incaleſcit humor ille Melancholicus, & in venas proximas effuſus Melancholica inuehit ſymptomata, qua infrà ratione dicam. Eſt & meſenterium, quod totius corporis eſt veluti ſentina & humorum receptaculum, vnde morborum myriades, maximè febres intermittentes enaſcuntur. Illic humor qui Melancholiam Hypochondriacam creat, ſtabulari poteſt & incaleſcere: neque verò tantùm in venis illis meſaraicis obſtructis, ſed & in glandulis quibus pancreas abundat. Illæ partes ita affectæ flatus multos procreant, & atrum de ſe vaporem ſurſum exhalant, qui animum mentémque variè conturbant. Ex quibus triplex ſtatuitur Melancholia Hypochondriaca hepatica, ſplenica, & meſenterica. Ex impuro etiam vtero maximè tertio prægnantium menſe, Melancholici ſucci fuligines in caput efferuntur, quæ in infirma mulierum mente grauiſſima ſymptomata producunt, ex Hippocrate; indéque hyſterica appellatur.

Miſſo prouentu fulig.] Infarctis ſupradictarum partium venis ab humore vel Melancholico naturali, vel ab atro bilioſo, vel à phlegmatico crudo, vel ab illis permixtis ardor excitatur. Poteſt enim facilè ſi humor ſit bilioſus, vel aduſtus citò incaleſcere: ſi verò natura frigidus ſit, vt eſt Melancholia & phlegma, temporis diuturnitate & impedita tranſpiratione, aut etiam admixtione fermenti atræ bilis, poteſt feruorem concipere, qui ab antiquis Φλόγωσις appellatur. Ex illo velut igne fumi maligni, & acres ad cerebrum feruntur, qui ſpiritibus animalibus admiſcentur. Et cum ex horum puritate verax rerum omnium fiat repræſentatio, hinc fit vt per impuras fuligines admixtas, fallacia viſa phantaſiæ obiiciantur.

Fuliginis atra.] Quemadmodum lampadis, aut candelæ Fuligine in laterna quæ hic deſcribitur, omnia illa multáque alia obuoluuntur: ita Melancholica Fuligine in cerebrum elata, varia menti phantaſmata obuerſantur. Galenus cap. 5. lib. 3. de locis affectis, *Spiritu vaporoſo, fumoſo, & Fuliginoſo* terminat. Ex quo patet non ſine cauſa vapores Hypochondriacos non malè Fuligine exprimi. Rem apertius videamus. Ater color proprius eſt Melancholiæ. Vapores igitur Melancholici, nigerrimi ſunt, qui in caput elati, vt antea dixi, per neruos, per venas, & arterias cerebri vagantur, etiam ad oculum vſque. Vnde fit vt videantur quàm plurima eſſe in aëre quæ extra oculum non ſunt, vt patet ex eo quod in ſuffuſione cùm tenuis humor inter rhagoidem tunicam, & cryſtallinum humorem craſſeſcere incipit, fumus, muſcæ, formicæ, margaritæ, araneæ, nubeculæ, pili, &c. huiuſmodi ob oculos obuerſari videntur, cum tamen intra oculum ſint, nec videantur ab illis qui clara ſunt oculorum acie. Spiritus & nigræ Fuligines ad oculum delatæ, multas illi vmbras, & phantaſmata obiiciunt, ab oculo ad imaginationem ſpecies nigræ recurrentes, continuum fermè pauorem inducunt. Pars huius Emblematis deſumpta eſt ex Miſoponeri Satyra 26. vbi illud Satyrice, ambitioſo non medicè Hypochondriaco accommodat.

——— vidiſtin picta lucerna, &c.
Cogis? ibi lepores, catuli, vulpes, Elephanti,
Frenatus gryphs, frenatúſque anſerculus, atque
Turpia ridicula cum veſte pithæcia claris
Voluuntur gyris. Totidem phantaſmata verſat
Turbato cerebro iactata cupidine multa
Quem premit ambitio, tot roſtris pungitur & tot
Dentibus exeditur quot habent animalia dentes
Roſtráque, laterna quæ tralucente recurrunt.

Sub vno quoque animalium quorum hic mentio, multus ineſt ſenſus, quem detegere non eſt huius loci.

BILIOSVS.

BILIOSVS.

EMBLEMA VI.



Per ſpicas iuuenem Martem Leo tollit in altum:
Ignea quem mordet ſymbola Bilis erunt.

Hieroglyphica.

MARS, hieroglyphicum, *BILIOSI.* numero I.
SPICÆ, hieroglyph. *AESTATIS.* num. II.
LEO SIMIAS DEVORANS, hieroglyph. *FEBRIENTIS & FEBREM SVAM CVRANTIS.* num. III.

LEO, hieroglyph. *BILIOSI*, &	*Ira,*	*BILIOSORVM.* num. eod.
	Febris,	
	Audacia, & temeritatis,	
	Liberalitatis & nobilitatis,	
	Vindictæ,	
	Vigiliarum,	
	Famis impatientia,	
	Ruſi coloris,	
	Maciei,	

IGNIS, hieroglyph. { *AMBITIONIS.* num. IV. / *BILIS.* num. V. }

I.

MARTE Bilioſa conſtitutio ſignificatur. Nihil enim præter Bilem, & iram ſpirabat violentus ille antiquorum Deus, à quibus pro ira, Bile, & animi feruore accipiebatur. Macrob. lib. Saturn. cap. 19. Feruorem autem quo animus excandeſcit, excitatúrque aliàs ad iram, aliàs ad virtutem, nonnunquam ad temporalis furoris exceſſum, per quas res etiam bella naſcuntur,

tur, Martem cognominauerunt. Cuius vim Poëtæ exprimendo, & ſimilitudini ignis applicando, ait Iliad. o.

Μαίνετο δ' ὡς ὅτ' ἄρης ἐγχέσπαλος, ἢ ὀλοὸν πῦρ
Οὔρεσι μαίνηται βαθέης ἐνὶ τάρφεσιν ὕλης.

Furebat autem veluti cùm Mars haſtam vibrans, vel pernicioſus ignis in montibus furit, profunda in denſitatibus ſylua In ſumma pronunciandum eſt, effectum ſolis, de quo feruor animorum, de quo calor ſanguinis excitatur, Martem vocari. Rectè igitur Mars pro Bile, maximè cùm Martem planetam Bili reſpondere omnes aſſerant, vt ſupra declaraui ex Ptolemæo. Licet hæc poſſint ſufficere, conſenſus tamen aliquos Martis, & Bilioſi hominis inquiramus.

Mars bellorum eſt numen, & hoc nomine ab antiquis Gallis colebatur. Iul. Cæſar debello Gall. lib.6. de illis loquens: Mercurium habere vim maximam arbitrantur, poſt hunc Apollinem & Martem, Iouem & Mineruam. De his eandem fore quam reliquæ gentes habent opinionem, Apollinem morbos depellere, Mineruam operum atque artificiorum initia tradere, Iouem imperium tenere, Martem bella gerere, huic, cùm prælio dimicare conſtituerunt, ea quæ bello ceperunt plerúnque deuouent, quæ ſuperauerunt animalia capta immolant. Præterea Mars ab Homero Iliad. χ. impetuoſus bellator nominatur:

Ἶσος Ἐνυαλίῳ κορυθάϊκι πτολεμιστῇ.
Similis Marti impetuoſo bellatori.

Ab eodem etiam Iliad. ε. verſ. 289. audax bellator:

Αἵματος ἆσαι Ἄρηα ταλαύρινον πολεμιστήν.
Sanguine ſatiet Martem fortem bellatorem.

Dicitur ab eodem in eius hymno ὀμβριμόθυμος *impetuoſus animo.* Et Iliad. ρ. λαοσσόος *populum concitans.* Et Iliad. β ὀξὺς *acer.* Iterum Iliad. ε. θοῦρος *vehemens.* Vnius Homeri meminiſſe mihi ſat eſt de Græcis. Illa omnia Martis attributa, Bilioſo meritò attribuantur. Qui enim eſt Bilioſa corporis conſtitutione, iracundus, belli amans, impetuoſus, fortis bellator, populi concitator & vehemens eſſe ſolet, propter caliditatem Bilis qua cor exæſtuat. De Bile enim meritò dicatur, quod Virg. de Marte lib. 9. Æneid.

Hic Mars armipotens animum vireſq. Latinis
Addidit, & ſtimulos acres ſub pectore vertit.

Bilioſus iracundus eſt, audax, temerarius, vindictæ appetens, & vltor acer iniuriarum, quæ Martis fuiſſe epitheta nemo neſcit.

Equus quidem Marti ſacrabatur, quod ſit, vt Mars & Bilioſus, πολεμιστής. Teſte enim Virg. lib. 3. Æneid.

——— bellum hæc armenta minantur.

Eſt & ταλαύρινος, ὀμβριμόθυμος, ὀξύς, θοῦρος. Maluit tamen Auctor Marti Leonem dare quàm equum: quia cum equus ex Ariſtotele libr. 2. de Animalib. felle, quod Bilis eſt receptaculum, careat, cedere hic debuit Leoni, quem fel habere ſcimus.

I I.

PEr *ſpicas.*] Spicis hic intelligenda æſtas, Ouidius enim cum Spicis æſtatem depingit,

Stabat nuda æſtas, & ſpicea certa ferebat.

Nonnus in ſuis Dionyſiacis quatuor anni tempeſtates miro artificio deſcribens, æſtatis dextræ Spicã dat, æſtate enim Spicis flaueſcunt campi. Æſtas calida eſt, quod ſi quis neget, mereatur qui ardentiſſimis ſolis radiis media æſtate torrendus exponatur. Sicca etiam eſt, vnde ab Epigrammatarus lib. 2. αὐχμηρή, hoc eſt, *Sicca & ſqualida* vocatur. Iam Bilem eaſdem habere qualitates, ex Hippoc. lib. de compoſ. corp. humani, & ex omnibus qui poſt eum ſcripſerunt Medicis, tum ex Bilis ipſius cognitione, cuius obuium eſt: Bilioſus enim humor eſt ſubſtantia tenuis, qualitate atque potentia calidus & ſiccus, ex eo quod in alimentis aſſum ac veluti vſtum eſt, genitus. Conueniunt ergo qualitatibus Bilis & æſtas. Hinc patet cur in æſtate cauſus, tertianæ febres, & eiuſmodi febres Bilioſæ vigeant, cur ophthalmiæ ſiccæ, cur vomitiones, & his ſimiles morbi.

Iuuenem.] Pro eo qui ad virilitatem proximè accedit Iuuenem hoc loco accipe. Hic Mars ea ætate eſt, quia ex Galeno omnium ætatum Bilioſiſſima. Iuuenes enim τὸ χολῶδες καὶ θερμὸν τῆς κράσεως, *Bilioſum & calidum temperamentum habent*: Calidi & ſicci ſunt, & Bilioſis morbis vt tertianis exquiſitis, febribus ardentibus, & cholera morbo magis tentantur ex Ariſtotele, qui ex Hippocrate didicerat.

I I I.

LEo] Leoni Mars inſidere fingitur, quia Martiam naturam habet Leo, & Mars Leoninam. Vnde Guil. Perrierus Embl. 27. Leoni Martem comparat,

Vt timidum validis catulum contundere neruis
Eſſe nefas reputat fortis in arma Leo.
Sic animo fractos rigidus proſternere Manors
Reſpuit, & fortes viribus vſque petit.

Cæterum Leo hieroglyphicum eſt Biliosi, cuius animalis crebrior eſt iracundia apud Plin. lib. 8. cap. 16. Ira enim vt plurimum feruet, ardet calore, fremit furore. Lucretius de Leone loquens:

Eſt etiam calor ille animo quem ſumit in ira,
Cum ferueſcit, & ex oculis micat acriùs ardor.

& infrà,

Sed calidi plus eſt illis, quibus acria corda,
Iracundaq́; mens facilè efferueſcit in ira,
Quo genere in primis vis eſt violenta Leonum,
Pectora, qui fremitu rumpunt plerumq́; gementes,
Nec capere irarum fluctus in pectore poſſunt.

Silius Ital. lib. 12.

Cùm ſeſe impoſuit, victorq́; immane ſub ira
Infremuit Leo.

Virgil. lib. 7.

——iraq́; Leonum
Vincla recuſantum——

Nullum iracundius animal Leone, ideóque magis quàm equus, quem Ariſtoteles felle carere ſcribit, irarum Deo, ſcilicet Marti, qui

Terribilis ſæuam nullo diſcrimine cadem
Suſcitat,

conueniret, ſi bello tantùm aptus foret. Rectè igitur Leo tribuitur Bilioſo, qui propter Bilem iracundior eſſe ſolet. Bilis enim iræ ſuſcitabulum eſt. Palingenius in Libra:

Ira etiam ſedes fel creditur, ipſaq́; Bilis
Materiam præbet ſtimulis, cæcoq́; furori.
Hinc quæ felle carent animalia neutiq́; poſſunt
Iraſci, pacemq́; colunt ac bella recuſant.

Quæ dicuntur ex Plinio lib. 8. cap. 16. de Leone rotarum orbes circumactos, currúſque inanes, & gallinaceorum criſtas, cantúſque etiam magis horrere, necnon ignem ex Ariſtotele Homerũ citante,

Καιόμεναι δαΐδας, τάς τε τρομέει ἐσσύμενός περ.
Ardenteſq́; faces, quas quamuis ſæuiat, horret.

Hæc nequaquam timori, ſed cholericæ Leonis naturæ adſcribo. Ad rotarum ſtridorem, & gallorum cantum commouentur Leones, quia cum Bilioſorum ſpiritus & ſanguis tenuior ſit, proindéque agitatu facilior, & ſtridulo rotarum ſono, & obſtrepera gallorum voce Leones cholerici exagitantur, admiſſione ſoni acuti, qui ex Ariſtotele, & ex ipſa experientia mouere ſolet & irritare. Vidi hominem Bilioſæ conſtitutionis, qui ira & indignatione ardebat quotieſcunque à canibus oſſa rodi audiebat, nec niſi fugatis menſæ accumbebat. Sentiebat tamen ille ad primum ſtridorem ſe aliquo horrore, & timore tentari. Vidimus in caueis regiis vbi Leones detinebantur, ſi quando emitterentur, dum ipſorum expurgarentur ſtabula, non alia re magis illos ad ea repetenda compelli, quam claro catelli latratu. Hæc tamen nequaquam ab ingenti timore fieri credendum, ſed à leui, qui iracundiæ ſæpè præuius eſt. Iidem ignis aſpectu, & criſtarum gallinaceorum agitantur, quia cùm ignis, & criſtæ gallorum igni propemodum concolores multum lucis habeant, commouent ſpiritus illos, quibus maxime abundant oculi Leonini, qui idcirco dicuntur ab Oppiano in Cyneget. πυρσόγληνοι, hoc eſt, *habentes igneas pupillas*. Proprium enim lucis eſt ſpiritus commouere. Et hæc cauſa eſt, cur lucem ab oculis phreneticorum arceamus, ne turbulenti eorum ſpiritus magis exagitentur, ſed conquieſcant. Hinc colligas rationem, cur ex D. Ambroſio lib. 6. hexaëm. Leones gallo maximè albo commoueantur, quia ſcilicet rubra criſta in gallo albo magis conſpicua eſt, & quia cùm albus color omnium ſit lucidiſſimus, vti lux Leonem concitat. Non negarim tamen aliquid eſſe timoris ſub principium, quo Leo quippiam videt aut audit ex commemoratis. Vidi Leonem adoleſcens, qui ad obiectas quidem faces primo refugit, vt cæteræ feræ immanſuetæ, ſed ad iram ſtatim, & rugitum componi viſus eſt. Idem Leo viſo rubris veſtibus induto ſcholaſtico, non vt erat quietus permanſit. Quod mihi argumentum ſit Leones non ſola criſta gallorum obiecta, ſed vti Taurus, & Elephas, qualibet etiam re rubra exagitari. Ferociſſimæ quæque quadrupedes, viſo igne, maximè ſi agitetur, timore partim, partim ira permouentur. Non propterea dicendum illas eſſe timidiſſimas: Aliter melancholicus, aut pituitoſus hoſtem videt, aliter Bilioſus: pallet ille tantum ac tremit: iſte præmiſſo leui timore, ac aliquo pallore rubet, frendet, ardet Bile inæſtuante ſub præcordiis. Non tamen dixeris timidiorem, minúſque Bilioſum. Eques ille immortalis nominis Bayardus Scæua Franciſci I. quo nullus in re bellica fortiter ac ſtrenuè gerenda generoſior, aut audacior extitit, vbi

primùm hoſtem videbat, aluum ſemper leuabat (quod certè etiam timori adſcribo) quo facto tanto animo aduerſus hoſtem rotabat enſem, vt non homo, ſed Mars aliquis eſſe videretur. Idem eſto de Leone, qui longè alio oculo ignem ſibi inimicum videt, quàm lepus, cuius ſub pectore Bilis illa non efferueſcit.

At ignis choleræ, & timoris frigus,

Non bene conueniunt, nec in vno corde morantur.

Imo interdum ardor, ab illo frigore, febris etiam quæ ignis eſt, interdum. Andi Beninenium lib. Abdit. cap. 62. de ſe narrantem. In Appiani Baſilica, cum adhuc admodum iuuenis vna cum Peregrino Allio Græcis operam dabam, ſub præceptore Franciſco Caſtilionenſi Religioſo viro, vbi cùm ſemel è cubili ſummo diluculo conſurgens ædem ipſam ingrederer, vixque limen tranſiliſſem, ecce, video flammas ab imo pauimento iterum atque iterum ſurſum ferri: horreſco & pauens ac tremens curſim, vt poteram, cubile ipſum repeto. Ille verò Peregrinus condiſcipulus meus, qui adhuc in lectulo requieſcebat, cùm anhelanrem & veluti lymphatum inſpiceret, rogat quidnam mali contigerit: vix ego trahebam ſpiritum, rem tamen vt potui explico. Admiratus & ipſe, timere cœpit. Sed cum interim præceptor noſter è cubili ſurrexiſſet, hominem conuenimus, rem exponimus, cauſam quærimus. Ille verò, vt erat vir doctus, & in Philoſophia ſatis eruditus, Vapores, inquit, (benè ſi exhalationes dixiſſet) ex cadaueribus mortuorum eleuantur, quæ calidiſſimum hunc aërem nactæ (id enim accidit in ipſo menſe Iulio) facilè inflammantur: quod & nos ſæpè vidimus, ac propterea nihil nobis pertimeſcendum eſt. Hoc etſi ego authoritate viri ſuaſus verum iudico, ex præcedente nihilominus timore, ex quo ſpiritus ipſi cateruatim verſus cor regredientes, inflammati ſunt, in eam quam Græci ἐφήμερον vocant, febrem incidi.

Sat ſupérque in his immoratum ad alia gradum faciamus, quibus Bilioſum Leone appoſitè ſignificari innoteſcet.

Bilioſi calidi ſunt & ſicci, vt infra dicetur. Leones etiam calidi & ſicci ſunt. Eorum oſſa ſi tundantur, ſcintillant: ea enim calor ſolida fecit, & ſiccitas medullam ademit.

Bilioſus febri eſt maximè obnoxius, quia calidus & ſiccus eſt, vt dixi. His enim verbis orditur caput 8. libri 8. Galenus, *Cùm verò octo intemperies in vniuerſum ſint, opportuniſſima ad febres eſt calida & ſicca.* Bilis enim eſt ignis, & febris ipſa ignis eſt. Idem Comment. 1. in lib. de rat. vict. in morb. acut. ἡ δὲ τοῦ πυρετοῦ γένεσις, ἐν τροπῇ τῆς ἐμφύτου θερμασίας ἐπὶ τὸ πυρῶδές ἐστιν. *Febris generatio eſt calidi natiui in igneum conuerſio.* Vbi etiam docetur eandem habere quàm ignis ſubſtantiam, nempe caliditate & ſiccitate præditam. Leo etiam propter igneum ſuum temperamentum, opportuniſſimus eſt febri, vt ſcribunt Ægyptij, quam vt curet ſimias vorare dicitur apud Plinium, & Horum Apollinem: Ἄνθρωπον πυρέττοντα καὶ ὑφ' ἑαυτοῦ θεραπευθέντα βουλόμενοι δηλῶσαι, λέοντα ζωγραφοῦσι πίθηκον τρώγοντα. ἐκεῖνος γὰρ ἐὰν πυρέξῃ, φαγὼν πίθηκον ὑγιαίνει. *Enim qui febre laborans ſe ipſe curet monſtrantes, Leonem pingunt, qui ſimiam voret. Is enim febre correptus, ſi ſimiam vorarit, protinus conualeſcit.* Ex quibus apparet, & Leonem febrientis; & Leonem ſimiam vorantem, ſuam febrem curantis fuiſſe hieroglyphica.

Bilioſus ſubiacet inter omnes febres, Tertianæ (quam Paulus Ægineta lib. 2. cap. 19. flauæ Bilis agitatæ prolem vocat) & cauſo qui tertianæ febri intermittenti eſt ὁμογενὴς, quippe qui ab iiſdem cauſis, & ab eodem humore, Bile ſcilicet, à quibus tertiana excitatur. Hippocrates περὶ παθῶν, ἡ δὲ, inquit, νοῦσος αὕτη γίνεται ὑπὸ χολῆς, ὅταν κινηθεῖσα ἐντὸς τοῦ σώματος καταστηρίξῃ. *Hic autem morbus oritur ex Bile commota, & intus in corpore firmata.* Leo etiam propter Bilem qua abundat, febre tertiana ſolet exardeſcere; vnde febris illa à quibuſdam Leonina nuncupatur. Ex quo Hieronymus Montuus Admir. facult. cent. 2. num. 39. erraſſe conuincitur, vbi ſcripſit Leonem quartana ſemper detineri, cùm tertiana non quartana conflictetur.

Bilioſi magnanimi ſunt, audaces, temerarij, & ad omnia præcipites quos

——haud vrget lethi metus, inde ruendi

In ferrum mens prona viris, animaq́; capaces

Mortis, & ignauum eſt reditura parcere vitæ.

Atque hoc propter caliditatem quam operationibus ſubiti, & vehementis motus ſignificari ſcribit Auicenna lib. 1. ſen. 1. doct. 3. Leonis, ex Plin. lib. 8. cap. 16. generoſitas in periculis maximè deprehenditur, ſpernens tela diu ſe terrore ſolo tuetur, omnium quadrupedum audaciſſimum eſt, ita vt, referente Cardano lib. 10. de ſubtil. ducentos equites ſolus interdum aggrediatur. Hinc magnanimi & audaces qualis Achilles, θυμολέοντες dicuntur, quòd magno ſit animo inter animalia Leo.

Bilioſus liberatis, fortis, & nobilis eſt: etiam eſt Leo, Ariſt. τὰ δὲ ἐλευθέρια, καὶ ἀνδρεῖα, καὶ εὐγενῆ, οἷον λέων. *Alia liberales, fortes, nobiles: vt Leo.*

Bilioſus vindictæ eſt appetens, & acerrimus iniuriarum vltor. Talis eſt Leo. Ariſtot. lib. 9. καὶ τὸ, τὸν βάλλοντα τηρήσαντα, ἰέναι ἐπὶ τοῦτον. *Tum hoc ab eo obſeruari, atque impeti illum quo ictus ſit.* Fidem faciat hoc exemplum. Iubam Mauritaniæ Regem præſtantis animi iuuenis per Africæ deſerta comitabatur, is ex itinere obuiam factum Leonem ſagitta ſauciauit. Cùm reuerteretur Rex per eadem deſerta, Leo iuuenem à quo vulneratus fuerat obſeruat, vnúmque illum inter ſexcentos milites quibus

ſtipabatur

ſtipabatur Iuba, violentiſſimo curſu hoſtiliter aggreſſus eſt, nulláque vi cohiberi potuit, quin correptum iuuenem miſerabiliter dilacerarit.

Bilioſus vigil eſſe ſolet, breuémque ſomnum videt, caliditate ſcilicet & obſtante ſiccitate. Leo etiam vigilantiſſimus, ita vt multi ſcripſerint eſſe animal inſomne, huiuſce rei teſtimonium afferentes, quòd caudam aſſiduè inter quieſcendum moteat. At certè dormit, nec vllum animal penitus inſomne. Illius opinionis anſam dedit, quòd cum habeat breuiores palpebras, vel per ſomnum non tegitur pupilla. S. Epiphanius *ὅταν ἂν κοιμᾶται, γρηγοροῦσιν αὐτοῦ οἱ ὀφθαλμοί. Cùm verò dormit, euigilant eius oculi.*

Bilioſus igneæ naturæ eſt vt infra dicam. Leo ignem ingenitum, & in ipſis oſſibus abſtruſum geſtat. *εἰ δέ τις τὰ ὀστᾶ τοῦ λέοντος ἐξακόπτοι, πῦρ αὐτῶν ἐξάλλεται*; ait Ælianus lib. 4. de animal. cap. 34. *Si quis Leonis oſſa concutiat, ignis ex ipſis elicitur.*

Bilioſus edax eſt, multiuorus & famis impatiens, maior enim calor ipſis ineſt, vnde promptior digeſtio, maiórque reſolutio, quàm in melancholicis, ſanguineis, vel phlegmaticis. Leo famem etiam non fert, & ex Æliano allato, auidè adeò cibos helluatur, vt ſolida membra exorbere feratur. Hinc Iuuenalis Satyra 7.

Vnde emeret multa paſcendum carne Leonem
Iam domitum.

Bilioſus ruſus aut flauus vt plurimum eſt, qui color ex Auicenna loco prælignato, cholera dominium notat. Hinc flauus ictericorum color, puſtulæ Bilioſorum flauæ, vrina flaua, flauæ deiectiones, vomitus flauus, mucus ruſus. At Leoni quis alius color? Virgil. 4. Æneid.

——— aut fuluum deſcendere pelle Leonem.

& lib. 2.

——— fuluiq́ inſternor pelle Leonis.

Horatius,

Credula nec flauos timeant armenta Leones.

Cæſar German.

Horrenteſq́ iubas, & fuluum cerne Leonem.

Ab Homero modò *χαροπός*, Odyſſ. λ. verſ. 610. *αἴθων*, Iliad. χ. & σ. verſ. 161. ab Oppiano Cyneg. lib. 2. *ξανθόκομος*.

Bilioſus fruticat pilis. Rationem habet Galenus lib. 2. de temperam. Calida, *inquit*, & ſicca conſtitutio, hirſuta eſt in ſummo. Quippe per vniuerſam cutem ſemper aliquid à calido digeritur, quod ſecum etiam interni humoris nonnihil adfert ad cutem, vnde pili generantur. Ita Galenus. Quod vt clarius conſtet, ſciendum pilorum cauſam efficientem calorem eſſe, naturam in vaporem reſoluentem, in vaporem, inquam, ſiccum, qui eſt cauſa materialis pilorum. Vnde fit vt Eunuchi, & homines, quorum

Intrauit madidos penetrabile frigus in artus.

vt loquar cum Manilio, imberbes ſint. Bilioſus etiam robuſtus eſſe ſolet, quia ſolidiora, compactiora, & firmiora habet oſſa, beneficio caloris & ſiccitatis, quibus humor abſumitur, quo molleſcimus & debilitamur. Inuenti ſunt homines quos Bilioſos fuiſſe Iouis lapidum iurarim, qui fortes erant & hirſuti, non tantum externis partibus, ſed etiam corde, quod cùm omnium viſcerum calidiſſimum & ſicciſſimum ſit, exuberantem in illis calorem, & ſiccitatem ſua hirſutie ſignificabat. Ariſtomenis Meſſenij, qui (tanto erat robore) trecentos Lacedæmonios occiderat, & ſacra hecatomphonia Ioui apud Ithomen fecerat, vt auctor eſt Clem. Alexand. in Protreptico, & Pauſanias in Meſſen. mortui cor hirtum, & denſa quaſi ſylua pilorum obſitum repertum eſſe tradit; Valer. Max. lib. 1. & Plinius lib. 11. cap. 37. Idem de Lyſandro Lacedæmone qui & ipſe fortiſſimus erat, Græci ſcholiaſtæ memoriæ prodiderunt. Et de Leonida Plutarchus in Parall. Is cum paucis militibus in Perſarum multas myriadas impetum fecit, & per tela, per enſes multis confoſſus vulneribus, peruenit ad Xerxem regem, eique coronam abſtulit, quo mortuo Xerxes cor eius excidens piloſum inuenit. Amatus Luſitanus Centur. 6. cura 69. ſcribit ſe vidiſſe Ferrariæ diſſectum audaciſſimum, fortiſſimúmque laniſtam, eundémque ſaccularium, cuius cor villis obſitum inuentum ſit. Huic & audacia & corde ſimilem Venetiis à carnifice membratim cæſum narrat Muretus Var. lect. lib. 12. cap. 10. Beneuenius cap. 83. de abdit. cauſ. haud diſſimilem refert hiſtoriam de corde cuiuſdam cruciarij, & Alexandri Magni cane; cuius conſtitutio ad Bilioſam omnino inclinat: addens huiuſmodi pilos temeritatem, audaciam, præcipitem animum, iracundiam, quæ omnia Bilioſorum ſunt vitia denotare. Nonnus Panopolita lib. 26. Dionyſiacωm Sabinos fortes, magnanimos, & Bile ſuccenſos deſcribens, corda villoſa eis attribuit,

Τοῖς δ' ἐπὶ λυσσαλέων ἐπιμικτὰ στίχες, εἰσὶ καὶ αὐτῶν
Φρικτὰ δυσμάχων ἐκορύσσετο φῦλα Σαβείνων,
Τοῖσιν ἐνὶ κραδίῃ λάσιαι τρίχες, ὧν χάριν αἰεὶ
Ψυχῆς θάρσος ἔχουσι, καὶ οὐ πτώσσουσιν ἐνυώ.
Pone ſequebatur rabidorum turba Sabinûm

Queis hirſuta rigent condenſis pectora ſetis:
Hiſpida pectoribus corda, hinc interrita mens eſt:
Nec fera magnanimi Bellona ſigna paueſcunt.

Leo etiam fortiſſimus eſt, idémque piloſiſſimus. Nam Bilioſo ſuo temperamento, calido ſcilicet & ſicco, oſſa habet dura & compacta præter cætera animalia. Villoſus etiam eſt, non tantum caput, & membra alia, vt reliqua animalia, ſed iubatus etiam pectus & armos ſi mas ſit, hoc eſt, ſi Bilioſior, è regione nimirum cordis, quod cùm calidum, & ſiccum habeat, præ cæteris animalibus, caliditatis ſiccitatiſque prouiſſis iubis certiſſimum dat argumentum. De eius villis & iubis ſæpè auctores. Papin. lib. 1. Thebaid.

——villoſi pelle Leonis.

Et Virgil. lib. 8.

Impexis vtrinque iubis horrere Leonem.

Ouid. lib. 14. transformat.

Cum ſuper ipſe iacens hirſuti mare Leonis.

Et ab Homero tam in Iliade, quàm in Odyſſ. dicitur ἠϋγένειος *benè iubatus*. Et ab Oppiano lib. citato, λαχνήεις *villoſus*; δασύστερνος, *hirſutum pectus habens*, à Nonno. Plinius dictum caput ita orditur: Leoni præcipua generoſitas, tunc cùm colla, armóſque veſtiunt iubæ, id enim ætate contingit è Leone conceptis; quòd aliis animalibus æquè ferocibus, non à natura conceſſum eſt. Quos enim, *aut idem*, pardi generauere, ſemper inſigni hoc carent. Ælianus notat Leones, qui promiſſiorem iubam habent, plus habere Bilis, plus generoſitatis.

Bilioſus gracilis eſt, ſiccus, & macilentus, quia ſanguis qui eo eſt temperamento, aut potius intemperamento, calido ſcilicet & ſicco exuſtus, & nutritioni membrorum minus idoneus. His accedit quod Bilioſi maximè mobiles ſunt, ignem imitantes, cuius habent temperamentum. Eiuſmodi, eſt Leo, qui propter eandem cauſam adeo macer eſt, vt ne medullam quidem aut exiguam in oſſibus habeat ex Ariſtot. lib. 3. hiſt. animal. cap. 20. iiſdem enim qualitatibus medulla, quibus pinguedo, abſumitur, caliditate nimirum & ſiccitate.

Bilioſo in iras, in quas pronus eſt, exardeſcenti, oculi micant, ita vt ex ſe lumen profundere videantur, vt de Achille ſcripſit Homerus Iliad. α.

——ὄσσε δέ οἱ πυρὶ λαμπετόωντι ἐΐκτην.

Oculi autem eius igni ardentes ſimiles erant. Ardente enim Bile, cor quodammodo ebullit, vnde ſpiritus in externas partes euocantur, cúmque per tralucentes oculos facilior ſit exitus, eò congregantur. Leonis oculi ardere videntur, ita vt terreant intuentes, ait Plinius. Vno verbo dicam reliqua: qui Bile furentem pingit, pingit Leonem, & qui Leonem effingit, effingit & Bile furentem.

Finiam hoc parallelum ſi dixero, Firmicum Maternum in ſua Matheſi ſcribere, Leonem ſignum cœleſte cholericum eſſe, & ſub eo Bilioſos generari.

I V.

T*ollit in altum.*] Scilicet ignem verſus. Leonem vocat Homerus βλεμεαίνοντα, hoc eſt, *ſuperbientem*, & D. Baſil. dominationis hieroglyphicum Leonem ſtatuit. Quid igitur hic intelligendum per Leonem, qui Martem tollat in altum? Leo Bilis eſt, quia iuuenes Bilioſi, velut honoris facibus ſuccenſi ad honores, & gradus incitantur. Superfluus enim calor qui à Bile, ſtimulat hominem ad arrogantiam,

Ignis ad æthereas volucer ſe ſuſtulit auras.

ait Manil. lib. 1. Aſtron. Princeps elementorum ignis dominatione perpetua affectat ſublimia, & ea in quibus reſidet ad aliquam ſublimitatem mouet. Bilis cùm ignis corporis noſtri ſit, ſublimiorum deſiderium ingenerat. Vnde

Nil paruum ſapiunt, & adhuc ſublimia curant.

Horat. lib. 1. Epiſt. Bilioſi, cum Bile ipſa, ſolent in altum efferri. Iuuenes quos Bile vt plurimum ſtimulari dixi, in altum extolluntur ſuperbia atque iactantia. D. Ambroſ. in Pſal. 118. Serm. 18. Dicat ergo, *inquit*, iuuenis ego ſum & deſpectus. Præmittat ætatis generalem iactantiam. *Et ſtatim poſt:* Rara ſanè in iuuenibus eſt humilitas, ideóque miranda, dum ætas viget, dum vires ſolidæ ſunt, dum ſanguis æſtuat, dum ſolicitudo neſcitur, dum ignoratur debilitas, dum lætitia frequentatur, tunc feruet iactantia, tunc ſe Iuuentutis ſuperbus Extollit affectus, tunc humilitas quaſi valeſcit, abiecta contemnitur, tunc ſubiectio degeneris conſcientiæ æſtimatur eſſe infirmitas.

V.

I*Gnea Bilis.*] In tabella Leo Martem defert ad Ignem edito loco ſitum. Ignem ad Bilem referri, alias per transſennam docui, nunc paulò accuratius demonſtro. Marte & Leone Bilem etiam repræſentari dixi, propter rationes & conuenientias allatas, iam etiam addam alias. Suus cuique plane-

tatum color eſt. Saturno candidus, Ioui clarus, Marti Igneus, lucifero candens, Veſperi refulgens, Mercurio radians, Lunæ blandus, Soli cum oritur ardens, poſtea radians, Marti verò Igneus. Ignem ergo refert Mars. Iure ergo & Bilem, quæ Ignis animalium eſt. Quod de Leone qui Igneæ naturæ eſt, dictum velim. Doctores legis Iudaicæ ſcribunt, ſe vetuſtiſſimis traditionibus habere, viſum ſemper Leonis vultum in medio Igne, quo cœlitus miſſo holocauſtomata comburebantur. Leo enim totus Igneus in Igne potius debuit videri, quam aliud animal, cuius oculi non ſint flammei, nec ſeintillantia oſſa, qualia habet Leo, quæ Bilioſam conſtitutionem notant. Ignis enim Bilem refert, imo Ignis animalium Bilis eſt.

Bilem eſſe calidam & ſiccã aſſerui: & Ignem calidum & ſiccum iam aſſero. Calidum quidem, quia cum ſit elementorum perfectiſſimus, vt conſtat ex loco ſupremo quem illi iuxta cœlum natura conceſſit, & cum actiuitate cæteris, elementis præſtet, perfectiſſima ei qualitas quæ non alia quàm calor tribui debuit. Siccum autem, quia cùm maxima actiuitas caloris naturaliter exigat comitem ſiccitatem, qua acuitur tantum, quantum obtunditur aliarum qualitatum ſocietate, actiuitas caloris Ignis, quæ maxima eſt vt dixi, conſortium ſiccitatis habere debet. Vide Ariſtot. lib. 2. de ortu cap. 3. & lib. de cauſ. propr. element. Macrob. lib. 1. in ſomn. ſcip. cap. 6. Ignis cùm ſit calidus & ſiccus, humorem quidem aëris reſpuit ſiccitate, ſed connectitur ſocietate caloris. Et experientia nulla certior, quàm Ignem exſiccare & calefacere.

Bilis ſurſum fertur, vt ex vomitu eorum patet, qui Bilioſis humoribus abundant, qui ductum Cholidochum habent ad fundum ventriculi pertinentem, & ex iis quibus per febres Bilis à ſtomacho ſurrigitur. Ignis etiam ſua vi ſurſum nititur, deorſum nunquam, vt ait Philoſophus lib. de proprietatibus elementorum.

Bilis omnium humorum æſtuoſiſſima & actuoſiſſima eſt, vnde Bilioſi ad omnia magis ſunt præcipites propter calorem. Et morbi acuti qui à Bile, magna vehementia vniuerſalia tempora percurrunt non ſine ſumma celeritate. Ignis inter reliqua elementa eſt maximè actuoſus, propterea aliorum corporum materiam ſibi poteſt aſſumere, vt ſcribit Philoſophus lib. 1. meteor. cap. 3. Et ob illam actuoſitatem omnium deorum potentiſſimus Ignis habitus. Ferunt aliquando Chaldæos Ignem Deum ſuum circunferentes cùm omnium prouinciarum habuiſſe conflictum, quo ſcilicet qui viciſſet, hic eſſe Deus ab omnibus crederetur: Reliquarum prouinciarum Dij æris aut auri argentíque, aut ligni, vel marmoris alteriúſve lapidis, vel ex quacunque materia conſtabant, quæ corrumperetur ab Igne. Ex quo fiebat, vt vbíque gentium Ignis imperium obtinebat.

Bilis vrit & exedit, eius quippe tanta feritas eſt & acrimonia, vt ſi aliquam in inteſtinis, duplici licet membrana munitis moram faciat, vlcera pariat, & ſi in corporis habitum effundatur, panniculum vellicando rigorem excitet. Ignem vrere ſi quis neget, dignus ſit qui cum Mutio extenſa in focum dextra triſte experimentum faciat.

Quem mordet.] Dolores Bilis mordaces ſunt, vt piruitæ & melancholiæ grauantes. Galen. lib. 3. de locis affect. Bilioſa excrementa dolore mordaci afficiunt. Et Hippoc. in Coac. δῆξιν, hoc eſt, morſum, comitem facit, χολώδης ὑποχώρητος.

PHLEGMATICVS.

EMBLEMA VII.



Hydrochoo ſubiecta tacet torpedine tacta
Nymphula ſomniferis cincta papaueribus.
Qui pituitoſo torpeſcis corpore, ſcripti
Hi tibi ſunt verſus, nymphaq́ picta fuit.

Hieroglyphica.

NAPÆA, hieroglyphicum, *PITVITOSI.* numero I.
AQVARIVS, hieroglyph. *HYEMIS.* num. II.
TORPEDO, hieroglyph. *STVPORIS, & STVPIDITATIS.* num. III.
PAPAVER, hieroglyph. *SOMNOLENTIAE.* num. IV.

I.

COMO ſanguineum, Saturno melancholicum, Marte bilioſum expreſſimus. Iam cur non aliquo, alio Deo, non autem nympha, quæ ſequioris ſexus eſt, pituitoſa conſtitutio repræſentatur? Nimirum quia fœmina Phlegmatica eſt.

Pituitã ſiue Phlegma frigidum & humidum eſſe, in confeſſo apud omnes eſt. Fœminam frigidam eſſe comparatione ad marem facta, ex generationis principiis conſtare poteſt. Hippocr. lib. 1. de diæta in vtroque ſexu duplex agnoſcit ſemen, maſculinum & fœmininum: ex maſculino, id eſt, calidiore, mares; ex frigidiore fœminas generari vult. Secundò, à loco generationis probari poteſt. Hippocrat. libr. 5. Aphot. 48. *Εμβρυα τὰ μὲν ἄρσενα ἐν τοῖσι δεξιοῖσι, τὰ δὲ θήλεα, ἐν τοῖσιν ἀριστεροῖσι μᾶλλον. Fœtus qui mares ſunt dextra, fœmina ſiniſtra magis ſunt.* Quod & Galenus verum eſſe perpetuo experimento ſcribit, & Ariſtoteles etiam, licet aliter ſemel ſcripſerit, libro ſcilicet 4. de generatione animalium. Dextra verò omnia calidiora ex hepatis rectitudine: vterum verò dextrum ſiniſtro longè calidiorem ex alentis ſanguinis puritate multis infert Galenus. Scribit prætetea Hippocrates, ſub pubertatis initium ferè teſtem dextrum, vt qui vniuerſali ratione calidior eſt, magis tumere: ſi tamen particulari vitio prius magiſque tumeat ſiniſter, indubitatum eſſe filiarum fore genitorem, ſiniſter au-

tem

tem vt vterus, ita & teſtis frigidiora ſunt. Id cauſæ eſt cur Hippocr. dextrum teſtem ἀῤῥενόγονον, hoc eſt, ſi licet dicere *marigenum*, ſiniſtrum θηλύγονον, id eſt, *fœmingenum* vocat, quia illius ſemen calidiſſimum eſt, exquiſitè percoctum, & ex defœcatiore ſanguine elaboratum, huius verò frigidius, & ſero multo dilutum ob ſpermaticæ ſiniſtræ ab emulgente ramo exortum. Quod & experientia conſtat quia ſcimus teſtem dextrum abſciſſum perpetuò ſterilitatem inducere, non perpetuò ſiniſtrum. Fœmina defectu tantum caloris fœmina eſt. Mulierum vterus cum contentis teſtibus, marium ſcrotum eſt, ceruix vteri, colis; manſerunt verò in fœmina intus, propter caloris ad extrudendum imbecillitatem. Ille etiam ſanguis menſtruus incoctúſque, membrorum frigiditatem oſtendit, quæ non valet incraſſare, rectéque excoquere. Aliæ ſunt rationes quas miſſas facio, quæque ex ſequentibus inferri poterunt.

Pituita humida eſt, & humida eſt fœmina, quæ ſæpe flaute Auſtro ventorum humidiſſimo gignitur, locis etiam crudis aquis ſtagnantibus. Et, quod magis eſt, ſi Ariſtoteli fides ſit, aſpectus ipſe in initu ad Auſtrum factus, efficit vt fœminæ euadant. Hippocr. lib. de diæta citato, τὸ δὲ πάντων τὰ μὲν ἄρσενα θερμότερα καὶ ξηρότερα, τὰ δὲ θήλεα ὑγρότερα καὶ ψυχρότερα, id eſt, *in vniuerſum mares ſunt calidiores & ſicciores: fœminæ humidiores frigidioréſque.*

Pituitoſi propter frigiditatem & humiditatem, vt ſcribit Auicenna, multum dormiunt. Mulieres propter eaſdem qualitates alto ſomno ſæpius tenentur; non excubant, non antelucanis operibus Solem accerſunt, ſed ſtertunt in multam lucem.

Pituitoſi otio dediti ſunt, quia vtuntur organis frigiditate veluti torpentibus, autore Galen. lib. 3. de ſympt. cauſis. Mulier etiam pigritatur, hinc Heſiodus ἔργ. καὶ ἡμέρ. corpus puellæ aquiloni imperuium eſſe ſcribit, quia domi otiatur. Et Phidias cur Veneris pedibus teſtudinem ſubiecit, niſi vt oſtenderet pigras eſſe mulieres. Teſtudo enim lenta eſt ingreditúrque tardiſſimè. Vnde teſtudineum gradum pro tardo, dicit Euclio apud Plautum in Aulul.

Si hodiè herclè fuſtem cepero, aut ſtimulum in manum,
Teſtudineum iſtum tibi ego grandibo gradum.

Pituitoſi hebetis ſunt ingenij. Cùm enim intelligendi facilitas, & ingenij vigor ex calore innato oriatur, ſi deſit ille, adeſt frigiditas à qua ingenij ſtupiditas proficiſcitur. Mulieres cùm frigidiores ſint, friget & eorum ingenium. Vides puellos puellásque prima elementa addiſcentes, certè illos citius aduerteris profeciſſe. Mulieres propter ingenij imbecillitatem in tutorum poteſtate maiores eſſe voluerunt. Apud eoſdem cum fœminis comitiorum nulla fuit communio: ideo mulieres nec comitiis præſentes adeſſe, nec ſuffragia ferre, neque foro aut concionibus immiſceri debebant, quod & apud Athenienſes inualuit. Euripid. in Hippoc.

-------- ἡ δ' ἀμήχανος γυνὴ,
Γνώμῃ βραχείᾳ.

Stolida verò mulier propter animi imbecillitatem. Philo Iudæus lib. 2. allegor. cauſam afferens quamobrem Deus non Euam, ſed Adamum à peccato ad ſe vocauerit ſcribit: ὅτι ἄλογος οὖσα ἔλεγχον ἐξ ἑαυτῆς λαμβάνειν οὐ δυνατ). *Quia cum mulier non ſit ſat ratione firma, non poteſt ab ea argumentum ſumi idoneum.*

Pituitoſi debiliores ſunt propter eandem rationem: Fœminæ, ſunt imbecilliores, quod & Ariſtoteles tum in animalibus ratione vtentibus, tum in brutis verum eſſe ſcribit lib. 3. de part. animal. Fœminæ natura ex Seneca in Octau.

------- pectus inſtruxit dolis,
Sed vim negauit.

Virium defectu leuia tractant mulieres, non fortia. Hypermneſtra apud Ouid. ita de ſe,

Quid mihi cum ferro, quid bellica tela puella?
Aptior eſt digitis lana fuſuſq; meis.

Ariſtoteles mulierem iugulare iniquius eſſe quam virum ſcribit, quamuis vir mulieri præſtet, nimirum quia cum fœmina infirmior ſit, minus nocere poteſt.

Pituitoſorum motus tardior, pulſus paruus, tardus, rarus, mollis. Mulieres, huiuſmodi ſunt. Tardæ rebus in omnibus etiam in iis quas plus amant. Terent. in Heauton. *Noſti mores mulierum, dum poliuntur, dum comuntur annus eſt.* Etiam antequam naſcantur tardiores ſunt; tardius enim in vtero conformantur, quadraginta quippe diebus, tardius moueri incipiunt, vix enim ante quartum menſem mouentur, tardiores deinde motus edunt, propter frigiditatem.

Pituitoſi corpus albicans eſt & molle. Mulieres albicantiores viris: authoritatem legere vis, lege in earum frontibus, genis, & ſinu. Molliores etiam ſunt, vnde à mollitie dictas mulieres ſcribit Varro. Et Hippoc. ita de mulieribus, ἀναγκάζει ὅδε λόγος, καὶ στῆθεα, καὶ μάζας, καὶ τὸ ἄλλο σῶμα τοῖσι γυναιξὶν χαῦνα, καὶ μαλακὰ εἶ). *Conſtat & pectora, & mammas, & totum mulieris corpus laxum ac molle eſſe.*

Pituitoſi ſunt latiores breuioréſque, inopia enim caloris in longum non extenditur corpus. Fœminæ etiam ſunt latiores, inferiore ſcilicet parte, ideo laticlunias vocat illas Galenus lib. 5. de placit. Breuiores etiam eſſe experientia docet. Habuit ſuperiore ſæculo Maximilianus Imper. gigantem hominem, qui vitulum, vel crudum, vel coctum integrum vnico prandio comederet, vt teſtatur

Surius

Surius in ſuis Comm. Habuit & ſimilem Franciſcus I. inter ſuos ſatellites, habuit & Ioachimus II. Brandeburgenſis Elector. Vidit & alium Iul. Cæſ. Scaliger. Sic enim ille exerc. 263. Poſt victoriam quam ſub Ludouico XII. ad Laudem Pompeiam vicimus, Mediolanum profecti oſtendimus in publico noſocomio iuuenem vitium tantæ proceritatis, vt ſtare non poſſet. Neque enim potuerat à natura ſatis alumenti ad craſſitudinem roboriſque proportionem meditari. Itáque iacebat explebátque lectos duos ſimul iunctos. Quis mulierem, vel vnicam tantæ proceritatis iſtis ſæculis poſtremis vidit?

Pituiroſi corporis habitudo eſt obeſior, propter frigiditatem, & humiditatem. Auicenna enim ſcribit adipem exuberantem exceſſum frigiditatis & humiditatis denotare. Galenus 2. de temperam. qua ratione adeps à frigido cogatur ita explicat: Dum aerea pinguiórque ſanguinis portio per tenues venarum tunicas exſillat, & ad frigidiores corporis partes defertur, frigoris vi addenſatur, adepſque concreſcit. Venter inferior quia membranoſior & frigidior, longè quippe diſſitus à corde caloris origine, multo adipe obducitur: quæ verò partes conduntur ſub pectore macilentiores ſunt. Pituitoſi ergo obeſiores, quia frigidiores. Fœminæ etiam plus viris adipis habent, quod Galenus diſertiſſimis verbis libro, & loco iamiam dicto, declarat.

II.

HYdrochoo ſubiecta.] Hydrochous Aquarius eſt, per quem hic hyemem intellige. Sol enim Aquarium ingreditur menſe Ianuario. Horat. lib. & Satyr. 1. vbi dicit formicam quæſitis per æſtatem hyeme vti,

Quæ ſimul inuerſum contriſtat Aquarius annum.

Virgil. 3. Georg.

——— cum frigidus olim

Iam cadit, extremoq́; irrorat Aquarius annum.

Fabularum ſcriptores monumentis reliquerunt inter cætera de Ganymede pulchellum illum pocillatorem raptum eſſe, inter ſidera, & in id ſignum quod Aquarius dicitur, relatum. Aquarius ex Macrob. lib. 1. in ſomn. Scip. cap. 12. aduerſus Leoni eſt. Quod ita interpretor, vt Pituita quæ hic Aquario deſignatur, bili, quam Leone expreſſimus, contraria ſit. Et tantum contraria, quantum aqua igni. Aqua enim humani corporis quæ Hydrochoo hic deſignatur, pituita eſt. Aqua enim veluti pituita, frigida & humida eſt. Infrigidat enim & humectat alia corpora. Aquarius ſiue Hydrochous qui hic Phlegmati adſcriptus eſt, quique fuit Ganymedes in cœlo à poculis, docet quàm crebra poratio ad congeſtionem pituitæ conferat. Scio Iudiciarios plurimos Aquarium ſignum aeri, & aereæ naturæ adſcripſiſſe. At hic non tam ad temperamentum corporis quam ad anni tempeſtatem hybernam ſcilicet connotandam Aquarij mentio facta eſt. Nihilominus tamen quid de eo iuncto ſigno Veneri ſcribat Albumazar de magnis Coniunctionibus apponam: Si elongatur, inquit, ſignificatur multas inundationes, & redundationes fontium cum eo quod accidet nauibus ſubuerſio in mari. Quando fuerit retrograda, ſignificat ægritudines aduenire hominibus propter humiditates. Si apparuerit in eo, ſignificat multas ægritudines aduenire hominibus ex humiditate & Phlegmate, & multas pluuias, & decurſum fluuiorum, &c.

Dixi ſupra Aquario hic Hyemem ſignificari quæ pituitæ qualitatibus reſpondet. Eſt enim frigida & humida, frigidam eſſe ſi quis hyemem neget, dignus ſit

Qui, rigida cùm iam bruma diſcuſſit decus

Nemorum, & niuali cuncta conſtrinxit gelu,

iaceat nudus ſub Ioue frigido. Humidam eſſe aliquot auctoritatibus confirmo. Nonnus in Dionyſiacis hyemis comam coercet humente reticulo. Anacreon:

Μεὶς μὲν δὴ Ποσειδέων ἵσηκε,

Νεφέλαι δ' ὕδατι βαρύνοντ).

Menſis autem Nouember inſtat, nubes aqua grauidæ ſunt. Virg. 1. Georg.

Vtque ſub extremum brumæ intractabilis imbrem.

Tibul. lib. 1.

Aut gelidas hybernus aquas cùm fuderit Auſter.

Horat. Epod. Od. 2.

At cùm tonantis annus hybernus Iouis,

Imbres, niueſq́; comparat.

Maro Hyemem aquoſam vocat Eclog. 10.

——— niues hyemis ſubeamus aquoſæ.

lib. 9. Æneid.

Torquet aquoſam hyemem.

Incomparabilis Poeta noſter Ronſardus, hyemem aquoſo vellere induit, & ad fluuium Strymona ſtabulantem inducit.

Cum hyems humida & frigida ſit, non mirum eſt Hippocratem lib. 1. de nat. hum. text. 31. ſcripſiſſe, eam pituitæ parentem eſſe, φλεγματοποιὸν vocans. Aliæ tamen rationes afferri poſſunt. Primò Pituitoſis cibis veſcimur, vt vino recente; abundantioribus etiam, vnde calor noſter qualitate & quantitate ciborum retunditur. Deinde, pituita hyeme genita non vertitur in ſanguinem brumali tempore, frigus enim tunc ad venas penetrat, & ſyntimoria communicatur etiam iecori, ac proinde pituita ægrè poteſt in ſanguinem mutari. Tertiò, cum frigore pori ſtringantur hyeme, pituita non poteſt diſſolui. Rectè igitur in carmine eſt, Hydrochoo ſubiectam pituitam.

Subiecta.] Rectè, quia pituitoſi potius debent ſubiici, quàm imperare. Neque verò etiam affectant ſceptra & imperia. De pituitoſis & bilioſis dici poſſit iure quod Ariſtot. lib. 1. polit. cap. 8. ſcripſit de viris, & fœminis, quæ quia pituitoſiores, frigidiores, & humidiores, non naſcuntur imperiis. Τὸ τε γὰρ ἄῤῥεν, φύσει τοῦ θήλεος ἡγεμονικώτερον: *Nam quidquid maſculum, natura magis factum ad imperandum fœmineo.* Pituitoſi maſculis virtutibus carent, ſeruili ſunt ingenio; ſeruiant igitur, nunquam imperent. Imperet ſanguineus, vel Bilio-melancholicus.

Nymphula.] Licet ſint Nymphæ Amadryades arborum, Oreades montium, hymnides pratorum, Dryades nemorum, Nymphæ tamen ſunt propriè aquarum, à quibus nomen ſuum traxerunt, vt Phornutus capite de Neptuno ſcribit, Nympha à lympha. Sunt ναΐδες aquarum Nymphæ quibus longiſſimam vitam adſcribit Heſiodus, ſunt ὑδριάδες ſtagnorum, κρηνίδες fontium, ποταμηΐδες fluuiorum, ἑλειονόμοι paludum. Platonici & Theologi Ethnici ſublimiores naturas ad quatuor elementa referentes, Deos igneæ naturæ participes faciunt, aëreæ Dæmones, Nymphas aqueæ, animalia terreſtris.

At cur hic Nymphula, non autem Nympha? quia puerorum ætas propter voracitatem, motus intempeſtiuos, & immodicos, pituitæ obnoxia eſt, non ita iuuenum. Hæc cauſa eſt cur ætas tenera balbutire & hæſitare ſoleat. Humiditas enim pituitæ muſculos linguæ & laryngis laxat, & caloris inopia, vis ad impellendam linguam ad dentes non ſufficit, imo obſtat frigus, quod omnibus actionibus obeſt, quia calorem natiuum, & conſequenter motiuam facultatem hebetat & obtundit.

Pituitoſus ſenſus habet hebetes, & mentis pigritiam & torporem;

Editus in lucem iacuit ſine viribus infans.

Puer etiam & ſenſu hebes & mente ſtupidus eſt, tantum non brutum animal videtur.

Pituitoſus motus habet tardos, habet & puer, qui vix mouetur.

Pituitoſus ad ſomnum altum promptus eſt, & ad illum tantum promptus puer.

Pituitoſus non eſt fortis: ætas puerilis

——— & roboris expers
Turget, & inſolida eſt.

Ouid. lib. 15. Metamorph.
propter frigiditatem & humiditatem, de quibus Gal. lib. 3. de locis affect. ait, iſtam ad animi ignauiam inducendam ſecundas partes obtinere, illam verò ſcilicet frigiditatem, primas.

Pituitoſi corpus molle eſt: puerorum corpus molle eſt, vt ætas mollis:

Nam pueri eſt ætas mollis, & apta regi.

Pituitoſi breues ſunt & lati, tales & pueri.

Pituitoſi infœlici ſunt memoria, quæ ſciunt citò obliuiſcuntur: Pueri ex Ariſtot. lib. de memor. & reminiſc. parum memores ſunt, quia humidi & pituitoſi; licet aliunde memores eſſe poſſint, ſcilicet quòd memorandi organum nundum variis ſpeciebus depictum ſit. Cæteras pituitoſorum percurre qualitates, & in pueris omnes propemodum inueneris ab iiſdem cauſis profluentes.

Iacet.] Natura pituitoſi iacet & pigritatur. Ignis & aër bilis ſcilicet & ſanguis ſurſum euolant: terra & aqua, melancholia ſcilicet & pituita iacent, frigus pigrum eſt. Martial. lib. 4.

Concretas pigro frigore videt aquas.

ignauiam enim membris, & torporem affert. Humiditas etiam vigorem membrorum diſſoluit. Pituitoſi igitur frigore, & humiditate iacent.

I I I.

T*orpedine tacta.*] Torpedo piſcis eſt ad ranæ figuram accedens, ſed capite maximè. Carunculas quaſi pilos duos in vertice habet capitatos, quibus proiecta in arena, aut limo obducta allicit piſces ad veſcendum. Vbi ad ſurrectos, aut fluitantes acceſſerint, ad os ſenſim ſine ſenſu retrahit, quod in roſtro vt rana vulgaris, non ſubter mandibulas inferiores habet, atque ita deceptos & acceptos deuorat. Id quod opportunius efficit: propterea quod inferius labrum porrectum eſt, recipitque ſuperius ita, vt os contrario modo quàm cæteris cœlo obuerſum exiſtat: cutis in capite aſpera, cætera non item. Dorſum nigrum. Pinnæ binæ in imo, totidem ad latera. Oculi ſummo vertice maximi: Tota ſpecies ranam vulgarem refert, niſi quòd aliquot cirri breuiores quam ii, qui capiti inſident, excurrunt per dorſum. Græce vocatur νάρκη quæ dictio torporem & veternum ſignificat. Genuenſibus *Tremoriza* eſt, Aremoricis *Tremula*, nobis omnibus *Tourpille*, quæ certè nomina piſcis na-

turæ maximè ſunt conſona. Torpedo enim hamo capta venenum ſuum in lineam tranſmittit, inde per arundinem, móxque in piſcatoris brachium diffundit, quod protinus obſtupeſcit. Galenus noſter lib.6. de locis affectis cap.5. ſic ait: Sunt qui putant res quaſdam ſolo tactu per qualitatis vim, ea quæ eis vicina ſunt, alterare poſſe: idque planè videri in marina torpedine: vt pote cui tam vehemens ſit potentia, vt per piſcatoris tridentem tranſmiſſa ad manum alteratione, derepente totam reddat torpidam: Non tantum piſcatores, ſed & piſces ipſos torpidos efficit Ariſtoteles lib.9.hiſt.an. *ἥτε νάρκη, ναρκᾶν ποιοῦσα ὧν αἱ κρατήσειν μέλλῃ ἰχθύων, τῷ τρόπῳ ὃν ἔχει ἐν τῷ σώματι λαμβάνουσα, τρέφεται τούτοις κατακρύπτεται δὲ εἰς τὴν ἄμμον, καὶ πηλόν. λαμβάνει δὲ τὰ ἐπινέοντα, ὅσα ἂν ναρκήσῃ ἐπιφερόμενα τῶν ἰχθύων. Torpedo autem quorum piſcium compos futura eſt, eos more ſuo quem obtinet, torpere facit, iiſque ore captis alitur. Abdit verò ſeſe in arenam & lutum, & capit ſupernatantes piſces, quos eò allatos torpeſcere fecerit.* Iulius Cæſ. Scaliger torpedinem ſubiectam à piſcatore pedibus ſuis penè ſe excuſſum è veſtigio narrat. Illum Torpedinis torporē expertus ſum aliquando. Quatuor animum à ſtudiis remittendi cauſa in littore, marinæ piſcationis oblectamenta capiebamus, cùm nobis piſcatores recens extractam è mari torpedinem exhibent, qui prior tetigit, quamprimum ſtuporem ſenſit, qui ſecundò, non ita citò, nec qui tertiò. Ego qui ex illo tactu aliquid mali formidabam, poſtremus iam aquæ priuatione languentem attigi, & tardiùs brachium obſtupeſcere ſenſi. Illa enim moriente, & vis illa ſtupefactoria moritur Galen. lib.2. de loc. affect. cap.1. Conſtat autem quòd conſtrictas vehementer particulas, atque eos quoque qui torpedinem animal dum adhuc viuit, tetigerint, ſtupor infeſtare ſolet. Et quibus membrum aliquod ſtupidum fuerit, ij quicquid tetigerint, obſcuro & hebeti ſenſu percipiunt, neque moueri poſſunt, ſi verò moueri cogantur, dolent. Ælianus lib.9. cap.15. narrat, quod ſi quis Torpidinem grauidam in vas aliquod cum aqua marina immiſerit, tempori parituram, Eam deinde aquam ſi quis in manus aut pedes inuergat, membra illa haud dubiè ſtuporem contractura. Quod certè fit ope frigidi cuiuſdam veneni & venenatæ qualitatis, qua Torpedo donata eſt. In vrbibus maritimis oleum ex Torpedine fieri iubemus, quod ſedandis articulorum doloribus mirum quàm aptum ſit, propter piſcis narcoticam facultatem.

Quod efficit Torpedo, hoc facit redundans pituita tardos, languentes, pigros, ſomnolentos, imbelles, ſtupidos & torpidos reddit. Obſideatur cerebrum multo humore pituitoſo, ſtatim videbis hominem

Stultum, ſtolidum, fatuum, fungum, bardum, blennum, bucconem.

vti ait Nicobulus apud Plautum Bacchid. Itaque tacti à Torpedine videntur eſſe qui pituitoſi ſunt.

I V.

Somniferis cincta papaueribus.] Galenus quatuor Papaueris ſpecies facit, quæ quidem vel à floris colore, vel à folio deciduo, vel à ſemine inter ſe differunt. Papaueris ſatiuum aliud album dicitur, quia flore & ſemine albo eſt. Vnde Papaueratas veſtes apud Plinium candidas ſignificare quidam ſcribunt, contra ſententiam tamen Scaligeri, Cæl.Calcagn. Iſid. & aliorum. Aliud nigrum appellatur, eſtque tale & ſemine, & foliis, & floribus, quæ quidem nigricantur. Eſt & aliud Papauer quod Dioſcoridi, & aliis ceratites, ſiue corniculatum appellatur: folia habet candida, hirſuta, verbaſco ſimilia, & in ambitu ſylueſtris Papaueris more ſerrata caule non diſſimili, flore pallido: calyculo fœnigræci in corniculorum modum inflexo, vnde nomen mutuatur. Quarta Papaueris ſpecies eſt, quæ paſſim in agris, dum frumenta meſſem appetunt, creſcit, dicitur Papauer rhæas, ſiue erraticum, quia florem habet protinus deciduum, vt notat Dioſc. lib. 4. cap.54. qui ita deſcribit. Folia erucæ, aut origano, aut cichoreo, aut thymo ſimilia ſpectantur, ſed longiora, diuiſa, ſcabra: iunceus ei caulis, rectus, cubitalis, aſper: flos ſylueſtris anemones, puniceus, interdum albus: oblongum caput, ſed quàm anemones minus. Galenus lib.7. de ſimpl. medic. facult. Paralium vocatum ſcribit à quibuſdam, quod vt plurimum iuxta mare naſcatur. Illud autem memoria tenendum, omnes Papauerum ſpecies, ſingulis annis ſemine erumpere, non ex vetere radice: ſolum Papauer corniculatum radice eſſe perpetua, ac ſemine & radice creſcere.

Somnifera hic vocantur Papauera, quæ ſoporifera vocat Virgil. lib. 4.

Heſperidum templi cuſtos, epulaſque draconi
Quæ dabat, & ſacros ſeruabat in arbore ramos,
Spargens humida mella, ſoporiferumq. Papauer.

Ouid. 5. Triſt.

Quótve ſoporiferum grana Papauer habet.

Virgil. lib. 6. cum ait,

Melle ſoporatam, & medicatis frugibus offam.

vbi medicatas fruges Papauere conditas intellexiſſe videtur. Victorius lib.4.cap.3. Var.lect. Hadrianus Turnebus Medicum quendam qui ſoporatam non ſaporatam legendum in illo Virgiliano carmine contendebat, his carminibus inſectatus eſt, in quibus ſoporiferam vim Papaueris attingit:

Mella

Mella ſopora tibi cùm ſint, nec mella ſapora,
Mirificum vatem, te medicumq́; probas.
Virgilio dulci diſtendit nectare cellas,
Hyblaeum florem qua vaga libat apis.
Mel ſapit Actaei, nec quemquam ſopit Hymetti,
Vt placuit Coo, Pergameoq́; ſeni.
Dulcia qui fingunt, mellitaq́; cruſtula vendunt,
His in melle ſapor, nec ſopor vllus ineſt.
Mella ſoporifero ſed tu perfuſa veterno,
Immenſa ſolus garrulitate crepas.
Mandragorae ſuccos, ſtygiaeq́; obliuia Lethes,
Et tibi ſomniferum mella Papauer habent.
Queis non tantum homines ſomno cogantur inerti,
Tergeminus verùm ponere colla canis.
Hic iacis indocta petulans conuicia lingua,
Et ſtrepis inſani verba canina fori.
Iſta palaeſtra tibi eſt, liuenti rodere dente,
Cum nihil explanes, iſta palaeſtra tibi eſt.
Dij facerent iſto ſopitus melle taceres:
Non etenim, cui mel non ſapit, ille ſapit.

Somniferam vim ineſſe Papaueri nullus non medicns docet. Galenus ſexcentis in locis, & cum eo practici omnes, quique de medicamentorum facultatibus ſcripſerunt. Ipſi pharmacopoei non ignorant, & ipſa pharmacopolia ſcire videntur, adeò hoc decantatum eſt. Propter illam vim Papauer apud Apul. de virt. herb. cap. 53. vocatur oniton, quod ſomni nomen eſt, ὄνειρος enim ſomnus apud Graecos. Idem Lethuſam nominat & lethen, & Virgilius lethaei dat ei epitheton. Georg. lib. 1.

Vrunt lethaeo perfuſa Papauera ſomno.

Et iterum lib. 4.

Inferias Orphei lethaea Papauera mittes.

His nominibus indicare voluerunt illi authores Papauer ſua frigiditate, memoriae obeſſe, obliuionem quae lethe dicitur, inducendo, vel etiam dare letho, hoc eſt morti. Opium, quod ex Gal. lib. 2. de antid. eſt lachryma & liquor qui extrahitur è capitibus Papaueris ſylueſtris, quis neſcit interimere quarto gradu frigoris ſtuporem verius quàm ſomnum conciliando, & calorem natiuum extinguendo. Namque omnium ferè ſymptomatum cauſa, quae epoto liquore Papaueris exoriuntur, ad ſummam illam frigiditatem refertur. Legimus Licinij Cecinnae praetorij viri patrem in Hiſpania ad contemptum Medicorum ſanum, cùm valetudo impatibilis odium vitae feciſſet, opio ſe interemiſſe. Nicander Alexipharm.

Καὶ σὺ δὲ μήκωνος κεβληγόνου ὁππότε δάκρυ
Πίνωσιν πεπύθοιο χαδόντας, &c.
Foecundi lachrymam quicunque Papaueris hauſit,
Hanc ſopor altus habet, glaciali frigore ſummi
Torpeſcunt artus, nec lumina caeca recludit,
Commiſſis ſed vincta genis immota tenentur.
Vndique permulto corpus ſudore grauique
Extillat, pallet facies, ſunt feruida labra:
Vincula malarum ſoluuntur: anhelitus imo
Exiguus frigenſq́; ſimul ſpiratur ab ore.
Saepe etiam obtorta nares, vel liuidus vnguis,
Aut oculi ſunt certa caui praeſagia mortis.

Ex his carminibus, & ex iis quae etiam ſuperius diximus, Papauer ſomniferum eſt propter ſuam frigiditatem. In quo equidem cum pituita conſentit, ſunt enim pituitoſi ſomnolentiores, quia cùm pituita frigiditatem, & humiditatem habeat, frigiditate condenſantur vapores, quibus praecluditur ſenſus communis via, & primum ſenſorium ligatur retinetúrque, ne per ipſum è cerebro ſpiritus animales ad ſenſus externos deferantur: Humiditate verò vapor à frigore condenſatus, diutius ita conſeruatur. Lethargus qui altus ſomnus eſt, ab illis qualitatibus ducit originem. Gal. in Aphor. 3. lib. 2. Fit, *inquit*, huiuſmodi ſomnus refrigerato primo ſenſitiuo, hoc eſt, cerebro ipſo, quae refrigeratio cum fortis fuerit, miſta quidem humiditati, facit lethargicas paſſiones.

Papauer eiuſque ſuccus obſunt memoriae, vt dixi: pituitoſa etiam conſtitutio memoriae aduerſatur frigiditate & humiditate. Frigiditate quidem quae ex Galen. lib. 2. de locis affectis cap. vlt. & lib. 3. cap. 5. officit memoriae. Actiones enim memoriae ſunt quidam motus: at frigore motus impediuntur. Vnde Princeps Arabum Auicenna 1. 3. tract. 3. cap. 5. & 6. dicit, quod alias attuli, actiones aboleri & diminui à frigido. Galen. lib. 3. de locis affect. cap. 4. ſcribit frigus animales actiones tor-

pidas efficere : id quod animalia, quæ per frigora latere coguntur, haud obſcurè declarant. Id etiam in frigidis medicamentis videre eſt, ac frigidis quoque cibis. Humiditate etiam memoriam pituita imminuit. Idola enim & typi qui ad memoriam faciunt, propter fluxilem humiditatem diutius conſeruari non poſſunt. Hinc Gal.lib.art.med.inter alia humidioris cerebri ſigna, obliuionem ponit. Piſces infœlici & fluxili ſunt memoria, ſunt enim inter cætera animalia maximè pituitoſi, atque ita propter pituitæ frigus, functiones animales torpent, & propter humorem fluidum, imagines & idola impreſſa conſeruari non valent.

Papaueris etiam ſuccus torpedinem obducit, pallorem efficit, ſenſus hebetat, partium omnium grauitatem, colorem plumbeum & liuidum progignit, totum corpus albicans, molle, & frigidum reddit, vt ex Nicandri verſibus inferri poteſt. Hæc omnia in pituitoſa conſtitutione deprehenduntur. Ex quibus videas Papaueribus cinctam iure fuiſſe Nymphulam, qua pituitoſa conſtitutio repræſentatur.

NASCENTEM DAMNA VENANTVR.

EMBLEMA VIII.



Infra monticulum apparet euniculus humens,
Quem natura loci multimodè decorat.
Omphalus hic Veneris ſupra conuoluitur, intra
Et mutato infra nomine quòd cauus eſt.
Labra hic ſunt Veneris ſitientia, ſuntq́ capilli,
Nymphea tunica eſt triſtique, myrthus & eſt.
Ex illis lepus vt latebris abit, ilicet inſtat
Et morſu & curſu præpete multa canis.
Hac Thous, hac Canache; ruit hinc Dromas, Asbolus illinc:
Illinc Aglaodes, Tigris &, hinc Pterelas.
Et Lacon, & Sticte, atque iſtis generoſior Alce,
Nare valensq́ Agre, fortis & Harpalagus.
Nebrophonos, Lelaps, Dorceus, & Pamphagus: omnes
Vt lacerent leporem qua data præda ruunt.

Non

Non ſinit illæſum quamuis ſit Vertagus ille:
Iſte aures ſtringit dentibus, ille pedes.
Vt primùm ex tenebris in dias luminis auras
Prodit homo, innumeris cingitur ille malis.
Hac capiti Cephalæa venit, ventri Ileus illac,
Icterus hinc iecori, renibus inde Lapis.
Hac Angina gulæ, Tabes pulmonibus illac,
Hinc Glaucoma oculis, inde Podagra pedi.
Polypus hinc naſo, venit hinc Tinnitus & auri:
Cum Leuce ſcabies aduenit inde cuti.
Hinc ori veniunt Tonſillæ; inde Enterocele
Teſtibus; humecto Caſus & hinc vtero.
Hinc & Pleuritis pleuræ, Teneſmus & ἀρχῷ,
Et ſpleni Schirrus, ventriculo & Cholera.
Illinc veſicæ Stranguria, Syncopa cordi:
Parti, cuique canis, dens quoque cuique ſuus.

Hieroglyphica.

MONTICVLVS, hieroglyphicum, *MONTIS VENERIS.* numero I.
CVÑICVLVS TERREVS, hieroglyph. *NATVRALIVM MVLIEBRIVM.* num. eod.
VMBILICVS VENERIS, hieroglyph. *VMBILICI.* num. II.
DRACO, hieroglyph. *DAEMONIS.* num. eod.
DIPSACVS, hieroglyph. *LABRORVM MVLIEBRIVM.* num. III.
CAPILLVS VENERIS, hieroglyph. ΓΥΝΑΙΧΟΜΥΣΑΧΩΝ. num. IV.
NYMPHÆA, hieroglyph. *NYMPHARVM MVL.* num. V.
TVNICA PLANTA, hieroglyph. *CARVNCVLARVM VIRGINEARVM.* num. eod.
MYRTVS, hieroglyph. *CARVNCVLARVM MYRTOIDVM.* num. VI.
LEPVS, hieroglyph. *HOMINIS.* num. VII.
CANIS, hieroglyph. *MORBI.* num. VIII. & XXVI.
DENS, hieroglyph. { *DETRIMENTI, & MORBI.* } num. XXVIII.

I.

DESCRIPTIS humoribus, temperamentis, & aliis etiam quæ ad phyſiologiam referuntur in præcedentibus Emblematis, in hoc agitur de morbis, qui ex temperamentorum vitio (de primo cauſarum genere loquor, ſimilarium ſcilicet partium) oriuntur. Poſt primam Medicinæ partem, de ſecunda agendum fuit, quæ Pathologia eſt, & morbos complectitur. Tranſlatum huc Emblema ex Miſoponeri Satyrico, ita enim numero XII. legitur. Videtur altrinſecus aggeſtæ terræ tumulus, vbi humens cuñiculus verbaſco melanthióque ac piloſella, & id genus piloſis & lanuginoſis herbis marginato; labro inſuper capillóque Veneris: præterea gnaphalio integros ad genialem ſua mollitie cubitum inuitante, magis quàm culcita illo infarcta, longa de via languidos; ſupérque etiam in orbiculum blandule inflectitur Veneris vmbilicus. Intra foramen caryophyllatam attritione quadrifidam, nec non myrtum videas. Inde emicantem leporem venatici canes agminatim adoriuntur, cingunt, multíſque numero morſibus inceſſunt. Clamoſa venatorum incitamenta, & ſæuientium canum latratus tantum deſideres. Emblematis erat hæc anima: NASCENTEM DAMNA VENANTVR. Et demiſſiore loco:

Vt lepus è latebris ſe profert, ilicet, &c.

In quibus certè verbis plus eſt arcani, quàm detegat quiſquis ſimilis eſt ſtupido Margitæ, qui, ex Suida, ſponſam ductam non auſus eſt attingere, veritus ne ſe apud matrem incuſaret.

Naſcentem damna venantur.] Vide infra notata ad illa verba, *Innumeris, &c.*

Infra monticulum.] Huc plurima ſunt ex anatome afferenda, quæ ſub plantarum, aliarúmque rerum nominibus inuoluta ſunt. Inuoluta, inquam, non enim quiuis facile detegat, quæ auctor non minus artificioſè, quàm pudicè obtexit. Diu multúmque dubitaui an ſinerem hæc ſub inuolucro, ita ſuadebat pudor, qui humano artificio multum debet: contra natura hortabatur vt aggrederer, quando nihil ipſa pudibundum architectata ſit,& nihil probroſum in membris ſit, ſed in actionibus tantum. Perpendi etiam me Medicis loqui in hoc maximè Emblemate, quibus non tantum externæ, ſed & internæ partes apertæ eſſe debent. Monticulus hic intelligendus mons ille Veneris dictus, collis inſtar protuberans,qui ex adipe ſubiecto intumeſcit,quique vt arbuſtis & frondibus monticuli, ita pilis inumbratur. Certè Venus magis in hoc monte habitat, quàm in illo ſuo Eryce monte Siciliæ: plus illi vna nocte ſacrificatur in iſto, quàm centum annis in alio.

Cuniculus humens.] Cuniculi, meatus ſubterranei ſuffoſſi in vrbium obſidione, dedicant nominis ethymon eiuſdem nominis animalibus, ſub terra in cauernis ſuis deliteſcentibus. Feſtus in neutro genere appellat Cuniculum, occultum ſub terra foramen ab animali, quod ſimile eſt lepori: ſic appellatum, quòd ſubterfoſſa terra latere eſt ſolitum. Ita Vegetius lib. 4. deriuat. Hic tamen iſtiuſmodi Cuniculus non videtur intelligendus. Primam enim breuem habet, Mart.

Gaudet in effoßis habitare Cuniculus antris.

At hic longa eſt etiam ſuperpoſito titulo, quod non ſine myſterio factum, quod lector facilè intelligat, ſi diminutiui primitiuum inquirat. Cæterum Cuniculo muliebria naturalia poſſe intelligi, conſtat ex hoc Ariſtophanico nomine λακκόπρωκτος, quo Græcus Comicus Cinædum expreſſit, qui anum πρωκτὸν dictum permittit eſſe λάκκον, hoc eſt, foſſam muliebrem. Si ſolos Medicos, qui vix vnquam rebus naturalibus offenduntur, hæc lecturos ſcirem, ſubicerem alia in præcedentium probationem, quæ aliis, vtique delicatioribus diſplicerent.

Humens eſt pars illa in qua

——— *occultè ſpicula tingit amor,*

vt loquar cum Ouidio, quia ὀρχίδιον muliebre ex quinque vel ſex veſiculis contexitur, ex quibus apertis nulla facta mora exilit ſeroſus humor, qui ſecantis faciem aſpergit ſæpè, niſi præcaueat. Humor ille ſimilis eſt humori ſaliuali & oleoſo, qui perfundit vretram in viris, quem in mulieribus etiam neceſſarium exiſtimauit Galenus. Inde humens eſt locus ille. Verba Galeni naturæ ſolertiam in hoc humore oſtendentia huiuſmodi ſunt, lib. 14. de vſu partium. Qui humor, *inquit*, in illis corporibus glanduloſis gignitur, in meatum vrinarium effunditur, in maſculis vna cum ſemine. Vtilitates autem eius ſunt, tum quod ad congreſſum excitet, tum quòd in congreſſu ipſo delectet: denique quod meatum vrinarium madore aſpergat, vnde, opinor, & meatus, qui ex iis corporibus proficiſcuntur, non dubitant vaſa ſpermatica nuncupare: ac primus quidem Herophilus προςάτας glanduloſos appellauit: & quæ à teſticulis explantantur παραςάτας κιρσοειδεῖς, hoc eſt, variciformes nominare occupauit. Quòd autem meatum madefaciat ac molliat, eſt quidem, & ex ſua ipſius natura notum. Tanquam enim viſcoſitatem quandam ac craſſitiem habens, inſtar olei, meatum inungit,ne exſiccatus conſideat, prohibeátque quo minus per ſeſe lotium ac ſemen facile ferantur. Quin & alias quaſdam glandulas eiuſdem vtilitatis cauſa demonſtrauimus extitiſſe, cuiuſmodi ſunt ad pharyngem, linguam, aſperam arteriam, atque inteſtina. At nunc quidam quòd graciles, & penuria alimenti laborantes, & ſiccas has omnes partes haberet, ob eam cauſam viſus eſt nobis non poſſe prius mejere, quàm copioſum in veſica lotium aceruaſſet, quòd meatus ipſi ſiccus eſſet ac conſediſſet. Oportebat igitur meatum ipſum à lotij multi & ſimultanei supernè validè immiſſi impetu aperiri, alioqui haudquaquam homo ille mejere potuiſſet. Eámque cauſæ coniecturam curationis euentus confirmauit: oleoſis enim vnguentis locum omnem perfundentes, corpus vniuerſum renutrientes (erat enim ipſum ſummè gracile) præcipuè partes eas, his remediis hominem ſanitati reſtituimus. Verum in congreſſu quidem repente,ac ſimul vna cum ſemine id elabitur: reliquo autem tempore omni paulatim: eóque ſenſu non deprehenditur. Quare ne eum quidem qui ex multo venereorum vſu, humore hoc exhauſtus fuerit, tum autem (non aliter quàm is cuius nunc meminimus) vix meiat, malè putauimus ſanari poſſe, victum temperantiorem ei præſcribendo. Conſtat igitur omnia hæc à natura prouidenter eſſe comparata.

Quem natura loci multimodè decorat.] Alluſio etiam eſt in his verbis. Naturæ enim nomine Plinius ſignificat,id quod proximo verbo dictum: idémque Locos vocat vterum poſt Ariſtotelem qui τόπους. Locus eſt in hiſt. anatom. And. Laurentij lib.7. cap.12. ad hunc de Locis locum referendus. Multæ, *inquit*, tum in ipſo limine, tum in toto eo ductu occurrunt particulæ, varij ſinus, thalami, atria, quæ ſingulare Naturæ in Natura ipſa (ita enim vterum veteres appellarunt) artificium commonſtrant. Lactantius lib. de opif. Dei cap. 13. *Genitalium membrorum mirificam rationem agnoſcit. Et diuinum & admirabile Dei opus ad propagandam ſucceßionem inexcogitabili ratione prouiſum & effectum dicit.*

Omphalus

I I.

O*Mphalus hic Veneris.*] Planta illa eſt quæ in muris vetuſtis & ſaxis innaſcitur, dicitúrque Latinè & in officinis Vmbilicus Veneris. Italicè, *Ombilico di Venere.* Apul. lib. de medic. herb. ges Omphalon nominat, hoc eſt, *terra Vmbilicum*; ὀμφαλὸς enim Ariſtot. lib. de mundo & alus Vmbilicus eſt, media ſcilicet corporis pars, in qua ſi alterum circini pedem figas, alterum verò circum hominem prorſus iacentem ducas, extremos manuum pedúmque extenſorum digitos perſtringet, circulum perfectum efficiendo, cuius centrum erit Vmbilicus, quod experientia me docuit. Aduertendum hic tamen, γῆς ὀμφαλὸν, non eſſe Veneris, quidquid dicat Apuleius, ſed terræ Vmbilicum, cyclamen vulgo dictum. Idem Auctor Lepon Aphrodites vocat; κῆπος autem ſymbolicè ſignificat τὸ ἐπίσειον, teſte Euſtathio Iliados ι. Vnde μανίκηπος, pruriginoſa mulier. Et Vmbilicus concupiſcentiæ hieroglyphicum eſt. Origenes in Pſal. 37. homil. 1. Cùm quis, *inquit*, propenſius & incontinentius in huiuſmodi laſciuiam fluxerit, tunc renes eius vel lumbi repleti eſſe illuſionibus aſſeruntur. Illuſio enim eſt Diaboli illudentis hominem, atque in huiuſmodi peccati incontinentiam prouocantis. Non ergo mirum eſt ſi peccatorum hominum renes illuſionibus repleti ſunt, cum & Iob de dracone qui Diabolus intelligitur, ita dicat, Virtus eius omnis in lumbis eſt, & potentia eius in Vmbilico ventris eſt. Virtus ergo Diaboli præcipuè circa lumbos hominis eſt, vnde fornicatio, adulteriáque procedunt, vnde puerorum corruptio, vnde omnis ſpurcitia generatur. Ita ſane etiam mulierum circa Vmbilicum ventris eſt culpa, quod honeſtiore voluit indicare ſermone. Idem in Ezech. homil. 6. Scriptum eſt, *inquit*, quaſi de Hieruſalem, in qua die nata es, non eſt exciſus Vmbilicus tuus. Adiutorio Dei indigemus, vt poſſimus Vmbilicum non præciſum peccatricis Hieruſalem inuenire, aut certè præciſum Vmbilicum eius qui non peccauit exponere. Siue igitur Hieruſalem, ſiue cuiuſcunque alterius de alia ſcriptura quæro Vmbilicum, vt ſpiritalibus ſpiritalia comparans, inueniam quomodo non ſit præciſus Vmbilicus Hieruſalem. Scriptum eſt in Iob de dracone, Virtus eius in Vmbilico, & fortitudo eius ſuper Vmbilicum ventris. Scio ex his quæ mihi gratia diuina largita, eſt cum præſentem locum exponerem, me dixiſſe, quòd draco ſit fortitudo contraria. Iſte eſt enim draco ſerpens antiquus qui vocatur Diabolus, & Satanas, decipiens orbem terrarum vniuerſum. Iſtius fortitudo in Vmbilico eſt. Nec dubium. Nam principium malorum omnium in lumbo verſatur. Et ideo adhuc in lumbo patris conſtitutus, qui naſciturus erat refertur, quia in lumbos ſemina humana collecta ſunt. Fortitudo ergo contraria vbicunque ſunt ſemina, ibi inſidiarum ſuarum vim conatur oſtendere. Aduerſum maſculos virtus eius in lumbis eſt, aduerſum fœminas virtus eius in Vmbilico ventris eſt. Et vide quomodo honeſtè viri mulieríſque genitalia obtectis nominibus ſcriptura nuncupauerit, ne per ea vocabula quæ in promptu ſunt, turpitudinem ſignificaret. Si intellectum eſt exemplum quod protulimus de Iob, intellige mihi, quia vt in viro præputium circunciditur, ſic in fœmina Vmbilicus amputatur. Cùm enim pudica fuit mulier, & mundis vſa mutationibus fœminarum, ſcilicet ne in ſordidas res, & in peccatorum turpitudines ruat, tunc Vmbilicus eius abſciſſus. Increpat ergo Hieruſalem, quaſi mulierem cui non ſit præciſus Vmbilicus. Ità Origenes in verbà illa Ezechielis, *In die ortus tui non eſt præciſus Vmbilicus tuus*, qui ſunt in cap. 16. vbi Propheta fuſiſſimè inuehitur in fornicationem Hieruſalem.

Aſſerunt obſtetrices non parum facere ad membri genitalis longitudinem, ſi vaſa Vmbilicalia longè ab Vmbilico ligentur in puero recens nato. Quod à ratione non eſt ita alienum: Ourachos enim veſicæ continuus eſt, vnde fœtus eo effundit vrinam in alantoidem membranum. Ductus autem ſemini & vrinæ communis, qui genitalis partem conſtituit, nihil aliud eſt quàm veſicæ collum productius.

Intra eſt quoque mutato nomine quod cauus eſt.] Vmbilicus Veneris Græcè dicitur κοτυληδὼν, quòd venit à κοτύλη, quo nomine omne cauum ſignificatur, vt cymbalum apud Euſtathum Iliad. χ Poculum Odyſſ. ρ. Menſura liquidorum & aridorum, apud Athenæum lib. 11. Deipnoſ. Et apud Medicos cauitas oſſis profundior, in quam alterum os inſeritur. Hæc omnia id nominis ſortita ſunt, quia Caua ſunt. Et Vmbilicus Veneris dicitur κοτυληδὼν, propterea quod aliquantiſper Cauus eſt; & vt ait Dioſcorides lib. 4. cap. 78. folio eſt in acetabuli formam ornato, incuidenter concauo. Dicit autem auctor intra eſſe Vmbilicum Veneris, ſi tamen Græcè efferatur. Nam intra vterum, mulieribus ſunt cotyledones, quæ Latino nomine non dicuntur Vmbilici. Neque enim cotyledones mulierum Vmbilici Veneris figuram referunt, quemadmodum ouium & caprarum. Nam ora ſunt venarum ab hypogaſtrico & ſpermatico ramo propagatarum, & per vteri fundum, & ceruicem diſſeminatarum. Per illas fluit ſanguis menſtruus in fœminis, non quidem per diapedeſin, ſed per anaſtomoſin. Quod verò dicitur eſſe *infra* cotyledones, intelligi videtur coxa, nam cotyledonem in coxam vertit Gaza apud Ariſtotelem. Et certè cotyledon ſinus eſt, in quem femoris caput vertitur.

I I I.

L*Abra hic ſunt Veneris ſitientia.*] Huic loco accommodandus verſus ille Homeri Iliad. χ. fontes Scamandri deſcribentis:

Ἐνθάδ᾽

Ενθάδ᾽ ἐπαυζων πλυνοὶ εὐρέες ἐγγὺς ἔασι
Καλοὶ ——

Ibi autem ad ipſos Labra lata propè ſunt pulchra. Labrum Veneris planta eſt Græcè dicta Dipſacus, ἀπὸ τ̃ δίψας, hoc eſt, *ſitis*: A Plinio lib. 27. cap. 9. ita deſcribitur. Dipſacus folia habet lactucæ, bullâſque ſpinoſas in dorſi medio, caulem durum cubitorum, iiſdem ſpinis horridum genicula eius binis foliis amplectentibus, concauo alarum ſinu in quo ſubſiſtit ros ſalſus. Hæc deſcriptio ex Dioſcoride deſumpta eſſe videtur, qui lib. 3. cap. 11. ex Ionnis Ruellij interpretatione ita loquitur: Dipſacum aculeatarum generis eſt: caulem habet altum, ſpinis horridum, foliis lactucæ ſpinoſis, binis genicula ſingula complectentibus, prælongis, ceu quaſdam bullas intus & extra aculeatas, in dorſi medio habentibus, concauo alarum ſinu, in quo imber, aut ros aſſeruetur: vnde Dipſaci quaſi ſitientis, nomen traxit.

Labra Veneris quæ in Emblemate allegoricè intelliguntur, ea ſunt quæ Andræas Laurentius lib. 7. cap. 12. deſcribit curacea, ſed ſpongioſa, adipéque multo conferta, & ſita ad latera magnæ rimæ, & ad oſſa pubis pertingentia. Ad illa verba Dioſcoridis & Plinij *concauo alarum ſinu*, hæc Laurentij referenda ſunt: Diductis aliquantulum pudendi *Labris* conſpicuæ ſunt *alæ* πτερύγια ſeu πτερυγώματα, molles, & ſpongioſæ. Ad illa verò, *in quo ſubſiſtit ros ſalſus*, ea quæ ſuper *Humens*, ſupra dicta ſunt pag. 78.

Sitientia.] Dioſcor. citatus de Labro Veneris, Dipſaci, *inquit*, quaſi Sitientis nomen traxit. Pro allegoria intelligenda, locus eſt Salomonis Prouerb. cap. 30. Tria ſunt inſaturabilia, & quartum quod nunquam dicit, ſufficit. Infernus, & os vuluæ, & terra quæ non ſatiatur aqua, ignis verò nunquam dicit, ſufficit.

Sitiens Dipſacus dicitur, quia calidus eſt & ſiccus, quemadmodum omnes carduorum ſpecies, de quibus vna eſt Labrum Veneris, qualitates autem illæ ſiticuloſæ ſunt. Nam ſitis ex Ariſt. lib. 2. de anima cap. 3. eſt appetitus frigidi, & humidi. Hic certè Dei ſapientiam admiror, qui cum Dipſacum ſiccitate caliditatéque dotarit, ei etiam congruam figuram dedit ad qualitates illas ſaturandas. Nam in ſingulis geniculis bina ſunt folia lactucæ ſimilia, prælonga & vtrinque expanſa, quæ veluti labrum, vel peluim conſtituunt, qua ros vel imber diutius retinetur ad explendam plantæ calidæ & ſiccæ ſitim. Gnaræ laticis huius auiculæ, cùm ſolis ardentiſſimus opprimit æſtus, huc appelluntur ad ſatianda ſitis deſideria, illis facta bibendi poteſtate, anfractu liberalem potum miniſtrante.

Quemadmodum calor & ſiccitas in aruo campeſtri fecerunt Labra Veneris Sitientia; Ita calor & ſiccitas plus æquo Sitientia faciunt Labra Veneris in aruo muliebri. Nam pruritus & furor illarum partium non originem ducunt ab aliis humoribus, quàm à calidis & ſiccis, quales ſunt acres & ſalſi, vt ſcribunt Aëtius & Auicenna. Heſiodus Poeta antiquiſſimus, & poſt eum Ariſtoteles qui & illum citat, prodiderunt florente ſcolymo (& omnibus etiam carduis, inter quos vt dixi eſt Labrum Veneris) mulieres ad libidinem incitari: quo tempore cum æſtas ſit, ſiccitas & calor vigent, quæ non parum faciunt ad tentiginem.

Labrum Veneris repentur iuxta humida loca, iuxta riuos, & aquarum ſcaturigines: quapropter nonnulli Dipſacon à Græcis nominatum eſſe arbitrantur. Et Labra Veneris quæ hic ſubintelligenda, nonne iuxta humidos locos, iuxta riuos & meatum τῦ ὄρυ.

I V.

Spumá, capill.] Capilli ſcilicet Veneris, Græcè ἀδίαντα. Dicitur Capillus Veneris vel quod cauliculus ſit Capillo ſimilis, vel quòd ſpecioſos reddat Capillos. Veneris autem Capilli pulcherrimi. In plurali dictum eſt *Capilli*, quia multiplex eſt Capillus Veneris, triplex Dioſcoridi, quadruplex Fuſchſio, ſaltem duplex aliis, albus & niger vt Theophraſto lib. 7. de hiſt. plant. cap. 13. Albus vocatur etiam ebenotriches, vt ſcribit Carolus Stephanus, quòd folia habeat capillus ebeni ſimilia: atque hinc fortaſſis corruptum vocabulum, inquit Hermolaus Barbarus, vt vocemus Capillum Veneris. Habet autem folia coriandri, magnis interuallis inter ſe diſtincta, feſtucas exiles, admodum frequentes; plurima reperitur Monſpelij.

Per Capillos Veneris hic latenter denotantur pili, quos γυναικείους τρίχας poſſimus nominare. Capillus Veneris in opacis locis, paluſtribúſque & humentibus muris, in puteorum crepidine, & prope fontes naſcitur. Et γυναικομύσαξ vbi prouenit? nonne in opaco loco, paluſtrique, & humente veluti muro? nonne in putei crepidine, & prope fontem? Interpres Nicandri ſcribit Capillum Veneris dictum eſſe ἀδίαντον, παρὰ τὸ μὴ διαίνεσθαι, καὶ βρέχεσθαι ὑπὸ ὑετῦ, καὶ δρόσυ. id eſt, *ſic dicitur eo quòd non humectetur, aut irrigetur à pluuia, & rore.* Pili qui hic ſubintelligendi, cum in Veneris monticulo ſint, non humectari ſolent nec irrigari à pluuia & rore vteterum. Incipiunt erumpere fœminæ vt mari anno 14. atque etiam citius. Cùm ratio obfirmatur, *inquit*, Theodoretus ſerm. 3. de prouident. vitium à virtute diſcernit, quaſi tegere volens natura velamentis naturalibus eas corporis partes, ob quas homines erubeſcere conſueuerunt.

V.

N*Ymphae.*] Planta eſt quæ ab Arabibus nenuphar dicitur. Duo eius genera ſunt. Vna enim à flore candido candida, altera à luteo lutea nominatur. Illa habet folia ciborio ſimillima, minora tamen & longiora, quadantenus ſuper aquam eminentia, aliqua tamen etiam ſub aquis, plura ab vna radice prodeuntia. Flos candidus lilio ſimilis, in medio quid croceum obtinens. Hic cùm defloruerit rotundus, & malo circunferentia, aut papaueris capiti ſimilis, & colore niger. In quo ſanè ſemen claudirur nigrum, latum, denſum, guſtu glutinoſum. Caulis illi læuis, minimè craſſus, niger, Ægyptiæ fabæ ſimilis. Radix nigra, aſpera, clauæ perſimilis. Hæ notæ alteri Nymphææ conueniunt. Folio enim conſpicitur orbiculato, læui, herbaceo, amplo in ſtagnantibus aquis ſupernatante: flore candido, lilio ſimili, in medio crocum habente: & cum deflorueri t, capite papaueris, in quo ſemen latum amarum, pingue. Caulis gracilis eſt & lęuis. Radix nigra & ampla, dulcis, nodoſa, clauæ formam repræſentans. Altera folia antedictæ ſimilia habet, ſed radicem albam & aſperam: florem luteum, ſplendentem, roſæ ſimilem. Quæ itidem notæ in vniuerſum omnes alteri Nymphææ, quæ luteis eſt floribus, reſpondent.

Nymphæa dicitur quòd paludes, & aquoſa amet loca. Vel, vt veteres aliqui commenti ſunt, à Nympha quæ præ amore Herculis contabuit, inque paluſtrem hanc plantam mutata eſt: Nymphæis connotatæ videntur illæ nymphæ quæ in aquoſis mulierum locis ſunt, vnde vrina tanquam è fonte, aut palude potius corriuatur. Deſcribentur in ſequenti nota. Dioſcorides lib. 3. cap. 126. ſcribit Nymphæas naſci in Penei alueo, & hæ Nymphæ naſcuntur in penis alueo literulam mutando.

Tunica eſt tritáque.] Tunica flos eſt ſatis notus quem multi Caryophyllum vocant, quod certè nomen Tunicæ præferendum, Sed quia Caryophyllum propter breues tres ſyllabas ſine licentia in hoc carminum genere locum non habeat, alio nomine, Tunica ſcilicet vtendum fuit, Galli vocant *œillet & gyroflee* congruenter cum Germanis. Sed germanã cauſam vide in fine cõment. huius embl. quòd flores eius garyophyllorum odorem referant. Tunica duûm eſt generum. Vnum mite, agreſte alterum. Mite duas habet à magnitudinis differentiis ſpecies. Maius in vaſis multo cultu alitur ad feneſtras. Hyemis enim impatiens ab hyberni cœli iniuria ſub tecta ſubducitur, ſicut arancia. Quamquam haud minore periculo, quod ei à muribus impendet. Sunt enim eius auidiſſimi. Flores vbi fuerint depopulati, ſtipites arrodunt, huius ſpeciei modi duo. Quoddam vocatur ſimplex, alterum duplex: propterea quòd in latiſſima floris frequentia minuſculus flos medius inſidet cum ſuo caliculo. A colore communes omnibus differentiæ tres, rutila, candida, alba miſto rubore, nudam carnem refetens, vnde & cognomen. In qua illud animaduerteres: calicem eſſe breuiorem, ſempérque ab latere ſciſſum, cum foliorum frequentiam atque luxuriem capere non poſſet. Minores mites etiam colores alios ad quartæ ſpeciei conſtitutionem admiſcere. Nam candidæ directis venis ſanguineis diſtinguntur. Agreſte genus aliis diuiditur legibus. Quoddam ſingulari flore eſt. Aliud conferto quaſi racematim: quod ab vniuerſi generis nomine, peculiari voce dicunt Vaſcones *Floc.* Singulare diuiditur in rubeum & ſubpuniceum. Hoc non obſcurè fragrat, illud vix, aut nihil. Translatum in areolas hyemis etiam frigora tolerat.

Quid ſub Nymphææ & Tunicæ nominibus lateat diſce ex his Laurentij verbis capite ſupra allato: Carunculas mox deſcribendas Nymphas appellarunt. Sub alis catunculæ apparent valuularum inſtar, quæ in virginibus quatuor apparent, membranulis quibuſdam coeuntes: anterior vna veſicæ orificium tegens: poſterior altera, & duæ laterales, non tranſuerſum, ſed in longum ſitæ. Hæ florem virgineum caryophyllo nondum planè explicato (ocellum vocant noſtri) perſimilem, clauſtrum virginale, & hymen tantopere celebratum, vt eleganter obſeruat Pineus, conſtituunt: Membranis autem laceratis, & carunculis velut attritis, petit flos, remanéntque eadem carunculæ, ſed ita diſiunctæ contractæque, vt coiuiſſe aliquando neges.

Ex iſtis manifeſte apparet quorſum Emblema meminerit, Nymphææ, & Tunicæ, ſiue caryophylli: & quorſum etiam flos iſte dictus ſit tritus. Naſcens puer qui hic deſcribitur, exire aluo materna non poteſt, caryophyllo virgineo non prius attrito. Riolanus lib. 2. Anthropog. de carunculis illis loquens: In puerpera, *inquit*, poſt enixum per ſeptem dies ſunt omnino obliteratæ.

V I.

M*Yrtus & eſt.*] Myrtus planta eſt quæ deſcribitur à Dioſc. lib. 1. cap. 127. quæque in omnibus maris Tyrrheni littoribus, in omni Neapolitano regno natura abundè prouenit. Illa è diuerſis eſt compoſita ſubſtantiis, vincentem in ſe habet qualitatem frigidam & terreſtrem. Quinctiam ſubtilium eſt partium & calida: & ob id potenter deſiccat. Flores habet albos, & odoriferos: baccas verò oblongas ferè ſimiles oliuis ſylueſtribus. Ab huius baccæ ſimilitudine Myrtum dicitur caruncula ſubſultans in media interfeminei rima, vti ſcribit Iul. Pollux onomaſt. lib. 2. Et de hoc Myrto Emblematis verba hic intelligenda, quaſi locus ille qui hic deſcribitur ſit Myrtus, quæ Myrtum, carunculas ſcilicet Myrtoides fetat. Hæc myſteria ſolis anatomicis nota.

V I I.

E*x illis Lepus vt &c.*] Lepore hic hominem intellige: Salomon cap. 30. Prouerb. *Lepuſculus plebs inualida, qui collocat in petra cubile ſuum.*

Ilicet.] Confeſtim, *Ilicet* quaſi ire licet. Nam & ſacris olim peractis acclamabat Sacerdos, *I, licet,* qua voce illos, qui interfuerant, miſſos faciebat. Ita apud Græcos Sacerdos functus ſacris renunciare ſolebat populo, λαοῖς ἄφεσις.

M*Vlta canis.*] Multis Canibus. Horat. od. 2. Epod.

Aut trudit acres hinc, & hinc multa cane
Apros.

Idem lib. 1. carm. od. 15.

Quam multo repetet Græcia mil ite.

Canes hic pro morbis poni, vide in fine huius Emblematis.

Hac Thous, hac Canache, &c.] Verſus hic dactylis abundat quibus curſus, & canum celeritas exprimitur. Thous, Tigris, & Prerelas à pernicitate, Canache à latratu, dromas à curſu, Aſbolus à fuligineo nigrore, Aglaodes à ſplendore ſiue pulchritudin e, ſticte à macula, Alce à generoſitate. Lacon à genere, Agre à venatione, Canum ſunt nomina quæ 3. Metamorph. reperiuntur.

Dum dubitat, vidêre canes, primuſq́; Melampus,
Ichnobateſq́; ſagax latratu ſigna dedere,
Gnoſius Ichnobates, ſpartana gente Melampus,
Inde ruunt alij rapida velocius aura
Pomphagus, & Dorceus, & Oribaſus Arcades omnes
Nebrophanoſq́; valens, & trux cum Lalape Theron,
Et pedibus Pterelas, & naribus vtilis Agre,
Hylauſq́; ferox nuper percuſſus ab apro,
Deque lupo concepta Nape, pecudeſq́; ſecuta
Pæmenis, & natis comitata Harpyia duobus,
Et ſubſtricta gerens Sicyonius ilia Ladon,
Et Dromas, & Canache, Stícteq́;, & Tigris, & Alce,
Et niueis Leucon, & villis Aſbolus atris.
Præualiduſq́; Lacon, & curſu fortis Aello,
Et Thous, & Cyprio velox cum fratre Lyciſca,
Et nigram medio frontem diſtinctus ab albo
Harpalos, & Melaneus, hirſutaq́; corpore Lachne,
Et patre Dictæo, ſed matre Laconide nati
Labros, & Aglaodos, & acuta vocis Hylactor.

Lege Xenophontem in lib. de venatione, vbi quadraginta quinque canum nomina recenſentur.

Harpalagus.] A rapiendis leporibus dictus. Confictum nomen à Io. Bapt. Mantuano lib. 4. troph. Gonzag. vbi in leporina venatione plura habet canum nomina:

Plebs leporum tepidis excita cubilibus inter
Mille canes malè tuta pedum leuitate per omnem
Fertur agrum, quos in prædam dimiſſa fatigat
Turba ſagax, volat acer Hylax, volat ocyor Euro
Harpalagus, referenſq́; lupum toruo ore Lyciſca.
Et Tigrina notis tergum maculoſa Melampus
Aequiparans candore niues, veſtigia tantum
Ima niger, falco leuis ilia, lumine ſerpens
Sanguineo, mordax Ragonia, & Iſcia regis
Deliciæ, nomen patria ſortita marina,
Et truculentus Helor certare leonibus audens,
Innumeriq́; ruunt alij ſine nomine, vulgus
Innocuum.

Nebrophonos.] Nebrophonos, & Dorceus nomina ab hinnulis & capris

Lalaps.] Hoc nominis ſortitur, quòd feratur

——— *ventorum violenti turbinis inſtar.*

Nam Lælax venti turbo eſt apud Ariſtotelem qui infernè ſurſum verſus repentè conuoluitur, qui & στρόβιλος nuncupatur. Pro cane vſurpatur à Naſone non ſemel lib. 3. Metamorph.

——— *trux cum Lalape Theron.*

Et lib. 7.

Poſcor

Poſcor & ipſe meum conſenſu Lelapa magno.

Non ſinit illaſum quamuis ſit Vertagus.] Alludere videtur ad hoc Martialis diſtichum:

Non ſibi ſed domino venatur Vertagus acer,
Illaſum leporem qui tibi dente feret.

In dias luminis oras.] Lucret. lib. 1. ſtatim à principio Venerem alloquitur hoc verſu:

Nec ſine te quicquam dias in luminis oras
Exoritur.

Innumeris cingitur ille malis.] Id ipſum eſt quod ait Iobus cap. 14. *Homo natus de muliere, breui viuens tempore repletur multis miſeriis.* Virg. 3. Georg.

Optima quæque dies miſeris mortalibus æui
Prima fugit, ſubeunt morbi, triſtiſq; ſenectus,
Et labor & duræ rapit inclementia mortis.

Miſeros vocat mortales Poëta Latinus ad imitationem principis Græcorum, qui priùs δειλοὺς βροτοὺς, hoc eſt, *miſeros mortales*, quia naſcentes naſcuntur malis. Hinc populi planxiſſe naſcentes inueniuntur. Hegeſippus lib. 5. excidij Hieroſolymorum: Nonnullis gentibus morem eſſe ait, vt hominum ortus fletibus, occaſus gaudiis proſequantur: & illos ad ærumnas natos doleant, hos ad beatitudinem rediiſſe gratulentur: illos ad ſeruitutem veniſſe ingemiſcant: hos ad libertatem remiſſos gaudeant. Ceſſiæ Bracmanes, Gymnoſophiſtæ, Cauſiani, illi ſunt qui hominibus in hanc vitam ingredientibus ingemiſcebant. Et Thraciæ illa natio meritò ſibi ſapientiæ laudem vendicauit, quæ natales hominum flebiliter, exequias cum hilaritate, celebrauit, ſine vllis doctorum præceptis verum conditionis noſtræ habitum præuidit. Remoueatur, addit Valerius, naturalis omnium animalium dulcedo vitæ, quæ multa & facere, & pati turpiter cogit, ſi ea mortua, aliquantò eius fœlicior, ac beatior reperietur finis. Herodotus tamen Trauſis, quod alij Thracibus, adſcribit, dum ait, Trauſos gentem eſſe Thracibus finitimam, quæ cætera quidem cum Thracum moribus concordet, vnum illud habeat peculiare, quòd edito infante propinqui circunſidentes cum ploratu commemorent, quantum calamitatum illi ſit perferendum, vitam ingreſſo: contra defunctum hominem cum luctu lætitiáque efferunt, recenſentes quàm malis multis ſubiectus ſit. Palladas in Antholog.

Δακρυχέων γενόμην, κ̀ δακρύσας ἀποθνήσκω,
Δάκρυσι δ' ἐν πολλοῖς τ̃ βίον εὗρον ὅλον.
Ὦ γένος ἀνθρώπων πολυδάκρυτον, ἀσθενὲς οἰκτρόν.
Sum lachrymans natus, lachrymans morioŕq;, peregi
In lachrymis vitæ tempora longa mea.
O genus humanum miſerum & lachrymabile.

Eccleſ. 40. Iugum graue ſuper filios Adam à die exitus de ventre matris eorum, vſque in diem ſepulturæ in matrem omnium. In quæ verba, Quem non humiliat, *inquit*, *Doctor celebris*. conceptus impurus, & lugubris ortus? Aut vnde ei gaudium in vita ſua, quæ incipit à mœrore. Vtinam quos ſic præoccupant culpa & pœna, citò anticipet miſericordia tua Domine. Quid putamus qui ex vtriuſque parentis corruptione concipitur, & in dolore parturientis producitur, ad quid ipſe naſcitur? vt ad volandum auis, ſic homo naſcitur ad laborem. Nemo glorietur, nemo ſeſe extollat, nemo ſibi complaceat in ſeipſo. Onus hic ſuper omnes filios Adam dicitur, nullus excipitur, non perſona hominis, ſed nec temporis hora. Quid enim eſt? Iugum nempe, & graue iugum. Super quos? ſuper pauperes, ſuper ignobiles, ſuper ſæculi contemptores, vel ab eo forte contemptos? Parum eſt. *Super omnes*, inquit, *filios Adam à die exitus de ventre matris eorum, vſque in diem ſepulturæ in matrem eorum.* O qualis mater? qualis ille vterus terræ, tumulus ſepulturæ? & tamen paritura eſt ipſa, quos concipit redditura. Dura quidem conditio, quandoquidem non eſt nobis excutere à ceruicibus graue iugum donec ingrediamur ſepulchrum, nec euadere vitæ huius laborem, niſi per mortis horrorem. Ecce enim ex illo interitu graui iugo imminet hominum fames, & ſitis, & ardor febrium, & dolor viſcerum, & multiplicium ægritudinum, vel moleſtus timor, vel meticuloſa moleſta. Inde homo inſipienter extollitur, impatienter atteritur, & aduerſitatis indignatione crepat, cùm intumuerit præſumptione animoſitatis. Inde ſuccenditur ira, tabeſcit inuidia, ebrietate mergitur, crapula ſuffocatur, inquinatur luxuria, auaritia ſtimulatur; Inde etiam inani ſolicitudine, & varia ſuſpicione laborat, inde eum voluptas illicit, curioſitas agit, timor contrahit, mœror conſumit. Vnde ergo hæc vita, vnde hæc via diligitur, in qua etiam quiſquis ille eſt qui cautiſſimè graditur, ſæpiſſime labitur, læditur, impingit, offendit, corruit, & quaſſatur. Nam & ſi cui fortè ad votum ſuccedere interim vniuerſa videntur, delicias computat eſſe ſub ſentibus. Miſera proinde vita quæ ſic prodit, ſic procedit, ſic oritur, & ſic progreditur.

Capiti.] Caput appellatur id totum quod collo ſuperpoſitum eſt, diuiniſſimum corporis membrum, quippe quod mentis thronus ſit, vnde omnis hominis excellentia. Diuiditur in partes continentes & contentas. Continentes aliæ communes ſunt, propriæ aliæ. Communes ſunt cuticula, cutis capillata, membrana carnoſa. Propriæ ſunt externæ & internæ. Inter externas habentur pericranium, & oſſa cranij. Internæ duæ ſunt meninges, ſcilicet dura & pia mater. Contentæ ſunt cere-

brum, cerebellum, & nerui qui ab his oriuntur. In Cephalæa, neruoſæ partes ſenſu tactus præditæ, vt cutis, pericranium, meninges, & nerui maximè afficiuntur, id circo de illis, omiſſis aliis, breuiter agendum eſt.

Cutis in Capite craſſior eſt, quàm in alia corporis parte, poris tamen pluribus peruia, vt detur via fuliginibus. Poſt cutim panniculus eſt ſiue membrana carnoſa, ei adhæreſcens, vnde fit, vt in nonnullis cutis Capitis ad arbitrium moueatur. Deinde eſt pericranium, membrana ſcilicet totum os cranij circumplectens. Oritur à craſſa meninge beneficio plurium vinculorum villorúmque caluariæ ſuturis adhæreſcentibus, quæ extenſa expanſaque membranam hanc conſtant. Cranium verò ipſum præter diuiſionem ſeptem oſſium quibus conſtat, duplicem habet laminam, inter quas eſt ſubſtantia mollis, rara, fungoſa, multis carunculis, arteriolis, & venis capillaribus obſita, cui Hippocrates ſub initium lib. de Capitis vulner. nomen dat, quod duplici tabulæ ſiue laminæ dat Galenus lib. 6. Method. cap. 6. Id nomen eſt διπλόη. Sub calua duæ ſunt meninges altera craſſa, tenuis altera, Arabes matres appellant, quaſi ſint omnium membranarum parentes, quæ cum ſint ſenſus tactorij organa, meninges ipſæ exquiſitiſſimo ſenſu ſunt præditæ. Craſſa meninx ſiue dura mater, cranio contigua eſt, vt eius duritiem à cerebro propellat, eſt cribri inſtar perforata, & toti propemodum meningi tenui circumponitur: venis pluribus intertexta cerebrum dextrum à ſiniſtro, & vtrunque à poſtico cerebello diuidit. Tenuis meninx ſiue pia mater pluribus venis, & arteriis intertincta eſt, quibus partes quas velat, nutrit atque temperat. Cerebrum proximè ambit, & penetrans intra varias plicaturas quæ conſpiciuntur in cerebro, latera ventriculorum circumueſtit. Cæterùm vtraque meninx à cerebro in totam ſpinam deſcendit, eamque conueſtit & munit, neque eam ſolum, ſed & neruos quoque omnes, tam eos qui à ſpinali medulla, quàm qui à cerebro exoriuntur. Nerui autem qui molles ſunt à cerebro orti in ſenſuum organa feruntur, de illis & de durioribus adi Galen. lib. 9. & 16. de vſu part. Adiungerem arterias & venas quæ partes Capitis internas, & externas peruadentes, cauſas doloris Capitis aduehunt, niſi me prolixitatis tæderet. Vide Galenum citatum.

Cephalæa.] Cephalæa ex Galeno lib. 2. comp. pharm. κατὰ τόπους. quem hac in parte tranſcripſere poſteriores Græci, Oribaſius, Aëtius, & Paulus ab Ægina. Arabs etiam Auicenna, χρόνιος τις καὶ δυσλυτός ἐστι κεφαλαλγία ἐπὶ μικραῖς προφάσεσι μεγάλους ἔχουσα παροξυσμούς. ὥστε μήτε ψόφων ἀνέχεσθαι, μήτε φωνῆς σφοδροτέρας, μήτε λαμπροῦ φωτός, μήτε οἰνοποσίας, μήτε τῶν τὴν κεφαλὴν πληρούντων ὀσφραντῶν, μήτε κινήσεως, ἀλλ' ἐν ἡσυχίᾳ καὶ σκότῳ κατακεῖσθαι βούλεσθαι, διὰ τὸ μέγεθος τῶν ἀλγημάτων. ὡς ὑπὸ σφύρας γὰρ πλήττεσθαι δοκοῦσιν. ἔνιοι γὰρ ὡς θλωμένων ἢ διατεινομένων αἰσθάνονται τῶν κατὰ τὴν κεφαλήν, οὐκ ὀλίγοις δὲ εἰς τὰς ῥίζας τῶν ὀφθαλμῶν διήκει τὸ ἄλγημα. φέρει δὲ τὸ πάθος ποτὲ μὲν συνεχῆ ἀλγήματα, ποτὲ δὲ παροξυσμούς, καὶ διαλείμματα, ἤτοι τεταγμένα, ἢ ἄτακτα, διαλείπουσι γὰρ ἐνίοτε οἱ τοιοῦτοι παροξυσμοὶ καθάπερ τοῖς ἐπιληπτικοῖς, καί τις χρόνος ἐπιγίνεται μεταξὺ τελείως ἀμέμπτος. εὔδηλον οὖν ὅτι τὸ πάθος τοῦτο τῆς εὐπαθείας μὲν ἔχει τῆς κεφαλῆς ἐμφαίνει τοῖς κεφαλαλγικοῖς ἐπὶ δὲ μᾶλλον ἐκείνων ἀσθενείας ἔχει τὰ κατὰ τὴν κεφαλὴν στάζοντα μόρια, καί τινες αὐτῶν τὰς περὶ τὸν ἐγκέφαλον ὀδυνῶνται μήνιγγας, ἔνιοι δὲ καὶ τὸν περικράνιον ὑμένα μόνον. *Eſt inueterata & ægrè cedens Cephalalgia, ex paruis occaſionibus maximas habens exacerbationes, adeo vt neque ſtrepitum, neque vehementiorem vocem, neque ſplendidum lumen, neque vini potum, neque odoramenta caput replentia ægri ferri poßint, neque motum, verum in quiete & tenebris, ob dolorum vehementiam decumbere velint. Velut enim à malleo pertundi ſibi videntur. Quidam námque velut contundantur, aut diſtendantur quæ circa caput ſunt ſenſum habent, non paucis verò vſque ad oculorum radices dolor peruenit. Affert autem hic affectus quandóque quidem dolores continuos, interdum verò exacerbationes & internalla, ſiue ordinata ſiue inordinata. Intermittunt enim aliquando eiuſmodi exacerbationes, velut in comitiali morbo affectis, intermediúmque eſt tempus aliquod, quod omnino incuſari non poteſt. Manifeſtum eſt igitur in hoc affectu eam eſſe capitis naturam vt facilè patiatur, velut in capitis dolore laborantibus, verùm in his affecta capitis partes ad maiorem debilitatem deueniunt. Et quidam ex ipſis ad membranas cerebrum inuoluentes dolorem ſentiunt, quidam etiam ad membranam tantum caluariam ambientem.* Corn. Celſus lib. 4. cap. 2. Cephalæam acutum & peſtiferum morbum vocat.

Hac capiti, &c.] *Hac illac, hinc, inde*, & huiuſmodi particulæ quæ in hoc ſunt Emblemate, cauſas indicant. Itaque morborum quorum hic mentio, cauſas inquirere operæpretium eſt. Propria Cephalææ cauſa, eſt potius debilitas ſuſcipientis, ſcilicet capitis apti vt impleatur, quàm vehementia efficientis. Vndè fit vt Cephalæa multò ſit peruicacior, & minus cedat, pro morborum more, qui à ſuſcipientis cauſæ imbecillitate oriuntur. Partes capitis debiles quæ Cephalæam acceerſunt & fouent, vel ſunt intra cranium, vel extra, quas paulò antè recenſui. Cum variæ ſint capitis partes inter ſe diuerſæ, pro vt hæ vel illæ afficiuntur magis, varius etiam dolor eſt, & variè excitatur. Vnde ægri alij rerum ſuauè olentium odore, alij clamoribus & ſtrepitu, alij coruſca luce vel ignis vel ſolis, alij denique rebus aliis magis offenduntur. Quo autem quis pluribus malè afficitur, eo grauius ægreſcit ille. Sunt aliqui qui capite ſunt debili, & vniuerſo corporis habitu ad id implendum parato, quales ij ſunt qui abundant ſanguine calido & vaporoſo, quique arterias turgidas vehementius pulſantes, parteſque neruoſas concutientes habent: illis Cephalæa ordinaria eſt.

Caput aut pars capitis debilis læditur vel ab Intemperie, vel à Solutione continui partis carneæ,

aut

aut membranaceæ, aut nerueæ. Intemperies vel eſt ſimplex, vel ex Compoſita. Simplex præcipuè calida & frigida eſt, deinde ſicca, demum humida, non per ſe quidem, ſed quatenus cum caliditate, aut frigiditate coniungitur. Sæpius Intemperies cum materia eſt, tuncque dolor continuus eſt, & magis firmus. Illa autem materia, aut humor eſt qui vel eſt ſanguineus, & hebetans viſum ex Hippocr. 2. Prorreth. Vel bilioſus, vnde vigiliæ, amaror in ore, dolor acerbiſſimus, & velut acus pungens; vel melancholicus, vnde dolor grauatiuus & mœſtitia: vel pituiroſus, vnde dolor torpidus, vel ex his miſtus, vnde dolor etiam miſtus ex præcedentibus. Aut materia vapor eſt, vnde dolor vagus qui diaphoreticis cedit; Vapores illi & humores aliquando gignuntur in ipſo capite, tuncque contumacior eſt, & vera Cephalææ materia: aliquando aſcendunt à toto corpore, & vaſorum ambitu: vt in febribus, & plenitudinibus. Vel à parte vt à ventriculo, vnde ſæpè dolor in antica, vel ab vtero, vnde dolor in poſtica: vel ab hepate, vnde dolor in ſiniſtra, vel à liene, vnde in ſiniſtra parte dolor. Et hi dolores fieri dicuntur per *συμπάθειαν*, & cephalalgiæ eſſe ſolent. Dolores autem qui per *ἰδιοπάθειαν* ſunt, hoc eſt, vitio ipſius capitis, Cephalææ vt plurimum ſunt, quia fixi.

Materiæ Cephalææ allatæ aliquando dolorem excitant qualitate ſola, alterando nimirum; aliquando ſoluendo continuum & contiguum, maximè ſi ſint humores acres, bilioſi, ſalſi, putres, humectantes cum repletione, ſiccantes cùm corrugatione, diſtendentes, collidentes, diuidentes, grauantes, vel mordentes, & erodentes membranas. Soluitur etiam continuum à caſu, vulnere, contuſione, punctura, maligna qualitate, vt in carie, lue Venerea, & diſtenſione quæ ferè fit ab humoribus, vel à flatibus: vel etiam ab obſtructione, cùm craſſus humor, & lentus meatuum anguſtias oppilat, aut ſpiritus fumidus, & vaporoſus intra vaſa, ſuturas, membranáſque turgeſcunt. Cauſæ externæ Cephalææ ſunt, calida aut frigida aëris intemperies, flatulenti cibi, vigiliæ diuturnæ, perfrictio capitis, fumus, graueolentia, veſtis iuxta iugulum arctior adſtrictio, qua ſanguis in caput refluit. Venus, Bacchus; ira, mœror, timor, & id genus alia.

V I I I.

V*Entri.*] Inferiori ſcilicet, Venter autem hic metonymicωs accipitur pro inteſtinis quæ in Ileo afficiuntur. Sunt autem illa ſex numero, à ventriculo ad anum hoc ordine ſe ſubſequentia. Duodenum, ieiunum, ileos, cæcum, colon, rectum: quorum tria prima tenuia ſunt, craſſa poſtrema, tam iſta quam illa obſtrui, & Ileos affligi poſſunt, ſed iſta rarius, & minus dolorificè. Quæ cùm ita ſint, non Ilei inteſtini tantum, ſed aliorum etiam mentio hic fieri debet. Duodenum quod *ἐκφύσιν*, & *δωδεκαδάκτυλον*, ſiue ſeparatim, ſiue coniunctim vocant Græci. Nomen habet quod duodenos vix digitos longitudine ſuperet. Ad finem eius meatus eſt ex veſicula fellea, vt cibum bilis pellat, & inteſtinum mundificet. Duodeno continuum eſt ieiunum, inde exordium ducens, vbi gyri eſſe incipiunt. Nomen habet quod inanius ſit reliquis, propter bilem ſynceriorem à duodeno defluentem, propter hepatis viciniam, chylúmque exugentium venarum meſaraicarum copiam. Tertium inteſtinum eſt Ileos, quod Ileo morbo de quo poſtmodò agemus nomen commune eſt. Eſt reliquis inteſtinis anguſtius, duplò verò longius omnibus ſimul iunctis, ad ilia & coxas vtrinque cum variis gyris, anfractibus, circumuolutionibúſque poſitum. In eo chylus diutius cunctatur, tum ob retuſam bilis in duodenum illabentis acrimoniam, tum ob partem ſucci liquidiorem attractam.

Tria quæ ſequuntur inteſtina dicuntur craſſa, tum quia craſſiores habent tunicas, tum quia craſſior chyli portio in illis eſt, ſunt autem iſta, cæcum, ita dictum quod bina orificia oppoſita non habet, vt cætera, nam eodem quo excipit oculo, ſiue orificio, eodem reiicit: Colon quod penultimum eſt inteſtinum, varias habet cellulas, quas excrementa aridiora imitantur, vt in durioribus ſcybalis videre eſt. Cum hoc inteſtinum amplum pituitæ maximè vitreæ flatuúmque ſit officina, & aëris ab inferis partibus aſcendentis receptaculum, locus etiam eſt in quo *κωλικὴ* procuditur. Vltimum inteſtinorum Rectum eſt, de quo infra. Inteſtinorum duo præcipua munia ſunt, chylum diſtribuere, & reſiduas fæces inferius, foráſque detrudere, quibus additur vtriuſque muneris gratia, vis quædam ſentiens, quæ in tenuibus inteſtinis exquiſitior eſt, quàm in craſſis.

Ileus.] Ileus eſt ex auctore definit. Medic. *φλεγμονὴ ἐντέρων, ὡς τὸ μήτε φύσας, μήτε διαχωρήματα διεξιέναι, στρόφοις δὲ ἰσχυροῖς παρακολουθεῖν, καὶ ἀλγήματα ὑπερβεβηκότα, Inteſtinorum inflammatio, vt neque flatus, neque excrementa pertranſeant, & ingentia tormina & dolores ſuperueniant.* Dicitur Ileus ab Ileo tenui inteſtino, quod maximè affligitur hoc malo. Aliam tamen habet originationem Aretæus lib. 2. de morb. acut. cap. 6. & Galenus qui libro, & capite ſecundis Meth. med. à ſympromate deriuat. Et Actuarius lib. 1. *περὶ διαγνωσ. παθ.* cap. 45. *τὸ μὲν πάθος εἰλεὸς ὠνόμασται, διὰ τὸ τὰς τῶν ἐντέρων ἕλικας εἰλεῖσθαι. Affectus Ileus vocatur, quòd inteſtinorum inuolucra conuoluantur, & in arctum cogantur.* Qua etiam notione à Latinis voluulus & conuoluulus dicitur, quia flatus lentus, & frigidus ex Aretæo loco citato, cùm neque supernè, neque infernè exitum habeat, gyros agit, voluitur, & conuoluitur in inteſtinis, vnde grauiſſimi cruciatus. Dicitur & chordapſus *ἀπὸ τοῦ χορδεύειν*, hoc eſt, *implicare*, aut inuoluere ad chordæ ſimilitudinem, vel potius *ἀπὸ τοῦ τῆς χορδῆς ἅπτεσθαι*, quod qui manum loco admouerit, propter partis affectæ tenſionem, chordam attingere videatur. Nam hic inteſtinorum do-

lor præter vehementem, fœdúmque vomitum, tumorem ventris habet ad chordæ implexæ ſimilitudinem; prouenítque ab affectu doloroſo, inteſtina ad expulſionem ſollicitante, quæ cum deorſum expellere non valeant propter fibrarum contractionem, motu periſtaltico ſurſum humores, excrementáque contenta retrudunt, aut violenter protundunt.

Ileus illæ.] Cauſæ aliæ ſunt internæ, externæ aliæ. Internæ vel fiunt ab inflammatione, vel ab obſtructione, vel à compreſſione, vel à ſubſidentia: ſi ab inflammatione inteſtinorum, immediata cauſa eſt, vel ſanguis, vel humor bilioſus, vel alterius generis. Cum enim humor huiuſmodi in inteſtinis collectus diutius remanet, incaleſcit, putreſcit, & inflammationem inducit. Si ab obſtructione, fit vel ex repletione per calculos (quod rarius eſt) vermes, ſaniem, grumos, vel à craſſis, lentis, viſcidis humoribus, à vitrea pituita, à melancholia, vel à copioſo flatu, vt vult Hippocr. lib. de flatu, quibus omnibus repleri poſſunt inteſtina, & cuiuſque materiæ exitus prohiberi, ita vt facultas expultrix irritata collectis omnibus viribus ſurſum expellit quidquid ipſam lædit. Si à compreſſione, fit vel à venis meſeraicis, vel à iecore ita tumidis, vt præ mole inteſtina coarctata exitum recuſent cibis. Si à ſubſidentia, fit ab intemperie præſertim ſicca qua corrugantur & concidunt inteſtina, vel à ligamentis diſruptis, vel peritonæo ſoluto.

Ileos à Cœliaco, & morbo colico diſtinguitur variis ſignis, dolore qui in Ileo eſt acutior, & ex Gal. cap. 2. lib. 6. de locis affectis, & comment. 6. Sect. 2. lib. 3. epid. ad præcordia videtur aſcendere; termino, celerius enim terminatur: Difficili etiam reſpiratione ex Aetio, quæ interdum graueolet, quia putridi vapores è ventriculo elati, cum aëre expirato miſcentur: Strictiſſima alui clauſura, quod Ileo propriè competit. Galenus enim Aphor. 10. lib. 7. In Ileo, *inquit*, nihil deſcendit ad inferiora, & hoc eſt proprium inſeparabile paſſionis: Nauſea & vomitu, ita vt cibi potúſque reiiciantur, deinde pituita, & bilis, demum etiam ſtercus: Celeri termino, paucioribus enim diebus Ileos mortem infert.

I X.

I*Cterus.*] Icterus cùm ſine adiuncto ponitur, de flauo intelligendus: definitur, bilioſi humoris per ſumma cutis effuſio. Et ab Auctore Defin. medic. *ἀνάχυσις χολῆς ἐς τὸ δέρμα, ὥστε βάπτεσθαι τὴν ἐπιφάνειαν, καὶ χλωρὸν ἀποτελεῖσθαι, καὶ κνησμῶδες τὸ δέρμα, καὶ λευκαὶ αὐτοῖς αἱ κατὰ κοιλίαν διαχωρήσεις γίνονται). Bilis per cutem refuſio, ita vt eius ſuperficies colore tingatur, & pallida efficiatur. Atque ita affectis alui dectiones alba euadunt.* Dicitur Icterus, vel ab aue Ictero concolore, qui & charadrius, galgulus, & galbula de qua Plin. lib. 30. cap. 11. Ea ſi ſpectetur ab ægro ſanari huoc tradunt & auem mori. Heliod. lib. 3. Æthiop. hiſt. *ὁ χαραδριὸς τοὺς ἰκτεριῶντας ἰᾶται. καὶ ὁ τοῦτο πάσχων, εἰ τῷ ὄρνεῳ προσβλέψοι. τὸ δὲ φεύγει, καὶ ἀποστρέφει), τοὺς ὀφθαλμοὺς ἐπιμύσαν, οὐ φθονοῦν, ὡς οἴονταί τινες, τῆς ὠφελείας ἀλλ' ὅτι θεώμενος ἕλκειν, καὶ μεθιστᾶν εἰς ἑαυτὸν ὥσπερ ῥεῦμα πέφυκε τὸ πάθος, καὶ διὰ τοῦτο ἐκκλίνει καθάπερ τρῶσιν τὴν ὄψιν. Charadrius ictericis medetur: qua auis ſi iſthoc morbo laborans aliquis eam conſpexerit, fugit, & auerſatur eum concluſis oculis, non inuidentia (vt quidam aiunt) auxilij, ſed quòd aſpiciens, & trahit ad ſeſe à natura morbum, veluti fluxum quendam, ac ea de cauſa declinat aſpectum, tanquam ictum.* Aetius lib. 10. cap. 17. non ab Ictero, ſed à ſyluestrium muſtelarum genere, quas Græci *ἰκτίδας* vocant, Latini vioerram, Galli furetum, qui ſub tellure tantum poteſt, vt decuplo ſe maiorem cuniculum vincat ac interficiat: huius animalis oculi ſunt lutei ac auricolores, à quibus nomen Icteri tractum fit. Ictinus etiam à Galeno dictus eſt miluus, à quibus hanc appellationem aliqui tractam ſuſpicantur. De prima originatione conſtantior, & verior ſententia. Dicitur morbus arquatus, vel arcuatus, ab iridis ſeu arcus cœleſtis ſimilitudine, qui, vt ait Virgil. lib. 4. & 5. Æneid.

Mille trahit varios auerſo ſole colores.

Pretioſa etiam habet nomina. Dicitur enim à Marcello Scribonio aurigo, dicitur & auriginoſus morbus, quòd ægri eius nominis auri colore ſiunt ſimiles. Regium porrò appellari eundem cuius fit mentio, vult Celſus, quod regio cubiculi apparatu curetur: debet enim omni metu & triſtitia ſolui, quæ ſanguinem, ſpiritum, & calorem ad intima reuocant, vnde obſtructiones quæ Icteri cauſæ ſunt. Debet cantilenis, luſibus, ſalſis iucundiſque confabulationibus recreari: aula etiam ſole & igne luculenti, ſi opus ſit, illuſtrata, per quæ vitales ſpiritus dilatantur amplificantúrque, quæ omnia Ictero ſaluberrima ſunt. Dicitur Regius, vt ſcribit Q. Serenus,

Molliter excelſa quondam curandus in aula.

Varro, quia curatur mulſa, morbum Regium dictum exiſtimat, quod certè abſonum eſt. Summus Medicorum dictator Hippocr. lib. 3. de morb. & lib. de morbis internis *σιδοειδῆς*, vel *σαυροειδῆς* vocat, quod vel malicorij, vel lacertæ ſimilitudinem referat.

Iecari.] Iecur eſt viſcus quod cùm ſit natura primum, naturalis etiam facultatis principium eſt. Speciem eùm referat aridi & ſicci ſanguinis, exhauſto vapore concreti. Primariũ eſt ſanguificationis inſtrumentum, & vocatum quæ ſanguinis vaſa ſunt, *ἀρχὴ καὶ ῥίζα*. Nam venarum cauæ & portæ radices, per vniuerſum hoc viſcus ſexcentis labyrinthis, & admirandis anaſtomoſibus diſſeminantur, vt diutina mora in illis venularum anguſtiis *αἱμάτωσις* perficeretur. In media Iecoris pinnula, ſiue

lobo

lobo (ſunt autem quinque) veſicula fellea recondita eſt, ſimplici conſtans tunica, ac duos proprios meatus habens, vnum à iecore, qui ſurculus eſt venæ portæ, quo bilem attrahit, alterum ad duodenum, quo bilem redundantem expellit. Aliis quę ad Iecoris hiſtoriam pertinent obmiſſis, hic tantum dico quæ ad intellectum triplicis Icteri hepatici, ſcilicet, fellei, & cutici faciunt. At, Iecurne ſolum locus affectus huius morbi? Locus affectus Icteri bifariam ſpectari poteſt, vel ſecundum ſymptoma, vel ſecundum morbum: ſecundum ſymptoma eſt cutis, in ea enim auriginoſus color videtur: ſecundum morbum, cùm plures loci affecti ſint, maximè tamen Iecur afficitur, vt ex ſequenti nota conſtabit.

Hinc.] Oritur Icterus vel propter choleræ multiplicationem, vbi maior copia gignitur, quàm cyſtis fellea attrahere, vel recipere poſſit, quod fit vel propter calidam iecoris intemperiem: cùm enim iecur vnica ſit bilis officina, ſi ſit calidior maximum bilis prouentum producat neceſſe eſt. Vel etiam fit ob alimenta calida, quæ in biliosos humores facile conuertuntur, vt ſunt aromata, cepe, allium, & omnia dulcia: vel ab feruentem iecoris inflammationem, cuius vi ſanguis in bilem mutatus per venas tanquam per tubos in vniuerſum corpus diſtribuitur. Gignitur nonnunquam etiam Icterus ex calida ſolidarum partium intemperie, dum calor ſingulis inſitus partibus nimium fit acris atque mordax, propter intemperiem totius corporis calidiorem: tunc humores in bilem potius mutantur, qui ſanguini tandem permixti aureo veluti colore totum corpus inficiunt. Fit etiam Icterus venenata qualitate ſanguinem corrumpente, vt quando quis à vipera læditur, ſecundum Galen. lib. 5. de locis affect. cap. 7. & Auicennam. Viperæ enim morſus ita afficit ſanguinem, vt mutetur in bilem excrementitiam veneficam, quæ facultate iecoris expultrice ad cutem tranſmittitur. Galenus ſe vidiſſe ſcribit Ictericum morſu viperæ factum. Morſus canis rabioſi, aquæ corruptæ hauſtus, aqua ſtagnans, aura venenata, catharticum etiam Icterum cauſant. Nicander Coloph. ait Leporis marini morſum Icterum facere. Poſtquam enim deſcripſit illum, ita canit:

> Τοῖ ἤτοι ξοφόεις μὲν ἐπίχλοος ἴδραν χρόος
> Ιονεέεις.
> *Hu color ictericus viridi, nigroq; remiſtus*
> *Corpore fit toto.*

Hiſtoria extat apud Auenz. lib. 1. cap. 13. de Alzer filio Philati, qui ob venenum hauſtum Ictericus factus eſt, & ab ipſo curatus. Id fit, quia venenum ſi partes venoſas prius attigerit vna cum ſanguine ad iecur fertur, quod infectum alterat omnem ſanguinis maſſam, qua deinde vniuerſa corporis ſubſtantia tranſmutatur in colorem porraceum, citrinum, &c.

Oritur etiam Icterus, quando iecur bilem à ſanguine non ſegregat, & ſeparat, aut ad cyſtin felleam non expellit, ob intemperiem ſubſtantiæ vim ſecretricem & expultricem debilitantem, aut ob anguſtiam meatuum, & ductuum ex iecoris ſubſtantia in cyſtin, quæ vel obſtructio, vel cõpreſſio eſt: ſi obſtructio, fit ab humoribus craſſis & viſcidis; aut à calculis, quod in Domina *Dentragues* notatum eſt, quæ Icteriodes erat, in cuius veſicula fellea, referente Lud. Dureto oculato teſte, inuenti ſunt viginti duo lapilli triangulares formam gagatis referentes. Si compreſſio, fit aut ſcirrho, aut inflammatione, aut callo, vt refert Auenzoar.

Fit etiam Icterus ex debilitate virtutis veſiculæ felleæ bilem à iecore non attrahentis, vel à ſe ad duodenum expellentis, aut ob intemperiem ſubſtantiæ eiuſdem, aut ob ductus anguſtiam.

Demum gignitur repentè Icterus vi facultatis expultricis, quæ ad humorem bilioſum expellendum, aut vi morbi concitatur, quemadmodum dixit Hippoc. lib. 4. Aphor. 64. quòd quibus Icterus apparet in febribus ante ſeptimum diem calamitoſum ſit: aut per criſim, quando natura ſuperato humore vires colligit ad bilis expulſionem.

Sunt præter aſſignatas cauſas animi pathemata, ira, triſtitia, &c. Sol etiam, ſæpe enim qui ſub ardente ſole iter faciunt, Icterici euadunt.

X.

R*Enibus.*] Renes nunquam ex diametro ſiti, impoſiti ſunt lumbis iuxta vltimam coſtam, & ſubſtantia carnoſa, ſolida, compacta, denſa, dura, concaua. In illorum enim medio ſinus eſt propria membrana ſuccinctus, ad vrinam percolandam. Ex natura debent per venas, & arterias emulgentes ſeroſum excrementum à ſanguinis maſſa ſegregare, & per vreteras in veſicam transfundere. Vide reliqua apud anatomicos.

Lapis.] Alius calculus renum eſt, alius veſicæ. Renum calculus vt plurimum calore rufus, rarò albus, flauus aut niger, & in corpore renum gignitur: Veſicæ calculus ſubalbus ac cineritius, & gignitur in veſicæ capacitate. Renum calculi minores ſunt, aſperiores, magiſque friabiles; & puerili ætati obtingere ſolent. Eſt autem renum calculus, corpus tophaceum, aut lapideum præter naturam in renibus, ex materia craſſa, lenta, per exſiccationem à calore præcipuè genitum, actiones eorum impediens. Cauſas iam vide calculi.

Inde.]

Inde.] Cauſa materialis calculorum eſt humor craſſus, lentus, viſcidus, & terrenæ ſubſtantiæ qualis piruita renum ſæpe eſt, plerúmque eum ſanguine permixta aliquóve alio humore, vel pure craſſo harum materierum, aut par eſt portio craſſæ & gluti noſæ, aut craſſa exuperat glutinoſam, aut contra: materia autem quo glutinoſior fuerit, & calor ex coquens ardentior, eo duriores calculi excoquuntur, coloris magis cinerei ſubruffi: alioqnin renum ſuccive exuperantis colorem æmulantur. Cruditates, alimentáque craſſi ſucci difficiliſque concoctionis humoris illius craſſi lentique ſemina ſunt, vt lac caſeoſum, caſeus, panis azymus, oriza, annoſiorum animalium carnes, piſces cartilaginei, & teſtacei, anguillæ, lucanica, tomacula, carnes fumo induratæ & ſalitæ, aquæ crudæ & paluſtres, vt docet Hippocr. lib. de aëre, aquis, &c. Piſtacia, lagana, pyra auſtera, & omnes propemodum fructus duri & acidi. Vina rubra & craſſa. Calida etiam diuretica intempeſtiuè aſſumpta, & ea omnia quæ dorſum renéſque excalfaciunt. Et ſi cauſæ externæ recenſendæ ſunt, excedens aëris caliditas & ſiccitas, balneorum calidorum vſus, exercitium à paſtu immodicum, ſupinus decubitus, arcta zona, & aliarum rerum ſuper renes ſtrictio: Et cætera omnia, quæ vel calorem excedentem ſuſcitare poſſunt, vel crudorum craſſorúmve ſuccorum copiam ſubminiſtrare.

Alui ſuppreſſio, & meatuum vaſorúmque anguſtia non parum etiam faciunt ad Lapidis generationem.

Cauſa efficiens Calculorum concretionis, eſt calor renum ingens, qui humidum redundans exſiccat. Gal. lib. 3. de aliment. facult. cap. 17. vbi de caſeo; Oſtendiuſus, inquit, Calculos in illis corporibus naſci, in quibus ſuccorum craſſities, cum ardenti calore eſt coniuncta. Poteſt etiam eſſe à calore paulò remiſſiore, vt colligere licet ex Gal. in Aphor. vltimum lib. 3. Mediocriter enim excedens calor, modò temporis longitudo, caloris exiguitatem compenſet, Calculi generationi ſufficit. Talis proportio caloris efficientis ad materiam eſſe debet, vt ille tenue abſumat, nec poſſit liquefacere craſſam ſubſtantiam, aptam vt induat duritiem lapideam maiorem aut minorem pro vt ipſa craſſior & viſcoſior eſt, calor autem vehementior. Caloris vehementioris præcipua ſedes in renibus eſt; non principalis, eſt in iecore qui diſponit materiam, vt facilius deinde in renibus vertatur in Lapidem. Calor verò renum vltimam formam dat materiæ. Vide Hippoc. lib. 6. Epidem. & de internis affect. & alibi paſſim. Gal. in aphor. 31. libri 3. lib. 4. & 14. Meth. med. lib. de cura lapidum. lib. de ſuccorum bonit. & vit. libris de facult. aliment De compoſit. medic. De locis affect. De renum affect. Et Auicennam lib. 3. fen. 18. tract. 2. cap. 18. Aëtium tetrabibl. 3. ſerm. 3. Paulum Ægin. lib. 3. & recentiores quàm plurimos.

Angina.] Angina dicta quòd angat, ſi propriè & germanè accipiatur, eſt difficultas ſpiritus ducendi, & cibi potúſque deglutiendi, cum febre continua, orta ex muſculorum gutturis, aut faucium inflammatione. Qui diſtinctionibus gaudent, alias appellationes habent, quarum prima eſt *κυνάγχη*. aut vt aliis placet λυκάγχη ſic dicta à *κύων* canis, λύκος lupus & *ἄγχειν ſtrangulare*, vel quia canes & lupi frequenter ſuffocentur hoc morbi genere: vel, vt vult Aëtius, quòd lingua a ſua radice mota, factáque difficili reſpiratione, cogantur ægri aperto ſemper ore reſpirare, & canum & luporum in morem linguam exerere. Aurelianus cynanchem dictam putat ab *ἀγχόνης*, id eſt, ſuſpendio, quia inſtar ſuſpendij ſuffocat, vel à *συνέχειν* i. à continendo ſpiritu, quia reſpirationem prohibet. In hoc morbo afficiuntur muſculi gutturis interni, maximóque cum diſcrimine laborat æger concurrentibus his ſignis, dolor vehemens eſt in gutture quem febris etiam interdum ardentior comitatur. Spiritus non niſi recta ceruice trahitur, vox etiam læditur. Nullum indicium apparet caloris neque tumoris in ore, neque in faucibus, neque in ceruice, anguſtia verò maximè in gutture deprehenditur, lupino aut canino ritu & rictu frequenter hiant, aëréque frigido reficiuntur, aliquando etiam linguam exerunt, & variè iactantur, oculi rubent & prominentes extant, refluitq; per nares potio.

2°. Συνάγχη ſeu *συνάγχη* ſic dicta à *σῦς* quod & verbum eſt Latinum *ſus*: *ſues* enim crebrò laborant hac ægritudine. In hac inflammatio internos faucium muſculos apprehendit & cibi deſcenſum maximè prohibet, non ita attractionem ſpiritus. Sed calor, tumor, dolor, atque grauitas in faucibus magis percipitur. Imò verò ſi os aperiatur, & lingua deprimatur, rubor & tumor introſpicientibus tantum apparet, & non in externis partibus. Minus eſt periculi quàm in Cynanche.

3°. Παρακυνάγχη, vbi externi muſculi, & partes circa guttur inflammatione laborant.

4°. Παρασυνάγχη cùm inflammatio externos faucium muſculos partéſque afficit. In his duabus tumor ardórque in externis apparet partibus, & minori difficultate ſpiritus trahitur, & cibus glutitur. Galen. in Aphor. 34. lib. 4. *Λοιπὸς ὁ λάρυγξ ἐστὶν ὁ τῆς αἰφνιδίου πνιγὸς δυνάμενος ποιῆσαι, ἐπειδὴ στενοῦταί τι κατὰ τοῦτον ὁ τοῦ πνεύμονος πόρος, οἵ τ᾽ ἔνδον αὐτοῦ μύες ἅμα τοῖς περιέχουσι χιτῶσι φλεγμαίνοντες, ἀποκλείουσι δύνανται τὴν ὁδὸν τοῦ πνεύματος. ὀνομάζουσι δὲ ἔνιοι τῶν ἰατρῶν τὴν τοιαύτην διάθεσιν οὐ διὰ τοῦ σ συνάγχην ἀλλὰ διὰ τοῦ κ κυνάγχην, οἷς ἀρέσκει τὴν τοῦ φάρυγγος φλεγμονὴν διὰ τοῦ σ συνάγχην, ἔνιοι δὲ καὶ παρασυνάγχην καὶ παρακυνάγχην ὀνομάζουσι. παρασυνάγχην μὲν ὅταν τῶν ἐπικειμένων τῷ φάρυγγι μυῶν γένηται φλεγμονή, παρακυνάγχην δὲ ὅταν ἔξωθεν τοῦ λάρυγγος. Reliquum eſt guttur quod ſubitam poteſt facere ſuffocationem, quoniam tum iuxta ipſum coarctatur pulmonis meatus, tum muſculi ipſius interiores vna cum ambiente tunica inflammationem patientes, ſpiritus viam poſſunt intercludere. Huiuſmodi autem affectionem nonnulli Medici non per σ συνάγχην, ſed per κ κυνάγχην nominant, quibus placet faucium inflammationem per σ συνάγχην*

ὁ κυνάγχην appellare. Quidam etiam & παρασυνάγχην & παρακυνάγχην vocant, παρασυνάγχην quidem cùm faucibus adiacentium muſculorum inflammatio fuerit, παρακυνάγχην autem, quando extra guttur inflammatio extiterit.

Hinc ang] Cauſa efficiens Anginæ eſt affluxus & inflammatio, quam facit vel redundantia ſanguinis, ſiue ſit ex crapula, vita deſide, aut ſuppreſſa euacuatione, vel idem ſanguis calidior feruidiórque maximè ſi pituitoſus, qui ea ratione tenuior, fluxuíque paratior redditur: vel humores acres & bilioſi, vel melancholici, denique fluxus omnis qui cum fluibilitate humoris aliquam habet viſciditatem, his affectionibus gignendis idoneus eſt. Sciendum tamen quam creat Anginam pituita aut melancholia, eſſe notham, cùm vera Angina morbus ſit acutus cum febre & tumore calido & dolorifico. Sciendum etiam Anginam quæ à ſanguine fit è venis iugularibus eò deriuato, plenum pulſum & vndoſum habere, ſpirandi & tranſgluriendi difficultatem maximam, ruborem in lingua & tota facie, febrem etiam permoleſtam. Si à bilioſo fit ſanguine grauiſſima etiam inuehere ſymptomata. Cauſæ mediatæ & internæ ſunt ſexus: crebrius enim viri quàm mulieres Angina torquentur, & inter viros crebrius iuuenes, quàm pueri vel ſenes. Corporis etiam habitus his cauſis annumerandus, quibus enim grandius caput, contra breue collum, corpúſque oppletum ſanguine, illi obnoxij Anginæ inter cæteros.

De cauſis præternaturalibus ſunt hæmorrhoides & menſtrua ſuppreſſa, violentus vomitus, à quo fauces irritatæ nullo negotio inflammantur. Galen. lib. 4. de locis affect. cap. 5. vbi & Hippocratem citat ceruicis vertebras intrò luxari ſcribit, fauces ac gulæ gutturiſque introitus premere ac arctius coanguſtare.

Cauſæ externæ ſunt aër calidus & humidus, frigidus & humidus, ver & autumnus vt habetur lib. 3. Aphor. 20. & 22. exercitatio quæ fit capite cernuo, capitis perfrigeratio, iræ, contentiones, vociferationes, liberalior non lymphati vini vſus, cibi & potus actu calidi, colli ſtrictura puluis, fumus, feruentis muſti vapor. Auicenna, & poſt eum alij fungos Anginam creare dicunt, &, quod magis miror, nimium vſum & eſum ceraſorum.

Gula.] Gula propriè ductus ille eſt qui à faucibus ad ventriculum vſque pertingit, per quem cibus ab ore deorſum fertur. Gula etiam eſt pars iuguli exterior quæ guttur, & iugulus dicitur: Illic larynx & pharynx ſunt, quarum muſculi angina tentari ſolent. Illius quatuordecim numerantur cõmunes quatuor, duo tyroidei, & bronchij totidem: Et quinque proprij cricothyroideus anticus, qui thyroidem dilatat, & cricothyroideus lateralis, qui thyroidem contrahit: crycoaritbenoideus poſticus arythenoidem aperiens: Et thyroarythenoideus, & arythenoideus claudentes arythenoidem: decem erunt ſi geminentur. Pharingis muſculi ſunt, ſphænopharyngeus, ſtylopharingeus, cephalopharingeus, & œſophagæus

X I.

T*Abes.*] Tabes Latinis eſt quod Græcis Phthoë & Phthiſis. Galen. in lib. 7. Aphor. 16. *Ἣν ἰδίως ὀνομάζουσι οἱ Ἕλληνες, καὶ μάλιστ' αὐτῶν οἱ Ἀθηναῖοι φθόην, ταύτην νῦν ὁ Ἱπποκράτης ὠνόμασεν φθίσιν, ὅτι πνεύμονος ἑλκώσεσιν ἀνιάτοις γενομένης ἅπαντος ἰσχναινομένου μετὰ πυρετοῦ λεπτοῦ. Quam propriè Græci, præſertimque Athenienſes Phthoen appellant, hanc nunc Hippocrates Phthiſin, nominauit, ex pulmonis vlceratione inſanabili ortam, totius corporis extenuationem, cum febre parua.* Vide eundem lib. 2. de præſag. è pulſu cap. 1. lib. 6. de ſanit. tuend. lib. 5. metb. med. in lib. 3. Aphoriſm. 16. & in lib. 5. Aphoriſm. 9. Nomen Phthiſis quod deducitur à φθίνειν, hoc eſt, *tabeſcere*, tribus morborum ſpeciebus à Corn. Celſo l. 3. c. 22. tribuitur. Atrophiæ, Cachexiæ, & Phthiſi, quæ verè tabes, de qua hic Auctor, ſita propriè in vlcere pulmonum. Oritur, ait ibidem Celſus, ferè à capite, inde in pulmones diſtillat: huic exulceratio accedit, ex hoc febricula leuis fit, quæ etiam cum quieuit, tamen & repetit. Frequens tuſſis eſt, pus excreatur, interdum cruentum aliquid. Quicquid excreatum eſt ſi igni imponitur, mali odoris eſt.

Illac.] Hippocr. lib. 1. περὶ παθῶν vlcus ſcribit fieri in pulmone vno è quatuor modis: primò ex peripneumonia rupta non purgata: Secundò ex pituita à capite deſcendente, & in pulmone putreſcente; tertiò ex vena rupta in pulmone; quartò ex genita varice in pulmone, & poſtea rupta.

Cauſæ efficientes tabis ad quinque referri poſſunt ad euidentes, ad vitioſam corporis conformationem, ad ſanguinis extrauaſationem, ad defluxionem acrem in pulmones, & ad venenatam qualitatem. Cauſæ euidentes ſunt, Aquilonia tempeſtas auſtrinam excipiens, & ſalſam pituitam in pulmones exprimens, caſus, ictus, ſaltus, curſus, vociferatio elatior, labor immodicus, frigus vehementius, calor ardentior fluxilem reddens materiam. Piperatorum & calidiorum ciborum vſus intempeſtiuus, vinum meracum largiùs potum, vnde ſanguis acuitatem contrahit, &c.

Vitioſa pulmonis ſubſtantia & pectoris conformatio, tabem generant. Nam quibus pulmones molles & teneriores ſeminis parentum tabidorum vitio, priuatio vuulæ ſiue columellæ, oblongum collum, anguſtus thorax, caput infirmum, ſublimes ſcapulæ tanquam alæ, inde φθινώδεις & πτερυγώδεις, quaſi alati nominantur, tabem non effugiunt.

Bilis & pituitæ in pulmones deſcenſus, catharrus ferinus, qui ſua ſubſtantia tenuis eſt, qualitate

acer,& temperamento vel corruptione calidus, qui fit ferè ab inæquali principum partium temperamento. Prætereà anginæ, pleuritides, & perineumoniæ non ſatis expurgatæ, cauſæ ſunt Tabis.

Aura venenata cauernarum, hiatuum, metallifodinarum: ſcribit Ariſtoteles libro de mundo (ſi tamen is auctor huius libri eſt) de quibuſdam crateribus qui venenata aura contabeſcunt, faſcinatio, diuturna mora iuxta fornaces vbi funduntur metalla, opera circa hydrargyrum. Ea omnia quæ vel occulta, vel euidenti cauſa ſtringunt & lædunt pectus, & quæ intra pectus ſunt. Lepus etiam marinus occulta proprietate Tabem creat, ex Galeno lib. 1. de medicam. cap. 1. Hoc animal non ſolùm comeſus, ſed (quod mirum eſt) in manu diu geſtatus pulmones vlcerat. Halitus etiam tabidi tabidos facit; ex Galeno enim lib. 1. de differ. febr. cap. 2. periculoſa eſt conuerſatio cum ijs qui Tabe laborant; vnde non ſine cauſa Hippocrates 3. Epid. 3. inter morbos peſtiferos Tabem recenſuit.

Pulmonibus] Aptiſſimè pulmones vocauit Plato *ἅλμα μαλακὸν molle ventilabrum* cordis, quibus verbis ſubſtantiam, & officia breuiter ſignificauit. Eſt enim pulmonis ſubſtantia inter reliquas partes rara, laxa, leuis, mollis, aerea, ſpongiæ & coagulatæ ſpumæ ſanguinis ſimilis, quo follis inſtar aere impleri, diſtendique innoxiè poſſet. Eſt enim à natura factus (miſſis vtilitatibus aliis, quæ non ſunt huius loci) vt aerem in ſe iam præparatum cordi ſubminiſtret, quo eius æſtus mitigetur. *Pulmonibus* dictum eſt, quia plures pulmo lobos habet. Cùm enim thorax in duo diuiſus ſit, & media membrana (mediaſtinum vocant) diſtinguatur, ita contentus thorace pulmo in binas partes, dextram, ſiniſtrámque diuiditur. Rurſum pars eius vtraque duobus lobis conſtat, altero ſuperiore, inferiore altero, ſæpe euidenter diſcretis, nonnunquam obſcurè illa diuiſio à natura facta eſt, ne vno lobo malè affecto, alius non tam citò inficeretur. Præter hos ali[illegible]ādo tertius dexter lobus, & is exiguus in diſſectis corporibus deprehenditur.

Pulmonum in carmine facta mentio indicat Tabem veram hîc intelligendam. Cùm enim quatuor ſpecies præcipuæ apud Hippocratem & Galenum reperiantur: Renalis, Dorſalis, Cachexia cum febre hectica, ſine tamen pulmonis vlcere, & vera phthiſis, quæ cum vlcere pulmonis eſt, de hac poſtrema hîc tantùm agitur. Dicat hîc aliquis cum de Tabe in emblemate, cordis quàm pulmonis potiùs mentionem fieri debuiſſe, quia ex Galeno corpus non extenuatur, niſi cor priùs exſiccetur, cùmque Tabes ſit totius corporis conſumptio à corde potiùs dependere videtur. Reſponderi poteſt principium corporis exſiccationis ſemper eſſe à corde, ſed illa exſiccatio in vera Tabe, ab vlcere pulmonis eſt. Sic enim fit Tabes innuente Hippocrate lib. de glandulis. Pulmone malè affecto ſiue primariò ex abſceſſu aut vomica pulmonis rupta, aut poſt ſanguinis ſputum vaſe aperto aut rupto: ſiue ſecundariò ex affluxu materiæ ſalſæ, & acris, aut progreſſu temporis putreſcente, pulmo exulceratur, aerem vitæ neceſſarium tabifica qualitate inficit, infectúmque cordi tranſmittit, vnde exſiccatur primò in ſua rorida ſubſtantia, deinde fibroſa, tandémque membranoſa, & cum corde totum corpus ſimili modo neceſſariò contabeſcit.

X I I I.

G*laucoma*] Glaucoma propriè eſt cryſtalloidis aut humoris vitrei in glaucum vel fuſcum mutatio. Impropriè tamen accipitur ex Aëtio lib. 7. cap. 50, pro eo vitio quod orta priùs ſuffuſione & humore circa pupillam valde concreto, reſiccatóque contrahitur. Quod & teſtatur Rufus, dum ſcribit Glaucoma & hypochyma idem mali genus à veteribus eſſe creditum, à ſolis tantùm neotericis fuiſſe diſtincta. A qua quidem opinione Gal. comment. Aphor. 31. l. 3. non diſcrepaſſe videtur, vbi ſcribit τὰ γλαυκώματα ἔχειν ἰδέαν τοῖς ὑποχύμασιν, hoc eſt, *Glaucomata ſuffuſionibus ſimilia videri, & eandem referre ſpeciem.* Ex quibus tamen non inferendum eſt illa eadem eſſe: Hypochyma enim, ſiue hypochyſis latiuè ſuffuſio, eſt extranei humoris, & aliunde illabentis concretio: Glaucoma verò eſt cryſtalloidis incraſſamentum, & exſiccatio. Omnia hypochymata totam pupillam non ſemper obuelant, nec viſum ex toto adimunt: Glaucoma verò eſt vniuerſæ cryſtalloidis ſiccitas, & ex ſiccitate concretio. His accedit, quòd multa hypochymata curantur, cùm tamen, vt Rufus ſcribit, Glaucoma ſit immedicabile vt omnis morbus qui ab immodica ſiccitate eſt. Ita Paulus Ægineta ex Rufo lib. 3. cap. 22.

Oculis] Oculus tres humores continet, de quibus, miſſis aliis in oculo contentis, quæ ad Glaucomatis intellectum non faciunt, vide Gal. in principio lib. 10. de vſu part. Primus & præſtantiſſimus cryſtallinus primarium viſus inſtrumentum, vtpote in quo immediatè fit viſio, ad quam cæteræ partes inſeruiunt. Eſt tanquam nitidiſſimum è cryſtallo ſpeculum. Hic humor propria, & vernacula luce clarus non eſt fluidus, ſed paulò firmior tanquam gemma in media pupilla fulgens. Cryſtallini humoris ex anteriore parte propugnaculum, eſt aqueus humor, ſiue albugineus, ſua tenuitate & puritate ouorum albo ſimillimus. Continetur inter corneam, colore ſuo ambitum, qui apparet candidus in oculo, pingens, & ad arachnoidem vſque perueniens, vt irriget cryſtallinum, totùmque oculum. Tertius humor eſt hyaloides ſiue vitreus conſiſtentia vitro liquefacto ſimilis, colore verò, & pelluciditate vitrum ſolidum refert, nigredine quadam albo miſta. Eſt ſedes cryſtalloidis, ideoq; poſteriore parte ſitus eſt, cum ſit in medio concauus, tanquam annulus gemmam admittit.

Hinc Glaucoma.] Gal. non videtur aliam cauſam Glaucomatis quàm ſiccitatem agnoſcere, qui lib. 10, de vſu part. Glaucoma definit, ξηρότητα ἢ πῆξιν τοῦ κρυσταλλοειδοῦς ὑγροῦ, *ſiccitatem, & concretionem cryſtallini humoris*. Et comment. Aphor. 31. lib. 3. cauſam reddens cur Hippocrates ſcripſerit Glaucomati obnoxios eſſe ſenes, nimiam inſtrumentorum ſiccitatem cauſatur.

X I I I I.

PO*dagra*] Gal. lib. 10. comp. med. κατὰ τόπους Ex τοῦ γένους τῆς ἀρθρίτιδος ἥ τε ἰσχίας ἐστι καὶ ποδάγρα. ὅπερ γὰρ ἐν ἅπασι τοῖς ἄρθροις ἡ ἀρθρῖτις ἐστι τοῦτ᾽ ἐφ᾽ ἑνὸς μὲν τοῦ κατ᾽ ἰσχίον, ἰσχιάδα καλοῦσιν ἐπὶ ποδὸς δὲ ποδάγραν *Ex genere articularis morbi eſt tum iſchias, tum podagra. Quod enim eſt in omnibus articulis articularis morbus, hoc in vno iuxta coxendicem articulo iſchiada, in pede verò podagram vocant.* Itaque podagra arthritis eſt: arthritis enim ex Aureliano lib. 5. cap. 2. eſt genus, cuius ſpecies conſtituuntur à partibus arthritide afflictis, vt ex Galeno dictum. Sciendum eſt, antequam de arthritide aliquid dicam, gynglimum in gonagra, enarthroſin in iſchiade, in podagra omnes articulationis ſpecies repleri. Definitur autem dolor articulorum ex interuallis ferè affligens, ortus ex affluxu humoris ob debilitatem laxa vacuáque articulorum ſpatia implentis, partes neruoſas diuellentis, comprimentis, atque adeò alterantis. Pars affecta articulus dicitur, compoſitio oſſium vnà cum ligamentis, cartilaginibus, tendonibus, &c. quæ voluntario motui inſeruiunt. Verùm pars affecta propriè non eſt totus articulus, ſed tantùm partes eius neruoſæ ſenſu præditæ, aut tendones muſculorum, nerui, membranæ. Licèt enim humore ſaturentur ligamenta tum propria, tum communia, non tamen dolor excitatur in propriis quæ cum oſſis cartilagine naſcuntur, ſunt enim ſenſus expertia; ſed in ligamẽtis communibus quæ ſentiunt. Sciendum enim eſt arthritidem ſitam eſſe in articulorum repletione, diſtentione ligamenti communis, & compreſſione nerui & tendonis: quæ duo vltima non ideò dolore affliguntur quia humore imbuantur, cùm enim non fiant conuulſiones in illis non eſt humor, ſed quia diſtenduntur nimium propter repletionem ligamentorum communium cui proxima ſunt.

Pedi. Podagra nomen habet ἀπὸ τοῦ ποδὸς pede & τῆς ἀγρίας atrocitate doloris: Et definitur dolor pedum ex fluxione ortus, ſubinde repetens. Podagra fit modò in articulo maioris digiti pedis, modò calcanei extremo, aut cano & planta pedis: modò malleolos occupat: à pedibus ad genua ſenſim aſcendit: hinc ad coxam & femorum iuncturas, poſtremò ad manus, vertebras humerorum & maxillarum.

Inde Podag. Licet podagræ eędem cauſę ſint, quæ arthritidis, hoc tamen illi vt & chiragræ peculiare eſt, vt ex articulorum imbecillitate maximè oriatur, quamuis non ſit humorum maxima copia, nec externa cauſa fortior, quod in arthitide non ita verum, quippe quæ oritur à plenitudine totius corporis, licet non tanta ſit articulorum imbecillitas. Hoc probare poſſit, quia podagricorum filij leuiſſima ſepè cauſa podagra affliguntur, nimirum quia à parentibus debiles habent articulos, non tamen exiſtimandum ab iiſdem eos tantorum humorum copiam habuiſſe. Podagra etiam ſaltem, notha hoc habet peculiare, vt ab articulorũ ſiccitate oriatur, non quidem partium ſolidarum articulum ipſum conſtituentium, oſſium nimirum aut ligamẽtorum, ſed ob conſumptionẽ duntaxat glutinoſæ illius humiditatis qua natura articulos imbuit ad motum faciliorem. Quia verò arthritidis cauſæ, etiam podagræ ſunt, cauſas arthritidis recenſere operæ pretium eſt.

Cauſa materialis arthritidis eſt plerumque pituitoſus & ſeroſus, aliquando ſanguineus, aut bilioſus, ex Auicenna nunquam ſolus humor craſſus aut melancholicus. Nam vt humores craſſi fluãt, tenuium vehiculo ſemper indigent. Inter cauſas eſſe alios humores præter pituitoſum & ſeroſum ex eo conſtat, quòd ingens dolor, calor, rubor, aliaq; febris ſymptomata, quę interdum iuuenes natura calidos, & bilioſos arthritide laborantes æſtate media diſcruciant humori pituitoſo aſcribi nequeunt.

Cauſa horum humorum vel eſt generans, vt calidius iecur, & copioſior, iſq; laudabilis chylus ſanguinem generant: frigidior ventriculus, & cibus pituitoſis, pituitam generant, &c. Vel eſt colligens, vt ſuppreſſa aliqua euacuatio, diarrhæa & dyſenteriæ bilioſæ imminutio, vt notauit Hipp. in Coacis. vlceris pyrotici ante debitum tempus coalitus, hæmorrhoidrum & menſium ſuppreſſio. Vnde Hippocr. aphor. 29. lib. 6. γυνὴ οὐ ποδαγριᾷ ἢν μὴ τὰ καταμήνια αὐτῇ ἐκλείπῃ. *Mulier ex podagra non laborat, niſi menſtrua illi deficiant.* Et ad fin. ſect. 8. lib. Epid. meminit duarum mulierum Phaëtuſæ & Namyę, quæ à ſuppreſſione menſtruorum factæ fuerunt arthriticæ. Oritur etiam arthritis, ſi quæ fieri debebat per palatum vel per nates, vacuatio ſupprimatur.

Cauſæ quæ faciunt vt humor moueatur eſt humoris copia. Si enim humor plus æquo abundet, facultatẽ aggrauando ea ad expellendum inſurgit. Eſt qualitas noxia expultricem robuſtam irritans: robuſtam dico, niſi enim pars in qua reſidet materia robuſtam habeat expultricem, non ſuo ſe pondere in aliam partem exonerare poteſt, ſic expultricis robur vna de cauſis eſt quę ad humoris motum faciunt. Viarum etiam amplitudo cauſa eſt, ſi enim ſit anguſtia non erit tranſitus. Sed quæ ſint illæ viæ per quas fiat iſta fluxio, medici omnes digladiantur.

Fernelius de quo poſſit dici illud Ariſtænetis, θαυμάσαι, ὅσαι στῆς ἀμίλλας αὐτῷ καὶ στερῆναι, ὅσον ἡ γλῶττα

τε σωμάνδρος. Papæ, quanta ſermonis eius dulcedines, quàm facunda lingua, materiam arthritidis excrementum eſſe cerebri exiſtimat vir ille, inquam, diſertus, ſiue pituitoſum aut ſeroſum humorem: deinde partem mandantem vnde profluit eſſe pericranium maximè ad occipitium, vnde non per venas & arterias, non per continuitatem neruorum aut muſculorum, ſed inter carnem, & cutem duntaxat defluat, ſubſiſtátque tandem in articulorum ligamentis, & membranis. Quantas vir ille doctiſſimus ſuis his opinionibus in Æſculapico ludo concitauit turbas?

Qualis vbi Aeolio demiſſos carcere ventos
Dux præ ſe Neptunus agit, magnoq́ue voluntes
Inijcit AEgæo, triſtis comitatus eunti
Circum lora fremunt, nimbiq́ue, hyemeſq́ue profunda,
Nubilaq́ue, & vulſo terrarum ſordida fundo
Tempeſtas.

Tantam in ſe medicorum tempeſtatem concitauit. Non inuehar in hominem de re medica optimè meritum; ſufficiet aſſignare alias partes defluxionem mandantes, aliáſque vias. Pars mandans vt plurimùm eſt caput, interdum iecur, nonnunquam etiam lien, venter, vterus, renes, omnia viſcera, aut totum corpus. Viæ verò per quas materia arthritidis fluit, eſt aut inter carnem, & cutem, aut intra tunicas tendonum per foramē nucæ, per membranarum muſculorum, neruorum, aut vaſorum continuitatem, per venas ſcilicet & arterias: ſæpè enim præcedente capitis grauitate, tumore aut dolore ad occipitium qui contactu, augetur à pericranio humor in articulos delabitur facta via per carnem, cutimque. Ceſſantibus verò ſignis illis præuiis, non raro arthritidis materia à toto corpore venit, vt accidit in plethoricis, aut ab hepatè & venis magnis copia grauatis, aut qualitate aliqua vitioſa infectis. Sic à plenitudine & redundantia venarum fiunt defluxiones in atriculos, cui phlebotomia ſæpè profuit, quod non eueniret, niſi materia per venas in articulos influeret.

Præterea teſte Gal. commen. 6. Epid. ſect. 4. ex dyſenteria, aut diarrhæa intempeſtiuè ſuppreſſa: aut ex colica conuerſo humoris impetu per venas ad articulos: ex nephritide etiam tranſmiſſa pituita à renibus ad articulos: ex hæmorrhoidum, & menſtruorum ſuppreſſione, aut omiſſa conſueta phlebotomia in plethorico: ex euacuationis ſuppreſſione per habitū corporis, materia enim illic collecta & repreſſa ad articulos interdum ſibi viam facit. Tandem per arthritidem febres criticè ſoluūtur, materia per venas ad articulos tranſmiſſa: imò in ipſo paroxyſmo arthritico partes ferè omnes ſua excrementa ad articulos reiiciunt.

Motus hic & humorum defluxus fit per expulſionem à parte mandante, quæ aut humoris copia aut qualitate irritata, ſua vi expultrice à ſe excutere tentat ad partes ſubiectas & debiles & hæ etiam ad alias debiliores. Fit etiam hic motus per attractionem partis recipiētis, calore enim & dolore partes vicinas commouet, vt ſpiritum cum ſanguine in partem dolentem tranſmittant. Accelerant hunc motum ipſius humoris tenuitas, deinde viarum amplitudo & laxitas, quam ſæpe facit balneum aquæ dulcis ex Gal. lib. 11. Meth. cap. vlt. vbi ita ſcribit: Quòd ſi præterquam quod nulla princeps pars imbecilla ſit, etiam inferioris notæ partium aliqua ſit inualida, veluti Podagricis pedes, & iis qui articulari vitio laborant, vniuerſi corporis articuli, maxima ſalutis pars ægro ex balneo comparabitur, ipſis infirmis partibus quæ ſuperuacua ſunt excipientibus. Aſſolent enim nōnunquam & citra balneum ſuperuacanea in partes infirmas confluere. Et à balneo verò magis: vt pote tum ſuccis ipſis per id liquatis, tum viis per quas meent patefactis. Ambo enim hæc ex moderato calore proueniant neceſſe eſt, tum vt humores liquentur, tum viæ dilatantur.

Cauſa etiam arthritidis eſt articulorum imbecillitas, quæ vel eſt Natiua vel Aſcititia. Natiua, à principio generationis & conceptionis eſt, vel poſt. Nam poſt conceptionē imbecillitas in vtero contrahitur errore matris quæ prauis vtitur alimentis, per quæ ligamenta fœtus euadunt frigida, humida, lāxa; proindéque ſuſcipiendis humoribus ſuperfluitatibúſque obnoxia. Imbecillitas etiam illa contrahitur in conceptione ex vitio ſeminis parentum, nec vllus hoc morbo magis eſt hæreditarius, vt videre eſt in Hippoc. lib. de genitura, & lib. de aëre, aquis, & loc. & Gal. comm. in aphor. 28 lib. 6.

Qui viret in folijs venit ex radicibus humor,
Sic patrum in natos abeunt cum ſemine mores.

Dixit Mantuanus ille ni fallor, ſed *morbi* ſi dixero, certiùs dixero, quod bona Poetæ venia dictum velim. Plures enim morbi hæreditarij & gentilitij ſunt, arthritis maximè, non ita mores, niſi quatenùs ſequuntur aliquod temperamentum. Optandum igitur eſt cum Marcello Paling. in Leone,

——— Vt tribuant bona ſemina diui
Incluſis vtero: nam qualis quilibet illic
Concipitur, talis viuendo eſt.

Itaque vana & futilis habenda Cæl. Auret. ſententia, qui in lib. reſponſionum conatus eſt demonſtrare à parentibus non poſſe morbos proficiſci.

Cauſæ Aſcititiæ ſunt regio ex Cælio Aureliano de Caria, & Alexandria, in quibus regionibus plures ſunt arthritici. Tempus etiam vernum Hippoc. Aphor. 20. l. 3. & autumnale, illud propter humorum gargaliſmum, hoc propter cacochymiam, Tempus auſtrinum, quo caput impletur, & ligamenta im-

ta immadeſcunt, vnde facilis fit in arthritidem inclinatio: ſueutiens equitatio qualis Scytharum qui propter illam in κίσμαζα meidebant, de quibus Hipp. lib. de aere, aq. & loc. ſtatio diuturna, vnde aulici & ſtudioſi ſæpè arthritide laborant. Nam ex Hipp. lib. de articul. lib. 2. de diæ. acut. & lib. περὶ αἱμῶν qui in vmbra & otio viuunt his articuli fiunt infirmi. Somnus diurnus & longior, variorum ciborum in eadem mēſa ingurgitatio, otium, quies & inertia. Vnde arthritis dicitur non habere locum in tenuiorum hominum domunculis, qui parcè ac frugaliter viuunt, ſeque longis laboribus exercent. Idcirco vocat Homerus arthritidem μισόπτωχον, hoc eſt, pauperes odio habens. Vnde apparet in diæta maximum ineſſe arthritidis focum. Vini generoſi & meracioris, quale Turuonenſe eſt, ieiunio ventriculo potus. Labor vehemens mox à prandio, qui cibum ſemicoctū promptè à ventriculo in articulos reiicit. Immodica Venus maximè poſt repletionem, cruditates enim generat, humores ſummopere agitat, reſolutóque vitali ſpiritu vitiat, ſicque materiam huic malo præſtat. Potentias facultateſque infirmat, ac articulos ipſos debilitat.

Vt Venus eneruat vires, ſic copia Bacchi,
Vt tentat Bacchi debilitatque pedes.

XV.

POlypus.] Vlceribus naſi recentibus neglectis, caro ſæpè excreſcit ὑπερσάρκωμα, qui ſi in tantam longitudinem abeat, vt è naribus aut foraminibus palati prolabatur, à coloris varietate qua piſci polypo, & appoſitè aſſimilatur, polypus dicitur, & nominatur. Eſt itaque polypus, tumor præter naturam à naribus ortus cum caruncula protuberante polypi carni non abſimilis. Corn. Celſus lib. 6. c. 8. Polypum egregiè deſcribit his verbis: Polypus in naribus eſt caruncula modo alba modo ſubrubra, quæ narium oſſi inhæret, & modo ad labra pendens narem implet, modò retro per id foramen, quo ſpiritus à naribus ad fauces deſcendit, adeò increſcit, vti poſt vuam conſpici poſſit, ſtrangulátque hominem, maximè Auſtro aut Euro flante, feréque mollis eſt, rarò dura, eáque magis ſpiritum impedit, & nares dilatat, qua ferè καρκινώδης eſt. Itaque attingi non debet. Illius curam habet idem auctor. lib. 7. cap. 10, Hippocr. lib. 2. περὶ παθῶν quinque Polyporum differentias conſtituit, quas Celſus ſuperioribus verbis complexus eſt.

Hinc naſo.] Externæ Polypi cauſæ ſunt ictus, vulnus, caſus, &c. Internæ cauſæ ſunt vlcera neglecta, tumor ad narium radicem, quo rupto quædam ſanies defluit, vnde ciceris inſtar progignitur caruncula mollis, & fungoſa, quæ ſenſim incrementa capiendo, tandem nares implet, atque adeò extra prominet verſicolor inſtar polypi alba, liuida, nigra, ſubflaua: interdum erumpit in narium cauitate iuxta gurgulionem quæ ore aperto videri poteſt, & reſpirationem impedit. Fit etiam Polypus ex humoribus craſſis & viſcoſis à cerebro ad nares influentibus, vel etiam ex ipſarum narium nutrimento à virtute naturali in carnem mutato.

Naſo.] Mitlis naſi partibus externis, quæ ad Polypi notitiam minùs faciunt. Naſi ferè totam cauitatem implet os, quod à cribri forma dictum ethmoïdes, ad ſummám naſi radicem fertur, magno illi foramini oppoſitum, quo à cerebro in nares excrementa deſcendunt. Illi duæ carunculæ mamillares incubant, poſitæ ſub cerebro, intra cranium & os baſilare, ortæ ex ſubſtantia cerebri, tectæ pia matre, figura papillarum mulieris. Videat qui naſi cartilagines diuiſerit carnes ſpongioſas, & ſubrubras oſſa naſi ſpongioſa implentes. Ex his tumefactis Polypus narium generatur. Riolanus vidiſſe ſe ait prolōgatas, & ad imas nares prolapſas, ſponte, vel adſtringentibus medicamentis reuellii: interdum ſupra palati geminas cauitates vomere diſcluſas, in fauces iuxta gargarionem magno vocis, & deglutitionis incommodo, propendent. Quas quidem carneas apophyſes idem ſe vidiſſe ſubiicit ſingulis ferè menſibus in fauces & intra nares nobilis cuioſdam productas, forficibus innoxiè ab eodem abſciſſas per quadraginta annos, quibus tam fœda hyperſarcoſi fuerat diuexatus.

X V I.

TInnitus.] Tinnitus, vel ſibilus aurium dicitur ab Auerrh. 4. coll. 48. auditus phantaſticus, ab Alzarauio aurium tonitru, à græcis παράκουσις, ὀξηκοΐα, σύριγμος, ἦχος, ψόφος, τριγμὸς, βόμβος, inter quæ tamen nonnulla diſtinctio eſt. Tinnitus definitur perceptio ſoni intra aures abſque externa cauſa, veniens ex commotione aeris congeniti præter naturam à vapore in auribus, aut ſpiritu flatulento. Quod in oculo hypochyma ſiue ſuffuſio, hoc in aure Tinnitus eſt. Quemadmodum enim qui ſympathicā ſuffuſionem patitur, exiſtimat extra ſe videre araneolas, pulices, & muſcas volitantes: haud diſpari ratione qui tinnitum patitur, exiſtimat ſe ſonitum quendam reuera audire, cùm falſo id imaginetur: modò qualem audimus poſt pulſatam nolam, modò qualem nimbi decidui, qualem fluuij perſtrepentis qualem piſtrini, qualem arborum vento agitatarum, qualem muſti in dolio deſpumantis, &c. Et vtriúſque ſymptomatis ratio eſt, quia obiectum aggreditur potentia citra medium terminum: cùm enim ab intrinſeco halitus ad oculos elati fuerint, pariunt quidem viſionem ſed falſam. Pari quoque ratione, ſi vaporoſa, halituoſáue ſubſtantia internè neruum ἀκουστικὸν pertiu-

gat, nihil mirum ſi falſam ſoni ſpeciem & imaginem repræſentet.

Auri] Internæ auri ſcilicet, quæ in oſſe petroſo ſita eſt, quæque quatuor meatibus conſtat. Primus eſt is quem videmus patere ſemper, in cuius extremo membrana eſt tenuis, ſicca, pellucida, & exquiſitiſſimi ſenſus, tympanum vulgò vocatur, quòd tympani modo tendatur. Neruus eſt quintæ coniugationis ex aliquibus, vel ex dura meninge originem ſecundùm alios ducit. Poſt tympanum ſecundus eſt meatus, quem aliqui peluim vocant, in quo præter aerem continentur tria oſſicula, malleolus, incus, & ſtapes, quæ cordæ cuiuſdam tenuiſſimæ beneficio, veluti neruus in bellico tympano, toti membranæ attenſæ, tympano auriculari admouentur, quæ externi aeris appulſu membranam ferientis, ad ſonorum admittendorum, vt dentes ad emittendorum diſtinctionem faciunt, quod tamen ſine murmurillo fit, quia imaginis ſonoræ trajectioni nouus ſonus non requiritur. Vt vſus intelligatur, ſciendum eſt, cùm bina ſint foramina (feneſtellas vocare licet) ab aere externo membranam ſiue tympanum percuti, à membrana malleum, incudem à malleolo, & ſtapedem, quæ alteram è feneſtellis claudebat, ab incude. Hoc motu aer qui intra tympanum eſt alteratur ab externo, & ad neruum *ἀκουστικὸν* ſpeciem ſoni ab eodem neruo deferendam ſtatim ad ſenſum communem, tranſmittit, Tertius meatus & quartus ſequuntur, quos miſſos facio, quia ad cauſarum tinnitus intellectum non faciunt.

Venit hinc tinnitus] Cauſa tinnitus ſolet eſſe vapor aut ſpiritus flatulentus aeris interni, ſiue congeniti, & vernaculi tranquillitatem mouens, qui interdum ipſis in auribus aut capite gignitur: interdum à ſubiectis partibus præcipuè ventriculo, liene, iecore, vt in hypochondriacis, ab vtero in hyſtericis, ab ambitu etiam totius corporis ad aures fertur. At qua via? per venas & arterias, per neruum auditorium, vel membranarum continuitatem in interiorem auris meatum fertur. Flatuoſa ſubſtantia ab illis partibus & per illas vias in aurium ſinus illata, membranam ſiue neruum dilatatum aere quieto plenum feriendo, dat ſpeciem ſoni. Quod accidere videmus in cauſone, qui per calorem feruidum materiam intra venas bilioſam, aut humiditatem in capite redundantem concitat, quæ modò per ſe, modò vaporum illuc tranſmiſſorum beneficio tinnitum faciunt, qui ex Hippocrate vel paraphrenitidis imminentis, vel alterius delirij, vel etiam hæmorrhagiæ, vel vomitus præludium eſt. Arabum Medicorum ſchola prolixa eſt in cauſis tinnitus recenſendis, ſed hæ ſunt præcipuæ. Capitis ictus, caſus, pulſationes ſine vulnere, agitationes & motus inordinati, plenitudo ventriculi, cruditates, repletio humorũ vaporoſorum, in capite, vel in ſubiectis partibus ſtabulantium. Frigus immodicum debilitans calorem naturalem cerebri, vel immodicus ipſum diſſoluens, à qua debilitate & diſſolutione flatus generantur. Cauſæ etiam eſſe poſſunt ſanies, inanitio per pharmaca, vel per phlebotomiam facta, venenata auribus admota, vt ſulphur, arſenicum, hydrargyrum. Addit Alzaraui⁹ frequentem natatum maximè vrinando.

X V I I.

C*Vm Leuce.*] Leuce ex Paulo Ægineta lib. 4. cap. 3. eſt metamorphoſis quædam coloris in candidiorem, ex viſcida, glutinoſáque pituita proueniens. Galenus in Leuces etymo varius eſt: nam lib. 3. de ſymptom. cauſis cap. 2. dictam vult à colore albo. λευκὸς enim album ſignificat. Idem tamen Gal. lib. 2. methodi cap. 2. vbi variorum morborum originationes inueſtigat à populo alba deducit, quia vt in illa arbore ſunt veluti quædam lanugines: ſic in Leuce cùm pili excidant, alij albi ac tenues ſuccreſcunt lanugini ſimiles, vt ſcribit Fernel. lib. 7. Pathol. cap. 6. Poſt Corn. Celſum cap. vlt. libri 5. Ab Auicenna & Arabibus reliquis Leuce albara nominatur: quo etiam nomine populum albam quæ Leuce dicitur, vocari Italo idiomate ſcribit Io. Manardus lib. 1. epiſt. 5. quæ eſt ad Pactum medicum Mantuanum. Leuces, inquit, hoc eſt albæ populi, quam vulgò apud nos voce parùm vt ſit mutata, Albarã vocant. Si magnus ſit error alteratricis facultatis in toto corpore & pituita craſſa, & lenta cuti ſubiectæque carni ſe inſinuauerit, oritur hic morbus: in quo pili candore tinguntur, & tanta eſt in carne metamorphoſis vt acu puncta non ſentiat, & lacteam quandam humiditatem potiùs quàm ſanguinem effundat, tuncque non cedit remedijs, vt ſcribit Cornelius citato cap. vocaturque ab Haliabbate lepra alba.

Cauſæ Leuces ſtatuuntur ab Hippocrate in fine Prorrheticorum, lethales morbi Γίνονται δὲ, λεῦκαι ἐκ μὲν τῶν θανατωδεστάτων νοσημάτων οἷον καὶ ἡ νοῦσος ἡ φθινὰς καλεομένη, *fiunt autem Leucæ quidem ex lethaliſſimis morbis, qualis eſt & morbus tabidus appellatus.* Plutarchus lib. 4. ſympoſ. problem. 5. carnem porcinam poſſe Leucem ingenerare ſignificare videtur. Plato in Timæo pituitam per corporis habitum ſparſam. Ariſtot. autem ſect. 10. problem. 5. ſexui & ætati cauſam attribuit. Cur, inquit, Leucem pueri minùs habent quàm viri, & in ipſo fœminino ſexu quæ prouectæ ætate ſunt, magis habent quàm minores? An quòd Leuce exitus ſpiritus eſt? corpora autem puerorum contextu denſo non facili expiratu conſtant, & mulierum minùs expirant, quàm virorum: ſpiritus námque in menſtrua ſe auertit fœminæ: denſitatem verò leuitas eiuſdem ſatis declarat. Quæ autem corpora ætate proceſſerint, aut conſenuerint, reſpiratoria euadunt: hæc enim modo ædificij veteris & ruinam minitantis, ſtructuram & compagẽ ſuarum partium laxiorem iam habent. Arabes magni nominis præter recenſitas alias cauſas aſſignãt: nã ab illis habitus corporis inter cauſas leuces numeratur. Scribit enim Rhazes ex Gal. auctoritate muſculoſa corpora & venas latas habentia Leucæ ſubijci. Auenzoar ex frequentiori vehementiorique

hementioriq́ue exercitatione Leucem oriri dicit. Auicenna ſecunda primi,doct. 1. à parentibus interdum eſſe vult. Et vt ad Gręcos reuertar, Plato in Timæo pituitam albam per extrema corporis ſparſam cauſam ſtatuit. Fit autem huiuſmodi. Altrix facultas muous ſuum malè obiens ſanguinem pituita refertiſſimum gignit,quo diu caro coutrita,pro rubore albedinem contrahit. Vnde ſemper alba remanet,perinde atque videmus,inquit Galenus,locuſtas & oſtrea ſemper alba fieri & eſſe.

Scabies.] Eſt aſperitas & ſcabrities cutis pruriginoſa,qua corpus conſumitur,& colliquatur. Scabiei nomen latè patet apud Latinos,licèt omnes interpretes pſoram Græcorum, hoc nomine reddāt, Plinium imitantes,qui lib.20.cap. 1. ita loquitur. Arida cum reſina (de cucumeris ſylueſtris radice loquitur) impetiginem,& ſcabiem, quæ pſoram & lichenas vocant, ſanat. Idem tamen capite 17. dum de origano loquitur,diſcrimen videtur ſtatuere inter ſcabem & pſoram. Verùm ſi pſora Latinis ſcabies ſit,non videntur Græci de pſora abundè tractaſſe, ſed imperfectam de ea commentationem reliquiſſe:ſiquidem Corn.Celſus rubicundum eſſe tumorem in ſcabie prodit, inde colligere eſt,non ſemper à melancholico eſſe humore,quibus conſentiunt quæ ſcriptis prodidit Auicenna. Præterea ex cute puſtulas prodire per ſcabiem dicit quaſdam humidiores,quaſdam ſicciores, & exire in quibuſdam ſaniem,fieriq́ue ex his continuatam exulcerationem, & ſerpere in quibuſdam citò, quas tamen in pſora differentias puſtularum,nemo Græcorum annotauit. Accuratior autem Arabum ille Princeps,ſcabiem in excorticatam & non excorticatam,in humidam & ſiccam,in fœdam & non fœdam diſtinxit.

Aduenit inde.] Inter primitiuas ſcabiei cauſas, cibi qui ſuccum illaudatum habent, ponuntur à Gal.lib.de cibis boni & mali ſucc.quales ſunt carnes & piſces ſalſi,porri,allia, cæpæ ſpecies, & id genus eſcarum calidarum & acrium. Cibi etiam amari,necnon dulces, quia jecoris & lienis inflammationem augent ex Gal.lib.2.de alim.facult.cap.8. Vinum non dilutum;& oleum,cum cibis etiam veſtium ſordes faciunt ſcabiem. Q. Serenus lib.de medicinæ præceptis:

Illotus ſudor, & inopia nobilis eſca
Sæpe graui ſcabie correptos aſperat artus.

Contaginm etiam recenſetur à Galeno lib.4.de differentiis pulſuum cap. 1. Exercitium etiam intempeſtiuum,maximè ſi fiat à cibo ſumpto,& à corpore quod ſcateat excrementis, illo enim humores in corpore ſtabulantes ad extimas partes trahuntur vbi putreſcunt. Ætas etiam iuuenilis,quia cùm plurimos,& nullo ordine cibos ingerère ſoleat,plurima etiam coaceruat excrementa, quæ vnà cum ſanguine propter calorem & exercitationes immoderatas acriora fiunt. Fit etiam ſcabies per criſin, interdum enim morbi,vt quartanæ ſcabie terminantur. Sunt præterea quædam naturæ gignendæ ſcabiei aptiſſimæ,vt docet Gal.lib.4. de valetudine tuenda. Eſt humor craſſus & terroſus qualis eſt melancholicus,cauſa materialis ex Gal.qui lib. 11.de ſimpl.medic.facult. Siſtuntur,inquit,& retinentur craſſi terroſiq́ue humores ad cutem protruſi,quibus quidem ſcabies naſcitur. Arabes, vt Haliabbas, & Auicenna lib.4.fen.7.tract.3.cap.6.ſanguinem pituita ſalſa, & melancholia infectum cauſam eſſe ſcribunt. Langius multas cauſas recenſens etiam choleram addit. Cùm fœda, inquit, cutis aſperitas vulgò ſcabies dicta,ex impuro ſanguine cholerico,vel aduſto,aut fæculento ſalſi phlegmatis liquore permixto oriatur (qualem hepar ob ſuam diſcraſiam, vel non rarò ex eſculentis & poculentis mali ſucci producit) quem natura non confertim, ſed ſenſim cum corporis alimento citra ſanguinis ebullitionem ad corporis membra diſpergit,& illa ſua contagione inficit & alterat: vnde fit vt eius ſucceſſiua regeneratio non modò ab hepatis diſcraſia,velut ab interna cauſa antecedente, ſed non rarò quoque ab obſtructione ſplenis,cuius officium eſt ſanguinem expurgare: & à membrorum quoque contagione dependeat:proinde hîc opus eſt, vt non modò inciſa vena, & crebra alui dejectione ſanguis expurgetur,ſed & vt hepatis quoque temperatura,ſpleniſq́ue obſtructio detergatur,corrigaturque. Sed vulgarior cauſa eſt hepatis diſcraſia,propter quam humores corrupti generantur, qui in fumidum vaporem mutati à rectrice virtute ab internis partibus ad extimas amandantur. Vnde ſi vapor,vt ſcribit Bernardus Gordonius Lilio med.part.1. cap.24. ſubtilis fuerit ἀναιϑήτως & ſine ſenſu tranſpiratur. Si autem non ita ſubtiles, & pori denſiores fuerint,in ſudorem conuertuntur. Et ſi minus etiam ſubtilitatis habeant,pluſq; fæculentæ craſſitiei,pruritus generatur. Si verò craſſior & terreſtrior ille humor,ſcabies cutem inficiet.

Cuti.] An cuticulæ potiùs quàm cuti,an verò vtrique? Cutis eſt membrana omnium ampliſſima & craſſiſſima,& δέρμα vocatur,& cuticula ἐπιδερμὶς,quæ eſt tenuiſſima cutis efflor eſcentia,denſior, minùs poroſa quàm cutis, expers ſanguinis, & ſenſus omnis ex Galeno, quam videas in ambuſto corpore,in quo bullæ eminent. Hæc ſcabiei ſubiectum creditur; eam tamen altiùs inhærere ſcribit Galenus,& ipſa docet experientia. Pauca ſunt in epidermide vitia maximè ex craſſo humore quę cuti non communicentur propter vtriuſque partis communitatem, quæ tanta eſt, vt aliqui auſi ſint aſſerere nihil aliud eſſe quàm cutis ſuperficiem exſiccatam. Quod à veritate tamen alienum eſt, licèt Hippocrates ſub epidermide cutem comprehendat, vt ſæpè legere eſt in lib.de nat.puer. φύονται μὲν γὰρ μέγισαι καὶ πλεῖσαι, ὅκου τοῦ σώματος ἡ ἐπιδερμὶς ἀραιοτάτη ἐστίν. *Plurimi autem & maximi oriuntur* (de pilis loquitur) *qua corporis parte epidermis rariſſima eſt.* Et paulò infrà: καὶ ὅκου ἡ ἐπιδερμὶς ὕστερον ἀραιὴ γίνηται, ἐκεῖ καὶ ὕστερον αἱ τρίχες φύονται, *Et quo loco epidermis poſterius rareſcit, illic quoque poſteà pili naſcuntur.*

cuntur. At certum eſt in cute potiùs quàm in epidermide pilorum radices eſſe ſitas. Ex quibus conſtat cutis nomen non incõgruenter hîc poſitum, ſiue ſubiectũ ſit ſcabiei & Leuces, ſiue non, quandoquidem alterum pro altero vſurpatur. Nam ſi cuticula pro cute accipitur, multò magis cutis pro cuticula accipietur, maximè cùm hæc ex illius incremento producatur. Cutis eſt omnium ampliſſima membrana, vnde inferimus ſimplicem eſſe, tenuem, planam, albam, neruoſam, ob idque ſentientem reliquarum more membranarum. Ex carne licèt, venulis, & alicubi arteriolis componatur, ex neruis tamen præcipuè conflatur, nec tamen nerui prorſus naturam retinet, ſed inter neruum carnémque quodammodò medium tenet. Nec verò ſolùm omnium corporis partium, ſed etiam vniuerſæ quæ generationi corruptionique ſubiicitur ſubſtantiæ media eſt: ex quo fit vt in mollitie & duritie, in calore ac frigore medium ſortita fuiſſe videatur. Eſt enim, veluti ſanguine præditus neruus, qui ſit inter carnem & neruum quoddam planè medium, & iis duobus ſecum miſtis conflatum. Eſt autẽ neruus durus, exanguis & frigidus: caro mollis, ſanguinea & calida: cutis in medio velut ſita, nec dura eſt, & planè exanguis vt ille: nec mollis & ſanguinea vt iſta: ſed mediæ cuiuſdam naturæ. Itaque eſt veluti horizon calidi, frigidi, humidi & ſicci.

XVIII.

T*onſilla.*] Hoc nomine & partem ſignificat, & morbum, qui cùm intelligi non poſſit ſine partis notione, præmittendum eſt Tonſillas vulgò amygdalas, glandulas eſſe ad radicem linguæ vtrinque ſitas. Cùm ſint fungoſæ & adeò ſpongioſæ vt Hippocrates σπόγγους hoc eſt *Spongias* vocarit, recipiendo humori è cerebro fluenti aptiſſimæ ſunt, cui vſui datas eſſe homini ſcribit diuinus ille ſenex lib de glandulis. Sed præter hunc vſum alium agnoſcimus, os ſcilicet ſaliua guſtationi neceſſaria irrigare. Interdum exercentur affliguntúrque inflammatione, quæ non alio quàm partis nomine vocatur, tum apud Græcos tum Latinos. Nam Corn. Celſus medicorum Latinorum princeps lib. 6. ca. 10. vbi de illa plura, Tonſillas vocat. Et Hippocrates Græcorum coryphæus glandulas faucium σπόγγους vocat, vt lib. 4. Epid. καὶ οἱ σπόγγοι χαλεδάφροι ἀνεῖχον, *& faucium glandulæ ſuſtollebantur.* Et ibidem καὶ οἱ σπόγγοι εἰσὶν οἷσιν ὑπὸ τὸ μετόπωρον καὶ χειμῶνα, *& quibuſdam Tonſillarum tumores ſub autumnum & hyemem aderant.* Ἀντιάδες & pro Tonſillis, & pro ipſarum morbo vſurpari annotat Gorræus.

Hinc veniunt.] Cauſæ internæ huius prauæ diatheſis, omnes humores eſſe poſſunt, ſed imprimis pituita è cerebro humido labens. Ætas etiam illa quæ à fine dentitionis ad pubertatem excurrit. Vide Hippocr. lib. 3. Aphor. 26, Externæ cauſæ ſunt mora ſub ſolis & lunæ radiis, aer ſiue calidiſſimus, ſiue frigidiſſimus, vinum meracius, cibi calidiores ſiue formaliter ſiue eminenter, ingentes clamores, exercitium immodicum obſtipo maximè capite.

Ori] Os præter gingiuas, dentes, palatum, linguam, continet etiam fauces ſiue pharingem vbi tonſillæ ſunt.

XIX.

E*Nterocele.*] Eſt tumor ſeroti propter eò illapſum ileum, vel cæcum, quod alus inteſtinis denegatur. Ieiuno quidem, quia meſenterij venarum beneficio iecori annectitur. Colo, quia renibus annexum altius ad ventriculum aſcendit: recto, quia in poſticam partem deſcendit ſi relaxetur: duodeno, quia ſublimiore loco poſitum eſt.

Inde teſtibus.] Scroto teſtium ſiue didymorum marſupio, vti vocat Heſychius. Cauſæ ſunt exercitium, ſaltus, curſus, caſus, ictus, coitus, & labor immodicus, & eiuſmodi cætera, maximè ſi fiant à cibo, ventre nimium ſaburrato. Cauſæ etiam ſunt mollificatio, humorum repletio, à flatulentis ſpiritibus diſtentio, tuſſis acerbior, ingens pędotribarum, cantorum, præconum, & eccleſiaſtarum vociferatio, tubæ & vitris inflatio, & multæ de cauſis caſus vteri quas iam ſubiiciam.

Caſus.] Procidentia ſiue præcipitatio vteri, quæ rectè poſt enterocelem ponitur, quia in multis cum ea conuenit. Eſt diſpoſitio præter naturam vteri organica, quando ſecundùm ſuum ſitum connexúmque immutatur, deſcendendo plus minus ad inferiora ob relaxationem, aut diſruptionem vaſorum & tunicæ peritonæi, vinculorúmque quibus oſſi ſacro & pubis alligatur.

Et hinc] Cauſæ ſunt propemodum eæ omnes quas enteroceles eſſe diximus. Præterea tuſſis vehementior & diuturnior, compreſſio abdominis violenta, frequentior cum multa flamma cucurbitularum majorũ feminibus applicatio, nauigatio periculoſa, agitatio, longa pedum lotio in frigida, in gelido lapide diutina ſeſſio, aeris frigidioris ſuſceptio, maximè puerperij & menſtruorum tempore, quia vteri pars vtraque magis hiat. Praua fœtus ab imperita obſtetrice extractio, violenta ſecundinæ eiectio, crebri partus cum vehementi conatu, ſpiritus retentio, animi pathemata vehementia, ira maximè, qua nonnunquam laxantur, atque adeò quædam vincula rumpuntur, vehemens ſternutatio, immoderatum tripudium, repentina animi conſternatio, aut ex malo nuncio aut aliunde orta. Hippocr. lib. 2. de morb. mulier. Porrò, inquit, omnis occaſio vteros propellere poteſt, ſi quid mali

habeãt

habeant: nam & à frigore pedum, ac lumborum, & à ſaltatione & terrore, & lignorum ſectione, & curſu ad accliuem ac decliuem locum,& ab alus multis propelluntur.

Humecto vtero.] Inter omnes cauſas deſcenſus vteri humiditas communior cenſetur. Et id cauſæ eſt cur Auctor hoc epitheto humecto, quod Varronis verbum eſt, potiùs quàm alio vſus ſit. Certè Moſchion lib. de muliet. affect. hanc præcipuam cauſam præcipitationis ſcribit, humiditatem ſcilicet membranas quibus appenditur vterus relaxantem. Et Auerroes in opere ſuo de medicina inſcripto Colliget, inter cauſas internas ſolam retulit humiditatem qua vterus lubricatur. Vterus autem eſt pars mulieris in hypogaſtrio ſita, & tunica conſtans velut ex duabus diuiduis coagmentata, qui noſtræ generationis velut hortus ſemen excipit, concipit, fouet, geritque fœtum euſque dum perfectus fit. Miſſis cæteris quæ ad deſcriptionem vteri pertinent ligamentorum tantùm meminero, ſine quorum notitia procidentia intelligi non poteſt. Vterus præter neruos, venas, & arterias quibus principibus partibus connectitur, ſua habet ligamenta propria quatuor, duo ſuperiora, totidémque inferiora. Illa lata ſunt & membranoſa in vteri fundum propè cornua inſerta. Hæc rotunda ſunt & fiſtuloſa,& muſculorum inſtar ſubrubra. Exoriuntur à fundi lateribus, & ad inguina remeantia traducuntur per apophyſin peritonæi quæ in mulieribus duplicatur. Iſtis ligamentis idem euenit quod pluribus aliis colligatis. Tunc enim res inter ſe iunctæ diſſoluuntur, quando earum vincula vel ſunt fracta, vel diſſoluta, productáque propter ſummam mollitiem & humectationem. Quæ duo cauſæ ſunt immediatæ iſtius affectus, quarum vna ſolutio continui dicitur, altera ligamentorum vteri relaxatio, ſeu remollitio de qua ſuprà.

Temperamentum maximè pituitoſum,& cruditatibus obnoxium, quæ per vterum tanquam per ſentinam mulierum vacuari ſolent, vt in fluore albo: ingentes catarrhi, quorum portio ad hypogaſtrium delabitur, & partes illas abundè humectat. quod frequenter in vetulis humidis accidit, & in illis quæ in balneis & aquis,& paludoſis locis vitam traducunt. Aeris humidioris & auſtrini à partu ſuſceptio, humidiora alimenta, largior potus, medicamenta humectantia & emollientia tam ſumpta quàm admota diutiùs vſurpata, quia plus æquo vterum humectant, procidentiæ illius cauſæ ſunt.

XX.

Pleura.] Pleura latus, coſtam,& membranam coſtas ſuccingentem ſignificat. Hac primùm è ſpina per coſtas vtrinque ſubtenſa, diaphragma totum obducit, ſublatáque ad medium ferè pectoris laterum concurſu duplicata, à ſterno ad ſpinam redit, dextram thoracis partem à ſiniſtra dirimendo. Iſta duplicatæ Pleuræ reflexio mediaſtinum vocatur. Atque ita non tantùm coſtas ſuccingit, ſed vniuerſam thoracis capacitatem ſupernè infernéque continuitate ſua circumit. Aretęus lib. 1. cap. 10. de morbis acut. illam his verbis deſcribit: *ἀπὸ τῇσι πλευρῇσι καὶ τῇ ῥάχει καὶ τῷ ἔνδον θώρηκι ἄχρι κληΐδων ὑμὴν λεπτὸς κραταιὸς ὑπέστρωται, τοῖσι ὀστέοισι προσπεφυκὼς ὑποζωκὼς τοὔνομα, ſub coſtis, dorſo, & intra thoracem ad iugula vſque. membrana tenuis & firma, oſsibus adhæreſcens ſubſtrata eſt, ſuccingens nomine.* Coſtæ duodecim ſunt in quolibet latere, ſternon ſpondylis committentes. Ex his ſuperiores ſeptem Pleuræ ſimpliciter dicuntur. Inferiores quinque vocantur Pleuræ nothæ, quia & breuiores ſunt & molliores. Inter Pleuras & Pleuram: hoc eſt, inter coſtas & membranam coſtas ſuccingentem congeſtus humor pleuritim facit, de qua modò.

Pleuriſis.] Eſt dolor lateris punctorius & diſtendens cum ſebre acuta, dyſpnoea, pulſu duro, inæquali, frequenti,& tuſſi vehementi, orta ex Pleuræ inflammatione. Auctor definit. med. ita definit. *πλευρῖτις ἐστὶν ὀδύνη πλευρᾶς καὶ ὑποζωκότος, διατείνουσα μέχρι κλειδὸς καὶ ἀκρωμίου, καὶ ὠμοπλάτης, σὺν ὀξεῖ, καὶ ἀδιαλείπτῳ πυρετῷ μετ' ὀδύνης νυγματώδους ὁμοῦ καὶ φρίκης, καὶ δυσπνοίας. καὶ βηχός. Pleuriſis dolor eſt lateris membranæq́ ſuccingentis ad iugula vſque, ſummum iugulum, & ſcapulas exporrectus cum ſebre acuta & continua, ſimulq́ cum dolore pungente, horrore, ſpirandi difficultate, & tuſsi.* Duplex eſt pleuriſis vera & notha, vera ex Pleuræ, nótha ex muſculorum intercoſtalium externorũm phlegmone, ſiue inflammatione oritur. Ad illam refertur perioſtij, necnon etiam mediaſtini inflammatio, grauia certè mala & periculi plena. Ad eandem refertur etiam internorum muſculorum intercoſtalium phlegmone compatiente grauiter Pleura, ob aliquam materię reſudationem ad ipſam facta.

Hinc & pleu.] Cauſa externa Pleuritidis aut eſt calor qui humores liquefacit, & vias eorum fluxui laxat & aperit: aut eſt frigus quod ab exteriori compreſſum fluxionem mouet. Sic Borea flante ob repulſionem & compreſſionem fiunt fluxiones: ſic ob calorem flante Auſtro. Iſtæ cauſæ de externis generaliſſimæ ſunt, poſt quas poni debent magis in particulari Largior meri, aquæ etiam gelidiſſimæ hauſtus poſt calorem contractum, veſtium abiectio cùm ſudore, aut poſt laborem æſtuoſum, aut in terra decubitus, longa mora ſub Ioue frigido, ſuper frigidum ſaxum in aere gelido diuturna ſeſſio, aut æſtuante cœlo longa in vmbra quies, balneum in aqua frigida, Venus immodica, feruidior ira, choreæ immoderatæ, curſus, ictus, caſus, leporis marini eſus,& alia id genus. Cauſa interna eſt humoris fluxio, cuius fluxionis cauſa vel eſt membrum mandans, quale caput ſæpè eſſe ſolet: vel debilitas Pleurę recipientis: quę ob aliquam cauſam præexiſtentem infirmior & rarior facta, receptioni excrementorum expoſita fuit: vel eſt orgaſmus ſeu gargaliſmus materiæ, qui vel anadro-

men,ſiue recurſum facit à partibus inferioribus ad ſuperiores,vel apotheſim, ſiue depoſitionem à ſuperioribus ad inferiores. Materia Pleuritidis vt plurimùm ſolet eſſe ſanguinea vel bilioſa, quæ per quatuor veluti ſiphones influit modò in ſuperiores coſtas, per venam intercoſtalem : modò in inferiores coſtas per venam azigon : modò in mediaſtinum per venam mammariam : modò in baſim ſcapulæ per venam thoracicam,& hæc Pleuritis omnium deterrima eſt.

X X I.

T*Eneſmus & ἀρχῷ.*]Eſt frequens , crudelis,& ferè inanis deſidendi cupiditas,qua qui laborat nihil egerit niſi muccoſum quiddam,& ſubcruentum. Ἀρχὸς rectum inteſtinum ſignificat. Hippocr. lib.5.Aphor.58.ἐπὶ ἀρχῷ φλεγμαίνοντι στραγγουρίη ἐπιγίνεται) *Recto inteſtino inflammatione laboranti* (hoc eſt Teneſmo) *vrinæ ſtillicidium ſupervenit.* Significat & anum.lib.5. epidem. ἔξω ἦσαν τοῦ ἀρχοῦ *extra anum erant* , ſcribit Hippocr.de hæmorrhoidibus loquens.

Cauſæ Teneſmi vel ſunt cum materia, vel ſine materia. Sine materia, vt frigus partem illam conſtringens & mordicans,proueniens vel ab aere & vento frigidiore,à ſeſſione in lapide aut terra frigida natibus nudis,à mora partis illius in aqua frigida , glacie aut niue. Caliditates & ſiccitates inſignes aeris,eiuſdémq; corruptio,Teneſmi cauſæ ſunt, quod ſe frequenter obſeruaſſe ſcribit Valeſcus lib.4.Philonij.Replicatio etiã inteſtini vel muſculi.Cauſæ cum materia ſunt fæces induratæ, & in ſuperioribus inteſtinis,tanquam repagulis retentæ,bilis naturalis ſuppreſſio , vnde ſynathriſmus ,ſiue materiæ fæculentæ congeries,corruptorum ciborum , maximè fructuum vſus Bilis in ſphinctere retenta,collectio pituitæ ſalſæ,quæ per putredinem acrimoniam acquiſiuit , & cuiuſcunque humoris tenacis,viſcidi,& glutinoſi,inteſtinorum tunicis pertinaciter adhærentis.Humor porrò acer in ἀρχὸν irruit aliquando ex meſenterio , in quo iamdudum ſtabulabatur , vt crebrò ijs accidit quibus prominet aqualiculus:aliquando è iecore,vel è liene:aliquando è venis maioribus,atque ex toto corporis habitu, humoris tenacis, viſcidi & glutinoſi, inteſtinorum tunicis pertinaciter adhærentis.Adamantis puluis,& maligna medicamenta, aut colocynthis largiùs data , vel malè præparata, Teneſmum faciunt:aſcarides in ano generatæ,callus,& interdum etiam prægrandis calculus, ex Gal.lib.6. de locis affect.cap.2.abſceſſus,vlcus,vlceris dyſenterici imperitè curati ichor : nam vt Teneſmo dyſenteria , ita dyſenteriæ Teneſmus ſuccedere ſolet. Inflammatio œdematoſa recti inteſtini cauſa etiam eſt Teneſmi.Euenit etiam deſidendi cupiditas Teneſmi ab hæmorrhoidibus.

X X I I.

S*Pleni*] Eſt viſcus ſub præcordiis ex aduerſo iocinoris ſita,rara,ſpongioſa, & nigricans , cuius munus eſt iecur & venoſum genus à ſpurcitia fæculenti, terreſtris, & melancholici ſucci repurgare. Cui muneri explendo præter venas id habet à natura viſcus hoc,vt alimentum ſibi ſimile alliciat, è cuius puriori parte vi proprij caloris & arteriarum adminiculo alitur.Quod verò craſſius & luculentius fæci doliorum ſimile,nunc in portam & inteſtina reijcitur per ramum ſplenicum, nunc in ventriculi fundum per vas breue quod venoſum dicitur,nunc in anum per hæmorrhoidas venas , nunc in renes per arterias emulgentes.

Scirrhus.] Eſt tumor præter naturam durus & doloris expers. Cauſæ eius externæ ſunt caro porcina,bubula,lepotina,carnes antiquæ quadrupedum,caſeus,panis azymus, frumentum coctum , amylum.legumina, braſſica,dulces cibi, vina rubra, craſſa, piſces ſalſi & fumo indurati , habitatio iuxta paludes, autumnus, nimia,& diuturna lienis conſtrictio zona,aut veſte anguſtiore,ictus,caſus : exercitium violentum , aut balneum ſtatim à cibo , aliáque huiuſmodi quæ crudos ſuccos in venas rapiunt. Aquæ frigidæ & paluſtris potus maximè in febribus,& in ardente ſiti. Vigiliæ, labores & curæ quæ ſpirituoſam humorum partem abſumunt & craſſam relinquunt. Cauſæ internæ ſunt humores pituitoſi & craſſi,melancholici & terreſtres, in quibus partes ſubtiliores abſumptæ ſunt Ventriculus chylum crudum & vitioſum gignens,ſuppreſſio conſuetæ euacuationis , iocinoris intemperies,à qua humoris melancholici prouentus.Splenis intemperies ſiue ſit frigida,ſiue calida.Calida quidem quia calore ex toto corpore vitioſum humorem trahit , qui in ipſo retentus facile concreſcit, vnde Scirrhus. Intemperies verò frigida , quia cùm humor melancholicus à liene frigido ſubigi nequeat ad alimentum,nec etiam poſſit expelli,neceſſariò in tumorem aut duritiem commigrat. Item maiori ex parte fit vitio facultatis expultricis,quæ coctionis reſiduum expellere nequit.Inflammatio etiam cauſa eſt ſcirrhi ſplenis bifariam,vno modo dum diſcuſſis partibus tenuioribus ab igneo calore , vel errore medici ab exiccantibus & digerentibus pars craſſior relinquitur,vel ab immodicè refrigerantibus & repellentibus,per expreſſionem humores veluti concreſcunt & aliquando calor natiuus ita labefactatur,vt alimentum iam ſatis fæculentum digerere nequeat , & humores concretos , & quaſi congelatos relinquat.Hic ſplenis ſcirrhus aliàs ſolam illius ſubſtantiam occupat , ijſque & tumor ſplenis & figura circumſcribitur:aliàs in partes quoque proximas exporrigitur , vt omnem plerunque ventris læuam regionem occupet.

XXIII.

Ventriculo.] Ventriculus eſt organum cauum, rotundum, & oblongum, membranoſum, omni villorum genere intertextum, alimentorum commune receptaculum, χολάδα ſiue primæ concoctionis officina, culina vnde partes ſingulæ eſcam repetunt. Ex duabus propriis tunicis diſtenditur contrahiturque cum pluribus venis, arteris, & neruis intertextis, quibus accedit tunica à peritoneo, ſitus proximè ſub diaphragmate, inter lienem & iecur. Rotundus eſt, & ſecundùm tranſuerſum oblongus ac in læua ſuperiorique parte amplior quàm in dextra imaque. Poſterior pars tota ſpinę incumbit. In dextra parte vbi ſub iecore ſe abdit, eſt infimum orificium pilorus dictus, quòd quaſi ianitor alimenta prolabentia in inteſtina cohibet, in quem vſum ei duo glandulosa corpora aſſiſtūt. Ab hoc orificio inueniuntur ſtatim inteſtina, ſuperius verò os ſiue orificium ventriculi quod antiqui medici καρδίαν ob eius cum corde ſympathiam nominarunt, ſenſu exquiſitiſſimo prædìtum, appetentię cibi & potus ſedes eſt.

Cholera.[Eſt morbus, inquit Celſus lib. 4. cap. 11. in quo ſimul & deiectio & vomitus eſt, præterque hæc inflatio eſt, inteſtina torquentur, bilis ſuprà infràque erumpit, primùm aquæ ſimilis, deinde vt in ea recens caro lota eſſe videatur, interdum alba, nonnunquam nigra, vel varia. Externę cauſę choleræ ſunt allia, cæpe, grana pini, nuces rancidę, botelli, fungi, carnes ſuillæ minùs coctæ, caprinæ, cucurbitę, melopepones maximè dulces, mala Armena, & huiuſmodi cibi. Choleram námque gignunt humida & acria alimenta, quæ ſtatim corrumpuntur, acréſque ſuccos generant, qui vellicāt & mordent viſcerum ora ad ventriculum pertinentia, itáque fluxionem ex toto corpore irritant, qua biliosa & acria vomitu & deiectione educuntur, vt ſcribit Galenus. Antimonium etiam cauſa ſæpè eſt. Æſtas etiam & autumnus Choleram inducunt, tum quia tempeſtatibus illis corrupti fructus eduntur, vnde praui & acres humores: tum quia abundant tunc temporis humores bilioſi & torridi. Vigiliæ etiam, labor vehementior, ira ardentior, Choleræ cauſę eſſe poſſunt. Et hæ ſunt imprimis cauſæ externæ Choleræ, Choleræ, inquam ſimpliciter dictæ, quæ humida eſt: alia enim eſt ſicca. Galenus τὴν ἁπλῶς ὀνομαζομένην ὑπὸ τῶν ἀνθρώπων χολέραν ὑγρότητι διορίζει τῆς ξηρᾶς χολέρας, ὀνόματι δὲ κοινῷ κατ' ἀμφοῖν κέχρηται, πρὸς τὸν τῆς γενέσεως τρόπον ἀποβλέπων ὄντα κοινόν. ὡς γὰρ ὑγρὰ χολέρα γίνεται δριμέων χυμῶν ἐκ τῆς διαφθορᾶς τῶν ἐδηδεσμένων γεννηθέντων, οὕτω ἡ ξηρὰ πνεύματος φυσώδους δριμέος. διὸ καὶ τὰ πλησιάζοντα τῇ γαστρὶ νευρώδη σώματα δακνόμενά τε καὶ τεινόμενα πόνον ποιοῦσι. *Choleram hominibus ſimpliciter dictam ab arida per humiditatem diſtinguit. In vtraque autem communi nomine eſt vſus, communem generationis modum ſpectans. Quemadmodum enim Cholera humida ex acribus oritur humoribus, qui ex eduliorum corruptione originem ſumpſerunt, ſic arida ex ſpiritu flatuoſo acri. Ideoq́; proxima ventri neruoſa corpora, vbi mordentur & diſtenduntur dolorem faciunt.* Ex quibus verbis cauſas vtriuſque Choleræ internas colligere eſt. Cauſa humidæ Choleræ interna eſt ventris infirmitas, quá ſuſcipere paratus eſt quidquid in ipſum deponitur, vel ex iecore, vel ex ſplene, vel meſenterio, ſuccis minùs laudabilibus refertis; vel ex habitu vniuerſi corporis ſe exonerare ſtudentis, & vt ſic vel cauſa eſt cruditas, vel corruptio, & praua aliqua qualitas, velut acris, nitroſa, pinguis, oleoſa, fumida, rancida.

Cholera ſicca, eſt affectus in quo inflato & tenſo ventre cùm borboriſmis ſpiritus acer hac illac diſcurrens ſupernè & infernè emittitur, non cum lenamine, vt in tympanite & ventris inflatione, ſed cum doloribus aſſiduis, quantùm enim acris & flatulenti ſpiritus à quo fit hic morbus reijcitur, tantùm nulla facta mora generatur. Cauſa eſt humorum aduſtorum, craſſorúmque magna copia, & calor ibi acrior, flatibus eleuandis, quàm diſcutiendis aptior, quod accidit ijs qui cibis ſuprà memoratis, & præter morem abundantioribus ſeſe ſaburrant.

XXIV.

Veſicæ.] Veſica eſt pars tripliciter membranoſa, vrinam à renibus per vreteres recipiens, & per vrethram ſiue fiſtulam vrinariam excernens: ſita eſt in imo abdominis ſub oſſe pectinis, in coxarum antro, in viris recto inteſtino affixa: figura eius rotunda, oblonga; ſubſtantia neruoſa craſſa excepta ceruice quæ pene carnea eſt, ſimulque anguſta, quam cingit muſculus ſphincter dictus, qui vrinam coercet ne nobis innitis diffluat.

Stranguria.] Gal. in aphor. 48. lib. 7. ὅτι ἡ στραγγουρία ἡ κατὰ στράγγα τῶν οὔρων ἀπόκρισιν δηλοῖ τὸ ὄνομα αὐτὸ διδάσκει. *Stranguriam eſſe cùm vrina guttatim excernitur, ipſum nomen docet.* Itaque eſt aſſiduus mingendi conatus, ſine aut cum vehementi dolore, in quo vrina guttatim effluit, ſiue pauca & frequenter, proueniens vel à facultate expultrice veſicæ continuò ſtimulata, ex affectu dolorifico, & acrimonia vrinæ, vel proueniens à retentrice debilitata, quæ nimio vrinæ pondere grauatur.

Illinc veſica] Cauſę externę Strangurię ſunt alimentorum acrium, aut diureticorum vt electarij ducis, lithontriptici, &c longior vſus, & in maiori quantitate, ſalſamentaria etiam, legumina, acetum, vinum meracius album, aqua gelidiſſima, immoderata Venus, curſus, equitatio, & laborioſior exercitatio, perinæi conquaſſatio, percuſſio ſuper nucham, & in alijs omnibus locis in quibus nerui comprimi poſſunt impediendo tranſitum facultatis ad muſculos. His omnibus additur anni & ætatis conſtitutio ſicca.

Cauſę internę ad tria capita reduci poſſunt: ad vrinam, ad corpus, & ad principia. Ad vrinam quia ſi ſit acris propter admixtionem acris alicuius humoris, vt nitroſi ſucci, bilis, pituitæ ſalſæ, vel puris per veſicam excreti, vt à renibus interdum, à partibus diaphragmate ſuperioribus, empyis & ſuppuratione plenis; vel quia talis ex venis effluit ex praua victus ratione, vel quia vrina intemperiem calidiorem & ſicciorem acquiſiuit.

In ipſius veſicę, aliarúmque partium corpore ſtranguriæ cauſę eſſe poſſunt, inflammatio, ſcabies, vlcus, & veſicę calculus. Vteri & recti inteſtini phlegmone, propter ſympathiam & vicinitatem cauſa etiam ſtranguriæ eſt, ex Hippocr. aphor. 58 lib. 5. Pręgnantibus ob vterum creſcentem, veſicámque comprimentem vrina ſtillatim effluit aliquando. Vię etiam vrinę exſiccatę, & ab eo humore deſtitutę, qui in adenoſis illis carunculis eſt, quas velut duas glandulas ad ceruicem veſicæ lentum, ſed non craſſum gignentes humorem appoſuit natura, quo manſuetior eſſet vrinę excretio. Ille humor exſiccatus, vel ex immodica & frequentiori Venere, vt ex Gal. liquet lib. 14. de vſu part. vel ex nimia ariditate & macie corporis: Et ex iſtis ſtranguria oritur. Oritur etiam ex inflammatione prędictarum glandularum, ineunte maximè ſanie, ex hęmorrhoidibus inflammatis, ex ſeminis, & potiſſimùm feroſę illius glandularum ſubſtantiæ calore.

Alia etiam cauſa eſt primigenia & propria veſicę, retentricis ſcilicet facultatis infirmitas ab intemperie originem ducens. Quod vt intelligatur, ſciendum eſt veſicę interiorem membranam contextam eſſe triplici villorum genere, rectis, tranſuerſis, & obliquis, illos intendēdo, vrinam continet, & ſi ſolùm trāſuerſis operatur, exprimit. Prętereà in veſicæ collo muſculus ſphincter eſt, qui velut ianitor meatum claudit, quouſque animal vel qualitate acri, vel ſola vrinę grauitate ſtimulatum meiere velit. Nam priùs cùm ſenſus & appetitus moueant animal licèt velit, non tamen meiere poterit. Eiuſdem muſculi munus etiam eſt viam aperire, idque voluntariè, licèt actio vrinam fundendi ſit naturalis à veſicę vi expellente factus. Pręſuppoſitis his cùm retentrix facultas in veſicę villis ſita, ob aliquam intemperiem maximè frigidam languidior facta eſt, tunc temporis vt guttatim ab vreteribus vrinam admittit, ita etiam guttatim eam expellit. Quod interdum contingit propter auſtrinos ventos humidos quibus reſolui videtur veſica. Cùm enim nequeant fibrę præ laxitate vrinam continere, eam effluere neceſſe eſt. Sphincteris etiam relaxatione, vel anęſtheſi ſiue ſtupore & ſenſus priuatione ab iiſdem cauſis facta ſtranguria contrahitur.

In principiis ſtranguriæ cauſę etiam alię ſunt, vt illę omnes quę neruos impediunt quominùs facultas tranſmitti poſſit ad ipſos muſculos, vt fit in morbis cerebri, in ictibus ſuper *nucham*, *& aliis* omnibus per quas nerui compreſſi influxum facultatum ad muſculos impediunt.

X X V.

C*Ordi.*] Cor vitæ principium, nectaris mirifici ſedes, caloris noſtri ignis veſtalis; ſpiritus vitalis fons, & humani corporis ſol. Eſt figurę pyramidalis inſtar nucis pineę, cuius baſis medium ferè thoracis occupat, mucro ſenſim ſine ſenſu ad ſiniſtrum latus inclinat infra læuam papillam. Membrana craſſa nerueáque clauditur, quæ pericardium dicitur, à quo interuentu humoris aquei nonnihil diſtat. Summis prætereà fibris pulmonum complicatur. Subſtantia eius dura, denſa, ſolidáque eſt, triplici fibrarum genere intertexta, rectis, vt diaſtole ſanguis è caua in dextrum cordis ventriculum, & aer per arteriam venalem ex pulmonibus in ſiniſtrum cordis ventriculum attraherētur: *obliquis* vt retinerentur: tranſuerſis, vt in ſiſtole vitalis ſpiritus in aortam; fuliginoſa excrementa in arteriam venoſam, & ſanguis arterioſus in pulmones per eandem arteriam expellerentur. Habet enim duos ſinus cor, dextrum & ſiniſtrum, in quorum ſingulis duorum vaſorum orificia implantātur. Nā in dextro, ſanguineóque ventriculo, eſt orificium venæ cauæ, cui tria oſtiola ſiue membranæ introrſùm ductæ præficiuntur, & venæ arterialis, cum membranis extrorſum ſpectantibus. In ſiniſtro, ſiue arterioſo ſinu, eſt orificium magnæ arteriæ tres membranulas extrorſum ſpectantes habentis, & arteriæ venalis cum duabus membranis introrſum vergentibus. In horum ſinuum meditullio eſt ſeptum craſſum quidem, ſed multis foraminibus peruium, tranſudat ſanguis ex dextro ſinu in ſiniſtrum, vbi cum ſpiritu attracto ex pulmonibus permiſcetur, in ſpiritumque vitalem conuertitur. Ad latera cuiuſque ſinus appendices membranoſas, auriculas vocatas, videas, quarum vſus eſt, vt promptuaria ſint ſanguinis & aeris derepentè irruentis, ne cor ſuffocetur, & ne vena caua & arteria venoſa violentis motibus diſrumpantur.

– *Syncopa.*] Syncope eſt præceps virium lapſus, facultate vitali propter magnam ſpirituum vitalium diminutionem ita debilitata, vt nihil influat à corde, ſed quidquid ſpiritus calorſque adhuc in corde ſupereſt, in cor repentè confluat, ibíque coerceatur. Vide Galenum libr. 12. Meth. cap. 5. vbi multa de ſyncope.

Syncopes cauſæ externæ ſunt ſudoris, balneorum, repentinæ caliditatis, cibi, potus, famis, animi pathematum immoderatio, venenum, & venenatorum morſus, aer peſtilens, fodinarum, & barathrorum ſpiritus, auræ fœtidæ & putridæ, paludoſę exhalationes, frigus, acerbus dolor, labor nimius, *&c.*

Miſſis his cauſis ad internas veniendum, quas cognoſcere multum intereſt. Cùm virium quibus

corpus

corpus regitur integritas ſita ſit in ſubſtantia ſpirituum, vnà cum ſolidis partibus tum in qualitate tum in quantitate naturaliter ſe habentibus: ſi horum alterutrum præter naturam afficiatur, vires in ſua integritate non poſſe manere neceſſe eſt. Itaque cùm ſyncope ſit vitalium virium repentinus defectus, videndum eſt quomodo in ſpiritibus, & in ſolidis partibus cauſæ ſint ſyncopes. Sed quoniam morbi cordis mortem potiùs quàm ſyncopen inducere ſoleant, nec ſyncopes cauſæ ſint, niſi quatenùs ſpiritus imminuunt, de ſpiritibus tantùm loquar, non autem de morbis, niſi in ordine ad ſpiritus.

Cauſæ defectus ſpirituum quatuor generales afferri poſſunt. Prima eſt in regeneratione, quando non ſatis abundè regenerantur, quod accidit aut vitio facultatis regeneratricis ſpirituum, aut materiæ, aeris ſcilicet & ſanguinis ex quibus generantur. Facultas generatrix læditur idiopathicè aut ſympathicè, idiopathicè cùm magna cordis intemperies ſine aut cum materia naturalem cordis temperiem labefactat, aut ſubſtantiam partium, & caloris natiui depaſcens & conſumens, aut obruens, vt febres acutæ & malignæ, aut colliquãtes, hecticæ, maraſmodes, febres peſtilentes, & id genus. Sympathicè ſpiritus cordis afficiuntur, primò ſympathia maxima quam cor habet cum orificio ventriculi ſuperiore, quod idcircò Græci vocant καρδίαν, quod nomen cordi commune eſt. Sympathia etiam vteri & vaſorum ſpermaticorum ex ſanguinis menſtrui aut ſeminis corruptione tetros vapores in cor expirantium. Sympathia etiam cerebri, pulmonum, diaphragmatis, iecoris, aliarúmque partium. Vitia materiæ ex qua generantur ſpiritus, ſunt defectus ſanguinis, ex atrophia, longis morbis, longo ieiunio. Defectus aeris à læſa reſpiratione aut tranſpiratione ſufficientem aerem non attrahentibus.

Cauſa ſecunda Syncopes eſt ſpirituum σκέδασις ſiue diſſipatio. Diſſipatur ſpiritus ſubtilior factus corpore rariore, in acri vehementique dolore, quo ſpiritus à corde in partem affectam affatim & violenter attrahuntur. In ſubito & vehementi animi motu, vt in ira ardenti, vigiliis longis, voluptate & gaudio profuſo, de quo alibi: his ſpiritus à corde foras de repente euocatus euaneſcit. In immodicis euacuationibus ſiue per catharrica, ſiue per phlebotomiam, hæmorrhagiam, vomitum, &c. In ſuppuratione, aut ruptione apoſtematis, vel tuberculi, ſiue introrſum facta, vt in empyemate, ſiue extrorſum, vt in aqua ab hydropicis educenda. Simul enim cum aqua exhauritur ſpiritus, & vnà cum ruptione euaneſcit. Quod diuinus Hippocrates multis in locis ſcribit, vt aphoriſ. 27. libr. 6. & lib. 7. aphor. 8.

Tertia cauſa eſt alteratio, quæ prouenit ex venenoſa aeris qualitate, aut culuſuis alterius putridæ vel corruptæ ſubſtantiæ, quibus ſpiritus infecti retrocedentes in cor ipſum, facilè ſyncopen inducunt, propter venenoſam qualitatem à re externa contractam, vel ab alia excedente qualitate extrinſecùs recurſante: item ab aere corrupto, venenoſo, peſtilenti, ſiue ab externo veneno, ſiue à corruptis humoribus intrinſecùs, quod vt in vterinis affectibus euenire ſæpe videmus: ſic & à materiæ putris camarina in ventre & inteſtinis retenta, & aliqua occaſione commota.

Quarta cauſa eſt ſuffocatio, quæ fit ab inſigni vaſorum obſtructione, difficili reſpiratione, vaporibus craſſis & fuliginoſis cor tentantibus, quibus ſpiritus prohibita difflatione ſuffocatur. Sic à multis iiſque craſſis humoribus ſyncope etiam oritur, veluti in febre ſyncopali frequenter contingit, ac in initijs acceſſionum conſtipatio, magna cutis & pororum facta. Obruuntur etiam ſpiritus, intercæptione venarum & arteriarum à magna plenitudine. Pari etiam ratione ex iiſdem ſpiritibus præter naturam confertim & facto veluti agmine cor repetentibus, vt accidit in affectionibus animi vehementioribus, vt ingenti triſtitia, mœrore, anxietate, cura, & ſimilibus: vnde ſæpè ſyncope, atque adeò interitus, vt Galenus docet de ſymptomatum cauſis. Huc referri poteſt tumor aliquis præter naturam, in corde vel in pericardio, vt in diſſecto, cuius ex Galeno meminit Philotheus comment. in lib. 2. aphor. 41. tunica incluſa in ventriculo cordis plena humore putri malè olente, vermes, & huiuſmodi alia quæ modò obſtruunt, modò aura venenoſa ſpiritus inficiunt, & cor vellicant: ſicuti & humor è ventriculo, vtero, iocinore, cerebro, aut etiam pulmone.

XXVI.

P*Arti cuique canis.*] Canis hic pro morbo ponitur, qui canis more leporem inſequentis, hoſtiliter homines inſequitur ad necem. Pſal. 22. *Quoniam circundederunt me canes multi.* Quo loco Dauid poſtquam dixit ſe ſicut aquã effuſum, ſua oſſa diſperſa, cor vt ceram liquefactum, ſiccam linguam eſſe, aridam tanquam teſtam virtutem ſuam, & in puluerem mortis deductum, in quibus tria ſymptomatum morborum genera, actio læſa, corporis ipſius affectus, & euacuatio immodica continentur, ſubijcit: *Quoniam circũdederunt me canes multi.* Et iterum paulò poſt: *Erue à framea animam meam, & de manu canis animam meam.* Vbi anima pro vita, & canis pro morbo videtur vſurpari. Canis furit, & mordet, ita morbus, & morborum morbus febris. Virg. lib. 3. Georg.

Cùm furit, atque artus depaſcitur arida febris.

Canis carnium vorax eſt, & morbus carnem abſumit, & artus crudeliter exedit, Canis non tantùm carnem, ſed & ipſa oſſa rodit:

——— *haſuros ictus per oſſa canes.*

lor præter vehementem, fœdúmque vomitum, tumorem ventris habet ad chordæ implexæ ſimilitudinem; prouenítque ab affectu doloroſo, inteſtina ad expulſionem ſollicitante, quæ cum deorſum expellere non valeant propter fibrarum contractionem, motu periſtaltico ſurſum humores, excrementáque contenta retrudunt, aut violenter protrudunt.

Ileus illac.] Cauſæ aliæ ſunt internæ, externæ aliæ. Internæ vel fiunt ab inflammatione, vel ab obſtructione, vel à compreſſione, vel à ſubſidentia: ſi ab inflammatione inteſtinorum, immediata cauſa eſt, vel ſanguis, vel humor bilioſus, vel alterius generis. Cum enim humor huiuſmodi in inteſtinis collectus diutius remanet, incaleſcit, putreſcit, & inflammationem inducit. Si ab obſtructione, fit vel ex repletione per calculos (quod rarius eſt) vermes, ſaniem, grumos, vel à craſſis, lentis, viſcidis humoribus, à vitrea pituita, à melancholia, vel à copioſo flatu, vt vult Hippocr. lib. de flatu, quibus omnibus repleri poſſunt inteſtina, & cuiuſque materiæ exitus prohiberi, ita vt facultas expultrix irritata collectis omnibus viribus ſurſum expellit quidquid ipſam lædit. Si à compreſſione, fit vel à venis meſeraicis, vel à iecore ita tumidis, vt præ mole inteſtina coarctata exitum recuſent cibis. Si à ſubſidentia, fit ab intemperie præſertim ſicca qua corrugantur & concidunt inteſtina, vel à ligamentis diſruptis, vel peritonæo ſoluto.

Ileos à Cœliaco, & morbo colico diſtinguitur variis ſignis, dolore qui in Ileo eſt acutior, & ex Gal. cap. 2. lib. 6. de locis affectis, & comment. 6. Sect. 2. lib. 3. epid. ad præcordia videtur aſcendere; termino, celerius enim terminatur: Difficili etiam reſpiratione ex Aetio, quæ interdum graueolet, quia putridi vapores è ventriculo elati, cum aëre expirato miſcentur: Strictiſſima alui clauſura, quod Ileo propriè competit. Galenus enim Aphor. 10. lib. 7. In Ileo, *inquit*, nihil deſcendit ad inferiora, & hoc eſt proprium inſeparabile paſſionis: Nauſea & vomitu, ita vt cibi potúſque reiiciantur, deinde pituita, & bilis, demum etiam ſtercus: Celeri termino, paucioribus enim diebus Ileos mortem infert.

I X.

I*Cterum.*] Icterus cùm ſine adiuncto ponitur, de flauo intelligendus: definitur, bilioſi humoris per ſumma cutis effuſio. Et ab Auctore Defin. medic. (ἀνάχυσις χολῆς ἐς τὸ δέρμα. ὥστε βάπτεσθαι τὴν ἐπιφάνειαν, καὶ χλωρὰν ἀποτελεῖσθαι, καὶ ὠχρῶδες τὸ δέρμα, καὶ λευκαὶ αὐτοῖς αἱ κατὰ κοιλίαν διαχωρήσεις γίνονται). *Bilis per cutem refuſio, ita vt eius ſuperficies colore tingatur, & pallida efficiatur. Atque ita affectis alui deiectiones alba euadunt.* Dicitur Icterus, vel ab aue Ictero concolore, qui & charadrius, galgulus, & galbula de qua Plin. lib. 30. cap. 11. Ea ſi ſpectetur ab ægro ſanari hunc tradunt & auem mori. Heliod. lib. 3. Æthiop. hiſt. ὁ χαραδριὸς τοὺς ἰκτεριῶντας ἰᾶται. καὶ ὁ τοῦτο πάσχων, εἰ τῷ ὄρνιθι προσβλέψειε. τὸ δὲ φεύγει, καὶ ἀποστρέφεται, τοὺς ὀφθαλμοὺς ἐπιμύσαν, οὐ φθονοῦν, ὡς οἴονταί τινες, τῆς ὠφελείας ἀλλ' ὅτι θεώμενος ἕλκει, καὶ μεθιστᾷν εἰς ἑαυτὸν ὥσπερ ῥεῦμα πέφυκε τὸ πάθος, καὶ διὰ τοῦτο ἐκκλίνει καθάπερ τρῶσιν τὴν ὅρασιν. *Charadrius ictericis medetur: qua auis ſi iſthoc morbo laborans aliquis eam conſpexerit, fugit, & auerſatur eum concluſis oculis, non inuidentia (vt quidam aiunt) auxilij, ſed quòd aſpiciens, & trahit ad ſeſe à natura morbum, veluti fluxum quendam, ac ea de cauſa declinat aſpectum, tanquam ictum.* Aetius lib. 10. cap. 17. non ab Ictero, ſed à ſyluestrium muſtelarum genere, quas Græci ἰκτίδας vocant, Latini viuerram, Galli furetum, qui ſub tellure tantum poteſt, vt decuplo ſe maiorem cuniculum vincat ac interficiat: huius animalis oculi ſunt lutei ac auricolores, à quibus nomen Icteri tractum ſit. Ictinus etiam à Galeno dictus eſt miluus, à quibus hanc appellationem aliqui tractam ſuſpicantur. De prima originatione conſtantior, & verior ſententia. Dicitur morbus arquatus, vel arcuatus, ab iridis ſeu arcus cœleſtis ſimilitudine, qui, vt ait Virgil. lib. 4. & 5. Æneid.

Mille trahit varios aduerſo ſole colores.

Pretioſa etiam habet nomina. Dicitur enim à Marcello Scribonio aurigo, dicitur & auriginoſus morbus, quòd ægri eius nominis auri colore ſint ſimiles. Regium porrò appellari eundem cuius fit mentio, vult Celſus, quod regio cubiculi apparatu curetur: debet enim omni metu & triſtitia ſolui, quæ ſanguinem, ſpiritum, & calorem ad intima reuocant, vnde obſtructiones quæ Icteri cauſæ ſunt. Debet cantilenis, luſibus, ſalſis iucundiſque confabulationibus recreari: aula etiam ſole & igno luculenti, ſi opus ſit, illuſtrata, per quæ vitales ſpiritus dilatantur amplificantúrque, quæ omnia Ictero ſalubertima ſunt. Dicitur Regius, vt ſcribit Q. Serenus,

Molliter excelſa quoniam curandus in aula.

Varro, quia curatur mulſa, morbum Regium dictum exiſtimat, quod certè abſonum eſt. Summus Medicorum dictator Hippocr. lib. 3. de morb. & lib. de morbis internis σιδιοειδὲς, vel σαυροειδὲς vocat, quod vel malicorij, vel lacertæ ſimilitudinem referat.

Iecori.] Iecur eſt viſcus quod cùm ſit natura primum, naturalis etiam facultatis principium eſt. Speciem cùm referat aridi & ſicci ſanguinis, exhauſto vapore concreti. Primariũ eſt ſanguificationis inſtrumentum, & venarum quæ ſanguinis vaſa ſunt, ἀρχὴ καὶ ῥίζα. Nam venarum cauæ & portæ radices, per vniuerſum hoc viſcus ſexcentis labyrinthis, & admirandis anaſtomoſibus diſſeminantur, vt diutina mora in illis venularum anguſtiis αἱμάτωσις perficeretur. In media Iecoris pinnula, ſiue

lobo

lobo (ſunt autem quinque) veſicula fellea recondita eſt, ſimplici conſtans tunica, ac duos proprios meatus habens, vnum à iecore, qui ſurculus eſt venæ portæ, quo bilem attrahit, alterum ad duodenum, quo bilem redundantem expellit. Alijs quę ad iecoris hiſtoriam pertinent obmiſſis, hic tantum dico quæ ad intellectum triplicis Icteri hepatici, ſcilicet, fellei, & critici faciunt. At, Iecurne ſolum locus affectus huius morbi? Locus affectus Icteri biſariam ſpectari poteſt, vel ſecundum ſymptoma, vel ſecundum morbum: ſecundum ſymptoma eſt cutis, in ea enim auriginoſus color videtur: ſecundum morbum, cùm plures loci affecti ſint, maximè tamen Iecur afficitur, vt ex ſequenti nota conſtabit.

Hinc.] Oritur Icterus vel propter choleræ multiplicationem, vbi maior copia gignitur, quàm cyſtis fellea attrahere, vel recipere poſſit, quod fit vel propter calidam iecoris intemperiem: cùm enim iecur vnica ſit bilis officina, ſi ſit calidior maximum bilis prouentum producat neceſſe eſt. Vel etiam fit ob alimenta calida, quæ in biliosos humores facilè conuertuntur, vt ſunt aromata, cepe, allium, & omnia dulcia: vel ab feruentem iecoris inflammationem, cuius vi ſanguis in bilem mutatus per venas tanquam per tubos in vniuerſum corpus diſtribuitur. Gignitur nonnunquam etiam Icterus ex calida ſolidarum partium intemperie, dum calor ſingulis inſitus partibus nimium fit acris atque mordax, propter intemperiem totius corporis calidiorem: tunc humores in bilem potius mutantur, qui ſanguini tandem permixti aureo veluti colore totum corpus inficiunt. Fit etiam Icterus venenata qualitate ſanguinem corrumpente, vt quando quis à vipera læditur, ſecundum Galen. lib. 5. de locis affect. cap. 7. & Auicennam. Viperæ enim morſus ita afficit ſanguinem, vt mutetur in bilem excrementitiam veneficam, quæ facultate iecoris expultrice ad cutem tranſmittitur. Galenus ſe vidiſſe ſcribit Ictericum morſu viperæ factum. Morſus canis rabioſi, aquæ corruptæ hauſtus, aqua ſtagnans, aura venenata, catharticum etiam Icterum cauſant. Nicander Coloph. ait Leporis marini morſum Icterum facere. Poſtquam enim deſcripſit illum, ita canit:

> Τοῖς ἤτοι ξοφόεις μὲν ἐπίχλοος ἴδρωσι γυίοις
> Ἰκτερόεις.
> *Hu color ictericus viridi, nigroq́ remiſtis*
> *Corpore fit toto.*

Hiſtoria extat apud Auenz. lib. 1. cap. 13. de Alzer filio Philati, qui ob venenum hauſtum Ictericus factus eſt, & ab ipſo curatus. Id fit, quia venenum ſi partes venoſas prius attigerit vna cum ſanguine ad iecur fertur, quod infectum alterat omnem ſanguinis maſſam, qua deinde vniuerſa corporis ſubſtantia tranſmutatur in colorem porraceum, citrinum, &c.

Oritur etiam Icterus, quando iecur bilem à ſanguine non ſegregat, & ſeparat, aut ad cyſtin felleam non expellit, ob intemperiem ſubſtantiæ vim ſecretricem & expultricem debilitantem, aut ob anguſtiam meatuum, & ductuum ex iecoris ſubſtantia in cyſtin, quæ vel obſtructio, vel cõpreſſio eſt: ſi obſtructio, fit ab humoribus craſſis & viſcidis; aut à calculis, quod in Domina *Dentragues* notatum eſt, quæ Icteriodes erat, in cuius veſicula fellea, referente Lud. Dureto oculato teſte, inuenti ſunt viginti duo lapilli triangulares formam gagatis referentes. Si compreſſio, fit aut ſcirrho, aut inflammatione, aut callo, vt refert Auenzoar.

Fit etiam Icterus ex debilitate virtutis veſiculæ felleæ bilem à iecore non attrahentis, vel à ſe ad duodenum expellentis, aut ob intemperiem ſubſtantiæ eiuſdem, aut ob ductus anguſtiam.

Demum gignitur repentè Icterus vi facultatis expultricis, quæ ad humorem bilioſum expellendum, aut vi morbi concitatur, quemadmodum dixit Hippoc. lib. 4. Aphor. 64. quòd quibus Icterus apparet in febribus ante ſeptimum diem calamitoſum ſit: aut per criſim, quando natura ſuperato humore vires colligit ad bilis expulſionem.

Sunt præter aſſignatas cauſas animi pathemata, ira, triſtitia, &c. Sol etiam, ſæpe enim qui ſub ardente ſole iter faciunt, Icterici euadunt.

X.

R*Enibus.*] Renes nunquam ex diametro ſiti, impoſiti ſunt lumbis iuxta vltimam coſtam, & ſubſtantia carnoſa, ſolida, compacta, denſa, dura, concaua. In illorum enim medio ſinus eſt propria membrana ſuccinctus, ad vrinam percolandam. Ex natura debent per venas, & arterias emulgentes ſeroſum excrementum à ſanguinis maſſa ſegregare, & per vreteras in veſicam transfundere. Vide reliqua apud anatomicos.

Lapis.] Alius calculus renum eſt, alius veſicæ. Renum calculus vt plurimum colore rufus, rarò albus, flauus aut niger, & in corpore renum gignitur: Veſicæ calculus ſubalbus ac cinericius, & gignitur in veſicæ capacitate. Renum calculi minores ſunt, aſperiores, magiſque friabiles; & puerili ætati obtingere ſolent. Eſt autem renum calculus, corpus tophaceum, aut lapideum præter naturam in renibus, ex materia craſſa, lenta, per exſiccationem à calore præcipuè genitum, actiones eorum impediens. Cauſas iam vide calculi.

Inde.]

Inde.] Cauſa materialis calculorum eſt humor craſſus, lentus, viſcidus, & terrenæ ſubſtantiæ qualis piruita renum ſæpe eſt, plerúmque cum ſanguine permixta aliquóve alio humore, vel pute craſſo harum materierum, aut par eſt portio craſſæ & gluti noſæ, aut craſſa exuperat glutinoſam, aut contra: materia autem quo glutinoſior fuerit, & calor ex coquens ardentior, eo duriores calculi excoquuntur, coloris magis cinerei ſubr uffi: alioquin renum ſuccive exuperantis colorem æmulantur. Cruditates, alimentáque craſſi ſu cci difficiliſque concoctionis humoris illius craſſi lentíque ſemina ſunt, vt lac caſeoſum, caſeus, panis azymus, oriza, annoſiorum animalium carnes, piſces cartilaginei, & teſtacei, anguillæ, lucanica, tomacula, carnes fumo induratæ & ſalitæ, aquæ crudæ & paluſtres, vt docet Hippocr. lib. de aëre, aquis, &c. Piſtacia, lagana, pyra auſtera, & omnes propemodum fructus duri & acidi. Vina rubra & craſſa. Calida etiam diutetica intempeſtiuè aſſumpta, & ea omnia quæ dorſum renéſque excalfaciunt. Et ſi cauſæ externæ recenſendæ ſunt, excedens aëris caliditas & ſiccitas, balneorum calidorum vſus, exercitium à paſtu immodicum, ſupinus decubitus, arcta zona, & aliarum rerum ſuper renes ſtrictio: Et cætera omnia, quæ vel calorem excodentem ſuſcitare poſſunt, vel crudorum craſſorúmve ſuccorum copiam ſubminiſtrare.

Alui ſuppreſſio, & meatuum vaſorúmque anguſtia non parum etiam faciunt ad Lapidis generationem.

Cauſa efficiens Calculorum concretionis, eſt calor renum ingens, qui humidum redundans exſiccat. Gal. lib. 3. de aliment. facult. cap. 17. vbi de caſeo; Oſtendimus, inquit, Calculos in illis corporibus naſci, in quibus ſuccorum craſſities, cum ardenti calore eſt coniuncta. Poteſt etiam eſſe à calore paulò remiſſiore, vt colligere licet ex Gal. in Aphor. vltimum lib. 3. Mediocriter enim excedens cal or, modò temporis longitudo, caloris exiguitatem compenſet, Calculi generationi ſufficit. Talis proportio caloris efficientis ad materiam eſſe debet, vt ille tenue abſumat, nec poſſit liquefacere craſſam ſubſtantiam, aptam vt induat duritiem lapideam maiorem aut minorem pro vt ipſa craſſior & viſcoſior eſt, calor autem vehementior. Caloris vehementioris præcipua ſedes in renibus eſt; non principalis, eſt in iecore qui diſponit materiam, vt facilius deinde in renibus vertatur in Lapidem. Calor verò renum vltimam formam dat materiæ. Vide Hippoc. lib. 6. Epidem. & de internis affect. & alibi paſſim. Gal. in aphor. 31. libri 3. lib. 4. & 14. Meth. med. lib. de cura lapidum. lib. de ſuccorum bonit. & vit. libris de facult. aliment De compoſit. medic. De locis affect. De renum affect. Et Auicennam lib. 3. fen. 18. tract. 2. cap. 18. Aëtium tetrabibl. 3. ſerm. 3. Paulum Ægin. lib. 3. & rece ntiores quàm plurimos.

Angina.] Angina dicta quòd angat, ſi propriè & germanè accipiatur, eſt difficultas ſpiritus ducendi, & cibi potúſque deglutiendi, cum febre continua, orta ex muſculorum gutturis, aut faucium inflammatione. Qui diſtinctionibus gaudent, alias appellationes habent, quarum prima eſt κυνάγχη, aut vt aliis placet λυκάγχη ſic dicta à κύων canis, λύκος lupus & ἄγχειν *ſtrangulare*, vel quia canes & lupi frequenter ſuffocentur hoc morbi genere: vel, vt vult Aëtius, quòd lingua à ſua radice mota, ſactáque difficili reſpiratione, cogantur ægri aperto ſemper ore reſpirare, & canum & luporum in morem linguam exerere. Aurelianus cynanchem dictam putat ab ἀγχόνης, id eſt, ſuſpendio, quia inſtar ſuſpendij ſuffocat, vel à συνέχειν i. à continendo ſpiritu, quia reſpirationem prohibet. In hoc morbo affici untur muſculi gutturis interni, maximóque cum diſcrimine laborat æger concurrentibus his ſignis, dolor vehemens eſt in gutture quem febris etiam interdum ardentior comitatur. Spiritus non niſi recta ceruice trahitur, vox etiam læditur. Nullum indicium apparet caloris neque tumoris in ore, neque in faucibus, neque in ceruice, anguſtia verò maximè in gutture deprehenditur, lupino aut canino ritu & rictu frequenter hiant, aëréque frigido reficiuntur, aliquando etiam linguam exerunt, & variè iactantur, oculi rubent & prominentes extant, refluítq; per nares potio.

2°. Συνάγχη ſeu συνάγχη ſic dicta à σῦς quod & verbum eſt Latinum *ſus*: *ſues* enim crebrò laborant hac ægritudine. In hac inflammatio internos faucium muſculos apprehendit & cibi deſcenſum maximè prohibet, non ita attractionem ſpiritus. Sed calor, tumor, dolor, atque grauitas in faucibus magis percipitur. Imò verò ſi os aperiatur, & lingua deprimatur, rubor & tumor introſpicientibus tantum apparet, & non in externis partibus. Minus eſt periculi quàm in Cynanche.

3°. Παρακυνάγχη, vbi externi muſculi, & partes circa guttur inflammatione laborant.

4°. Παρασυνάγχη cùm inflammatio externos faucium muſculos partéſque afficit. In his duabus tumor ardórque in externis apparet partibus, & minori difficultate ſpiritus trahitur, & cibus glutitur. Galen. in Aphor. 34. lib. 4. Λοιπὸς ὁ λάρυγξ ἐστὶν ὁ τῆς ἀρτηρίας πνιγεὶ δυνάμενος ποιῆσαι, ἐπειδὴ συνίσταταί τι κατὰ τοῦτον ὁ τοῦ πνεύματος πόρος, οἵ τ' ἔνδον αὐτοῦ μύες ἅμα τοῖς περιέχουσι χιτῶσι φλεγμήναντες, ἀποκλείσαι δύνανται τὴν ὁδὸν τοῦ πνεύματος. ὀνομάζουσι δὲ ἔνιοι τῶν ἰατρῶν τὴν τοιαύτην διάθεσιν οὐ διὰ τοῦ σ συνάγχην ἀλλὰ διὰ τοῦ κ κυνάγχην, οἷς ἀρέσκει τὴν τοῦ φάρυγγος φλεγμονὴν, διὰ τοῦ σ συνάγχην, ἔνιοι δὲ καὶ παρασυνάγχην καὶ παρακυνάγχην ὀνομάζουσι. παρασυνάγχην μὲν ὅταν τῶν ἐπικειμένων τῷ φάρυγγι μυῶν γένηται φλεγμονὴ, παρακυνάγχην δὲ ὅταν ἔξωθεν τοῦ λάρυγγος. *Reliquum eſt guttur quod ſubitam poteſt facere ſuffocationem, quoniam tum iuxta ipſum coarctatur pulmonis meatus, tum muſculi ipſius interiores vna cum ambiente tunica inflammationem patientes, ſpiritus viam poſſunt intercludere. Huiuſmodi autem affectionem nonnulli Medici non per σ συνάγχην, ſed per κ κυνάγχην nominant, quibus placet faucium inflammationem per*

σ συνάγχην

ὁ συνάγχην appellare. Quidam etiam & παρασυνάγχην & παρακυνάγχην vocant, παρασυνάγχην quidem cùm faucibus adiacentium muſculorum inflammatio fuerit, παρακυνάγχην autem, quando extra guttur inflammatio extiterit.

Hinc ang] Cauſa efficiens Anginæ eſt affluxus & inflammatio, quam facit vel redundantia ſanguinis, ſiue ſit ex crapula, vita deſide, aut ſuppreſſa euacuatione, vel idem ſanguis calidior feruidiórque maximè ſi pituitoſus, qui ea ratione tenuior, fluxuíque paratior redditur: vel humores acres & bilioſi, vel melancholici, denique fluxus omnis qui cum fluibilitate humoris aliquam habet viſciditatem, his affectionibus gignendis idoneus eſt. Sciendum tamen quam creat Anginam pituita aut melancholia, eſſe notham, cùm vera Angina morbus ſit acutus cum febre & tumore calido & dolorifico. Sciendum etiam Anginam quæ à ſanguine fit è venis iugularibus eò deriuato, plenum pulſum & vndoſum habere, ſpirandi & tranſglutiendi difficultatem maximam, ruborem in lingua & tota facie, febrem etiam permoleſtam. Si à bilioſo fit ſanguine grauiſſima etiam inuehere ſymptomata. Cauſæ mediatæ & internæ ſunt ſexus: crebrius enim viri quàm mulieres Angina torquentur, & inter viros crebrius iuuenes, quàm pueri vel ſenes. Corporis etiam habitus his cauſis annumerandus, quibus enim grandius caput, contra breue collum, corpúſque oppletum ſanguine, illi obnoxij Anginæ inter cæteros.

De cauſis præternaturalibus ſunt hæmorrhoides & menſtrua ſuppreſſa, violentus vomitus, à quo fauces irritatæ nullo negotio inflammantur. Galen. lib. 4. de locis affect. cap. 5. vbi & Hippocratem citat ceruicis vertebras intrò luxari ſcribit, fauces ac gulæ gutturíſque introitus premere ac arctius coanguſtare.

Cauſæ externæ ſunt aër calidus & humidus, frigidus & humidus, ver & autumnus vt habetur lib. 3. Aphor. 20. & 22. exercitatio quæ fit capite cernuo, capitis perfrigeratio, iræ, contentiones, vociferationes, liberalior non lymphati vini vſus, cibi & potus actu calidi, colli strictura puluis, fumus, feruentis muſti vapor. Auicenna, & poſt eum alij fungos Anginam creare dicunt, &, quod magis miror, nimium vſum & eſum ceraſorum.

Gula.] Gula propriè ductus ille eſt qui à faucibus ad ventriculum vſque pertingit, per quem cibus ab ore deorſum fertur. Gula etiam eſt pars iuguli exterior quæ guttur, & iugulus dicitur: Illic larynx & pharynx ſunt, quarum muſculi angina tentari ſolent. Illius quatuordecim numerantur cõmunes quatuor, duo tyroidei, & bronchij totidem: Et quinque proprij cricothytoideus anticus, qui thyroidem dilatat, & cricothyroideus lateralis, qui thyroidem contrahit: crycoarithenoideus poſticus arythenoidem aperiens: Et thyroarythenoideus, & arythenoideus claudentes arythenoidem: decem erunt ſi geminentur. Pharingis muſculi ſunt, ſphænopharyngeus, ſtylopharingeus, cephalopharingeus, & œſophagæus

X I.

T*Abes.*] Tabes Latinis eſt quod Græcis Phthoë & Phthiſis. Galen. in lib. 7. Aphor. 16. *Ἣν ἰδίως ὀνομάζουσι οἱ Ἕλληνες, καὶ μάλιστ᾽ αὐτῶν οἱ Ἀθηναῖοι φθόην, ταύτην νῦν ὁ Ἱπποκράτης ὠνόμασε φθίσιν, ὅτι πνεύμονος ἑλκώσει ἀνιάτοις γινομένης ἅπαντος ἰσχναίνεται μετὰ πυρετοῦ λεπτοῦ. Quam propriè Græci, præſertímque Athenienſes Phthoen appellant, hanc nunc Hippocrates Phthiſin, nominauit, ex pulmonis vlceratione inſanabili ortam, totius corporis extenuationem, cum febre parua.* Vide eundem lib. 2. de præſag. è pulſu cap. 1. lib. 6. de ſanit. tuend. lib. 5. meth. med. in lib. 3. Aphoriſm. 16. & in lib. 5. Aphoriſm. 9. Nomen Phthiſis quod deducitur à φθίνειν, hoc eſt, *tabeſcere*, tribus morborum ſpeciebus à Corn. Celſo l. 3. c. 22. tribuitur. Atrophiæ, Cachexiæ, & Phthiſi, quæ verè tabes, de qua hic Auctor. ſita propriè in vlcere pulmonum. Oritur, ait ibidem Celſus, ferè à capite, inde in pulmones diſtillat: huic exulceratio accedit, ex hoc febricula leuis fit, quæ etiam cum quieuit, tamen & repetit. Frequens tuſſis eſt, pus excreatur, interdum cruentum aliquid. Quicquid excreatum eſt ſi igni imponitur, mali odoris eſt.

Illac.] Hippocr. lib. 1. περὶ παθῶν vlcus ſcribit fieri in pulmone vno è quatuor modis: primò ex peripneumonia rupta non purgata: Secundò ex pituita à capite deſcendente, & in pulmone putreſcente; tertiò ex vena rupta in pulmone; quartò ex genita varice in pulmone, & poſtea rupta.

Cauſæ efficientes tabis ad quinque referri poſſunt ad euidentes, ad vitioſam corporis conformationem, ad ſanguinis extrauaſationem, ad defluxionem acrem in pulmones, & ad venenatam qualitatem. Cauſæ euidentes ſunt, Aquilonia tempeſtas auſtrinam excipiens, & ſalſam pituitam in pulmones exprimens, caſus, ictus, ſaltus, curſus, vociferatio elatior, labor immodicus, frigus vehementius, calor ardentior fluxilem reddens materiam. Piperatorum & calidiorum ciborum vſus intempeſtiuus, vinum meracum largiùs potum, vnde ſanguis acuitatem contrahit, &c.

Vitioſa pulmonis ſubſtantia & pectoris conformatio, tabem generant. Nam quibus pulmones molles & teneriores ſeminis parentum tabidorum vitio, priuatio vuulæ ſiue columellæ, oblongum collum, anguſtus thorax, caput infirmum, ſublimes ſcapulæ tanquam alæ, inde φθινώδεις & πτερυγώδεις, quaſi alati nominantur, tabem non effugiunt.

Bilis & pituitæ in pulmones deſcenſus, catharrus ferinus, qui ſua ſubſtantia tenuis eſt, qualitate

acer,& temperamento vel corruptione calidus, qui fit ferè ab inæquali principum partium temperamento. Præterea anginæ,pleuritides,& perineumoniæ non ſatis expurgatæ , cauſæ ſunt Tabis.

Aura venenata cauernarum,hiatuum,metallifodinarum:ſcribit Ariſtoteles libro de mundo(ſi tamen is auctor huius libri eſt) de quibuſdam crateribus qui venenata aura contabeſcunt ,faſcinatio, diuturna mora iuxta fornaces vbi funduntur metalla, opera circa hydrargyrum Ea omnia quæ vel occulta ,,vel euidenti cauſa ſtringunt & lædunt pectus , & quæ intra pectus ſunt. Lepus etiam marinus occulta proprietate Tabem creat,ex Galeno lib.1.de medicam. cap.1. Hoc animal non ſolùm comeſus, ſed(quod mirum eſt) in manu diu geſtatus pulmones vlcerat. Halitus etiam tabidi tabidos facit;ex Galeno enim lib. 1.de differ.febr. cap. 2. periculoſa eſt conuerſatio cum ijs qui Tabe laborant;vnde non ſine cauſa Hippocrates 3. Epid.3.inter morbos peſtiferos Tabem recenſuit.

Pulmonibus] Aptiſſimè pulmones vocauit Plato *ἅλμα μαλακὸν molle ventilabrum* cordis , quibus verbis ſubſtantiam,& officia breuiter ſignificauit. Eſt enim pulmonis ſubſtantia inter reliquas partes rara,laxa,leuis,mollis,aerea,ſpongiæ & coagulatæ ſpumæ ſanguinis ſimilis , quo follis inſtar aere impleri , diſtendique innoxiè poſſet. Eſt enim à natura factus (miſſis vtilitatibus alijs , quæ non ſunt huius loci) vt aerem in ſe iam præparatum cordi ſubminiſtret, quo eius æſtus mitigetur. *Pulmonibus* dictum eſt,quia plures pulmo lobos habet. Cùm enim thorax in duo diuiſus ſit,& media membrana (mediaſtinum vocant)diſtinguatur,ita contentus thorace pulmo in binas partes,dextram,ſiniſtrámque diuiditur. Rurſum pars eius vtraque duobus lobis conſtat,altero ſuperiore, inferiore altero,ſæpe euidenter diſcretis,nonnunquam obſcurè illa diuiſio à natura facta eſt, ne vno lobo malè affecto , alius non tam citò inficeretur. Præter hos ali[illegible]ándo tertius dexter lobus, & is exiguus in diſſectis corporibus deprehenditur.

Pulmonum in carmine facta mentio indicat Tabem veram hîc intelligendam. Cùm enim quatuor ſpecies præcipuæ apud Hippocratem & Galenum reperiantur:Renalis,Dorſalis,Cachexia cum febre hectica,ſine tamen pulmonis vlcere,& vera phthiſis, quæ cum vlcere pulmonis eſt, de hac poſtrema hîc tantùm agitur. Dicat hîc aliquis cum de Tabe in emblemate, cordis quàm pulmonis potiùs mentionem fieri debuiſſe,quia ex Galeno corpus non extenuatur,niſi cor priùs exſiccetur,cùmque Tabes ſit totius corporis conſumptio à corde potiùs dependere videtur. Reſponderi poteſt principium corporis exſiccationis ſemper eſſe à corde,ſed illa exſiccatio in vera Tabe, ab vlcere pulmonis eſt. Sic enim fit Tabes innuente Hippocrate lib.de glandulis. Pulmone malè affecto ſiue primariò ex abſceſſu aut vomica pulmonis rupta, aut poſt ſanguinis ſputum vaſe aperto aut rupto,ſiue ſecundariò ex affluxu materiæ ſalſæ,& acris,aut progreſſu temporis putreſcente,pulmo exulceratur, aerem vitæ neceſſarium tabifica qualitate inficit , infectúmque cordi tranſmittit, vnde exſiccatur primò in ſua rorida ſubſtantia,deinde fibroſa,tandémque membranoſa, & cum corde totum corpus ſimili modo neceſſariò contabeſcit.

X I I I.

GLaucoma] Glaucoma propriè eſt cryſtalloidis aut humoris vitrei in glaucum vel fuſcum mutatio. Impropriè tamen accipitur ex Aëtio lib.7.cap. 50, pro eo vitio quod orta priùs ſuffuſione & humore circa pupillam valde concreto,reſiccatóque contrahitur. Quod & teſtatur Rufus , dum ſcribit Glaucoma & hypochyma idem mali genus à veteribus eſſe creditum, à ſolis tantùm neotericis fuiſſe diſtincta. A qua quidem opinione Gal. comment. Aphor. 31. l. 3. non diſcrepaſſe videtur, vbi ſcribit τὰ γλαυκώματα ἔχειν ἰδέαν τῶν ὑποχυμάτων, hoc eſt, *Glaucomata ſuffuſionibus ſimilia videri & eandem referre ſpeciem.* Ex quibus tamen non inferendum eſt illa eadem eſſe. Hypochyma enim , ſiue hypochyſis latinè ſuffuſio, eſt extranei humoris,& aliunde illabentis concretio : Glaucoma verò eſt cryſtalloidis incraſſamentum,& exſiccatio. Omnia hypochymata totam pupillam non ſemper obuelant,nec viſum ex toto adimunt : Glaucoma verò eſt vniuerſæ cryſtalloidis ſiccitas, & ex ſiccitate concretio. His accedit,quòd multa hypochymata curantur,cùm tamen, vt Rufus ſcribit, Glaucoma ſit immedicabile vt omnis morbus qui ab immodica ſiccitate eſt. Ita Paulus Ægineta ex Rufo lib.3. cap.22.

Oculis] Oculus tres humores continet,de quibus,miſſis aliis in oculo contentis , quæ ad Glaucomatis intellectum non faciunt, vide Gal.in principio lib. 10. de vſu part. Primus & præſtantiſſimus cryſtallinus primarium viſus inſtrumentum,vtpote in quo immediatè fit viſio,ad quam cæteræ partes inſeruiunt. Eſt tanquam nitidiſſimum è cryſtallo ſpeculum. Hic humor proprio, & vernacula luce clarus non eſt fluidus , ſed paulò firmior tanquam gemma in media pupilla fulgens. Cryſtallini humoris ex anteriore parte propugnaculum , eſt aqueus humor,ſiue albugineus , ſua tenuitate & puritate ouorum albo ſimillimus. Continetur inter corneam,colore ſuo ambitum , qui apparet candidus in oculo,pingens,& ad arachnoidem vſque perueniens,vt irriget cryſtallinum,totùmque oculum. Tertius humor eſt hyaloides ſiue vitreus,conſiſtentia vitro liquefacto ſimilis , colore verò , & pelluciditate vitrum ſolidum refert,nigredine quadam albo miſta. Eſt ſedes cryſtalloidis, ideoq; poſteriore parte ſitus eſt,cum ſit in medio concauus,tanquam annulus gemmam admittit.

Hinc Glaucoma.] Gal. non videtur aliam cauſam Glaucomatis quàm ſiccitatem agnoſcere, qui lib. 10, de vſu part. Glaucoma definit, ξηρότητα καὶ πῆξιν τοῦ κρυσταλλοειδοῦς ὑγροῦ, *ſiccitatem, & concretionem cryſtallini humoris*. Et comment. Aphor. 31. lib. 3. cauſam reddens cur Hippocrates ſcripſerit Glaucomati obnoxios eſſe ſenes, nimiam inſtrumentorum ſiccitatem cauſatur.

X I I I I.

Podagra] Gal. lib. 10. comp. med. κατὰ τόπους. Ἐκ τοῦ γένους τῆς ἀρθρίτιδος ἥ τε ἰσχίας ἐστὶ καὶ ποδάγρα. ὅπερ γὰρ ἐν ἅπασι τοῖς ἄρθροις ἡ ἀρθρῖτις ἐστιν, τοῦτ' ἐφ' ἑνὸς μὲν τοῦ κατ' ἰσχίον, ἰσχιάδα καλοῦσιν ἐπὶ ποδὸς δὲ ποδάγραν. *Ex genere articularis morbi eſt tum iſchias, tum podagra. Quod enim eſt in omnibus articulis articularis morbus, hoc in vno iuxta coxendicem articulo iſchiada, in pede verò podagram vocant.* Itaque podagra arthritis eſt: arthritis enim ex Aureliano lib. 5. cap. 2. eſt genus, cuius ſpecies conſtituuntur à partibus arthritide afflictis, vt ex Galeno dictum. Sciendum eſt, antequam de arthritide aliquid dicam, gynglimum in gonagra, enarthroſin in iſchiade, in podagra omnes articulationis ſpecies repleri. Definitur autem dolor articulorum ex interuallis ferè affligens, ortus ex affluxu humoris ob debilitatem laxa vacuáque articulorum ſpatia implentis, partes neruoſas diuellentis, comprimentis, atque adeò alterantis. Pars affecta articulus dicitur, compoſitio oſſium vnà cum ligamentis, cartilaginibus, tendonibus, &c. quæ voluntario motui inſeruiunt. Verùm pars affecta propriè non eſt totus articulus, ſed tantùm partes eius neruoſæ ſenſu prædita, aut tendones muſculorum; nerui, membranæ. Licèt enim humore ſaturentur ligamenta tum propria, tum communia, non tamen dolor excitatur in propriis quæ cum oſſis cartilagine naſcuntur, ſunt enim ſenſus expertia; ſed in ligamẽtis communibus quæ ſentiunt. Sciendum enim eſt arthritidem ſitam eſſe in articulorum repletione, diſtentione ligamenti communis, & compreſſione nerui & tendonis; quæ duo vltima non ideò dolore affliguntur quia humore imbuantur, cùm enim non fiant conuulſiones in illis non eſt humor, ſed quia diſtenduntur nimium propter repletionem ligamentorum communium cui proxima ſunt.

Pedi. Podagra nomen habet ἀπὸ τοῦ ποδὸς pede καὶ τῆς ἀγρίας atrocitate doloris: Et definitur dolor pedum ex fluxione ortus, ſubinde repetens. Podagra fit modò in articulo maioris digiti pedis, modò calcanei extremo, aut cauo & planta pedis: modò malleolos occupat: à pedibus ad genua ſenſim aſcendit: hinc ad coxam & femorum iuncturas, poſtremò ad manus, vertebras humerorum & maxillarum.

Inde Podag. Licet podagræ eędem cauſę ſint, quæ arthritidis, hoc tamen illi vt & chiragræ peculiare eſt, vt ex articulorum imbecillitate maximè oriatur, quamuis non ſit humorum maxima copia, nec externa cauſa fortior, quod in arthitide non ita verum, quippe quæ oritur à plenitudine totius corporis, licet non tanta ſit articulorum imbecillitas. Hoc probare poſſit, quia podagricorum filij leuiſſima ſepe cauſa podagra affliguntur, nimirum quia à parentibus debiles habent articulos, non tamen exiſtimandum ab iiſdem eos tantorum humorum copiam habuiſſe. Podagra etiam ſaltem, notha hoc habet peculiare, vt ab articulorũ ſiccitate oriatur, non quidem partium ſolidarum articulum ipſum conſtituentium, oſſium nimirum aut ligamẽtorum, ſed ob conſumptionẽ duntaxat glutinoſæ illius humiditatis qua natura articulos imbuit ad motum faciliorem. Quia verò arthritidis cauſæ, etiam podagrę ſunt, cauſas arthritidis recenſere operæ pretium eſt.

Cauſa materialis arthritidis eſt plerumque pituitoſus & ſeroſus, aliquando ſanguineus, aut bilioſus, ex Auicenna nunquam ſolus humor craſſus aut melancholicus. Nam vt humores craſſi fluãt, tenuium vehiculo ſemper indigent. Inter cauſas eſſe alios humores præter pituitoſum & ſeroſum ex eo conſtat, quòd ingens dolor, calor, rubor, aliaq́; febris ſymptomata, quę interdum iuuenes natura calidos, & bilioſos arthritide laborantes æſtate media diſcruciant humori pituitoſo aſcribi nequeunt.

Cauſa horum humorum vel eſt generans, vt calidius iecur, & copioſior, iſq́; laudabilis chylus ſanguinem generant: frigidior ventriculus, & cibus pituitoſus, pituitam generant, &c. Vel eſt colligens, vt ſuppreſſa aliqua euacuatio, diarrhæa & dyſenteriæ bilioſæ imminutio, vt notauit Hipp. in Coacis. vlceris pyrotici ante debitum tempus coalitus, hæmorrhoidum & menſium ſuppreſſio. Vnde Hippocr. aphor. 29. lib. 6. γυνὴ δὲ ποδαγριᾷ οὐκ, εἰ μὴ τὰ καταμήνια αὐτῇ ἐκλίπῃ. *Mulier ex podagra non laborat, niſi menſtrua illi deficiant.* Et ad fin. ſect. 8. lib. Epid. meminit duarum mulierum Phaëtuſæ & Namyę, quæ à ſuppreſſione menſtruorum factæ fuerunt arthriticæ. Oritur etiam arthritis, ſi quæ fieri debebat per palatum vel per nares, vacuatio ſupprimatur.

Cauſæ quæ faciunt vt humor moueatur eſt humoris copia. Si enim humor plus æquo abundet, facultatẽ aggrauando ea ad expellendum inſurgit. Eſt qualitas noxia expultricem robuſtam irritans: robuſtam dico, niſi enim pars in qua reſidet materia robuſtam habeat expultricem, non ſuo ſe pondere in aliam partem exonerare poteſt, ſic expultricis robur vna de cauſis eſt quę ad humoris motum faciunt. Viarum etiam amplitudo cauſa eſt, ſi enim ſit anguſtia non erit tranſitus. Sed quæ ſint illæ viæ per quas fiat iſta fluxio, medici omnes digladiantur.

Fernelius de quo poſſit dici illud Ariſtænetis, θαμβοῦ, ὅσοι ὀφθαλμοὶ, ἐπὶ τοῖς ὁμιλίας αὐτοῦ καὶ ἐπαινοῦντες, ὅσοι ἡ γλῶττα

τε σωμύλωθρος. *Papa, quanta ſermonis eius dulcedines, quàm facunda lingua*, materiam arthritidis excrementum eſſe cerebri exiſtimat vir ille, inquam, diſertus, ſiue pituitoſum aut ſeroſum humorem: deinde partem mandantem vnde profluit eſſe pericranium maximè ad occipitium, vnde non per venas & arterias, non per continuitatem neruorum aut muſculorum, ſed inter carnem, & cutem duntaxat defluat, ſubſiſtátque tandem in articulorum ligamentis, & membranis. Quantas vir ille doctiſſimus ſuis his opinionibus in Æſculapico ludo concitauit turbas?

Qualis vbi Aeolio demiſſos carcere ventos
Dux præ ſe Neptunus agit, magnoq́ volantes
Inijcit AEgæo, triſtis comitatus eunti
Circum lora fremunt, nimbiq́, hyemeſq́ profunda,
Nubilaq́, & vulſo terrarum ſordida fundo
Tempeſtas.

Tantam in ſe medicorum tempeſtatem concitauit. Non inuehar in hominem de re medica optimè meritum; ſufficiet aſſignare alias partes defluxionem mandantes, aliáſque vias. Pars mandans vt plurimùm eſt caput, interdum iecur, nonnunquam etiam lien, venter, vterus, renes, omnia viſcera, aut totum corpus. Viæ verò per quas materia arthritidis fluit, eſt aut inter carnem, & cutem, aut intra tunicas tendonum per foramẽ nucæ, per membranarum muſculorum, neruorum, aut vaſorum continuitatem, per venas ſcilicet & arterias: ſæpè enim præcedente capitis grauitate, tumore aut dolore ad occipitium qui contactu augetur à pericranio humor in articulos delabitur facta via per carnem, cutímque. Ceſſantibus verò ſignis illis præuiis, non raro arthritidis materia à toto corpore venit, vt accidit in plethoricis, aut ab hepatè & venis magnis copia grauatis, aut qualitate aliqua vitioſa infectis. Sic à plenitudine & redundantia venarum fiunt defluxiones in atriculos, cui phlebotomia ſæpè profuit, quod non eueniret, niſi materia per venas in articulos influeret.

Præterea teſte Gal. commen. 6. Epid. ſect. 4. ex dyſenteria, aut diarrhæa intempeſtiuè ſuppreſſa: aut ex colica conuerſo humoris impetu per venas ad articulos: ex nephritide etiam tranſmiſſa pituita à renibus ad articulos: ex hæmorrhoidum, & menſtruorum ſuppreſſione, aut omiſſa conſueta phlebotomia in plethorico: ex euacuationis ſuppreſſione per habitũ corporis, materia enim illic collecta & repreſſa ad articulos interdum ſibi viam facit. Tandem per arthritidem febres criticè ſoluũtur, materia per venas ad articulos tranſmiſſa: imò in ipſo paroxyſmo arthritico partes ferè omnes ſua excrementa ad articulos reiiciunt.

Motus hic & humorum defluxus fit per expulſionem à parte mandante, quæ aut humoris copia aut qualitate irritata, ſua vi expultrice à ſe excutere tentat ad partes ſubiectas & debiles & hæ etiam ad alias debiliores. Fit etiam hic motus per attractionem partis recipiẽtis, calore enim & dolore partes vicinas commouet, vt ſpiritum cum ſanguine in partem dolentem tranſmittant. Accelerant hunc motum ipſius humoris tenuitas, deinde viarum amplitudo & laxitas, quam ſæpe facit balneum aquæ dulcis ex Gal. lib. 11. Meth. cap. vlt. vbi ita ſcribit: Quòd ſi præterquam quòd nulla princeps pars imbecilla ſit, etiam inferioris notæ partium aliqua ſit inualida, veluti Podagricis pedes, & iis qui articulari vitio laborant, vniuerſi corporis articuli, maxima ſalutis pars ægro ex balneo comparabitur ipſis infirmis partibus quæ ſuperuacua ſunt excipientibus. Aſſolent enim nõnunquam & citra balneum ſuperuacanea in partes infirmas confluere. Et à balneo verò magis: vt põte tum ſuccis ipſis per id liquatis, tum viis per quas meent patefactis. Ambo enim hæc ex moderato calore prouenıant neceſſe eſt, tum vt humores liquentur, tum viæ dilatantur.

Cauſa etiam arthritidis eſt articulorum imbecillitas, quæ vel eſt Natiua vel Aſcititia. Natiua, à principio generationis & conceptionis eſt, vel poſt. Nam poſt conceptionẽ imbecillitas in vtero contrahitur errore matris quæ prauis vtitur alimentis, per quæ ligamenta fœtus euadunt frigida, humida, lãxa; proindéque ſuſcipiendis humoribus ſuperfluitatibúſque obnoxia. Imbecillitas etiam illa contrahitur in conceptione ex vitio ſeminis parentum, nec vllus hoc morbo magis eſt hæreditarius, vt videre eſt in Hippoc. lib. de genitura, & lib. de aere, aquis, & loc. & Gal. comm. in aphor. 28 lib. 6.

Qui viret in folijs venit ex radicibus humor,
Sic patrum in natos abeunt cum ſemine mores.

Dixit Mantuanus ille ni fallor, ſed *morbi* ſi dixero, certiùs dixero, quod bona Poetæ venia dictum velim. Plures enim morbi hæreditarij & gentilitij ſunt, arthritis maximè, non ita mores, niſi quatenùs ſequuntur aliquod temperamentum. Optandum igitur eſt cum Marcello Paling. in Leone,

——————— Vt tribuant bona ſemina diui
Incluſis vtero: nam qualis quilibet illic
Concipitur, talis viuendo eſt.

Itaque vana & futilis habenda Cæl. Auret. ſententia, qui in lib. reſponſionum conatus eſt demonſtrare à parentibus non poſſe morbos proficiſci.

Cauſæ Aſcititiæ ſunt regio ex Cælio Aureliano de Caria, & Alexandria, in quibus regionibus plures ſunt arthritici. Tempus etiam vernum Hippoc. Aphor. 20. l. 3. & autumnale, illud propter humorum gargaliſmum, hoc propter cacochiam, Tempus auſtrinum, quo caput impletur, & ligamenta im-

ra im-

ta immadeſcuut, vnde facilis fit in arthritidem inclinatio: ſucutiens equitatio qualis Scytharum qui propter illam in κιομαδα incidebant, de quibus Hipp. lib. de aere, aq. & loc. ſtatio diuturna, vnde aulici & ſtudioſi ſæpè arthritide laborant. Nam ex Hipp. lib. de articul. lib. 2. de diæ. acut. & lib. περὶ αἰρῶν qui in vmbra & otio viuunt his articuli fiunt infirmi. Somnus diurnus & longior, variorum ciborum in eadem mẽſa ingurgitatio, otium, quies & inertia. Vnde arthritis dicitur non habere locum in tenuiorum hominum domunculis, qui parcè ac frugaliter viuunt, ſeque longis laboribus exercent. Idcirco vocat Homerus arthritidem μισόπτωχον, hoc eſt, pauperes odio habens. Vnde apparet in diæta maximum ineſſe arthritidis focum. Vini generoſi & meracioris, quale Turuonenſe eſt, ieiuno ventriculo potus. Labor vehemens mox à prandio, qui cibum ſemicoctũ promptè à ventriculo in articulos reiicit. Immodica Venus maximè poſt repletionem, cruditates enim generat, humores ſummopere agitat, reſolutóque vitali ſpiritu vitiat, ſicque materiam huic malo præſtat. Potentias facultateſque infirmat, ac articulos ipſos debilitat.

Vt Venus eneruat vires, ſic copia Bacchi,
Vt tentat Bacchi debilitatq́ pedes.

XV.

POlypus.] Vlceribus naſi recentibus neglectis, caro ſæpè excreſcit ὑπερσάρκωμα, qui ſi in tantam longitudinem abeat, vt è naribus aut foraminibus palati prolabatur, à coloris varietate qua piſci polypo, & appoſitè aſſimilatur, polypus dicitur, & nominatur. Eſt itaque polypus, tumor præter naturam à naribus ortus cum caruncula protuberante polypi carni non abſimilis. Corn. Celſus lib. 6. c. 8. Polypum egregiè deſcribit his verbis: Polypus in naribus eſt caruncula modo alba modo ſubrubra, quæ narium oſſi inhæret, & modo ad labra pendens narem implet, modò retro per id foramen, quo ſpiritus à naribus ad fauces deſcendit, adeò increſcit, vti poſt vuam conſpici poſſit, ſtrangulátque hominem, maximè Auſtro aut Euro flante, feréque mollis eſt, rarò dura, eáque magis ſpiritum impedit, & nares dilatat, qua ferè καρκινώδης eſt. Itaque attingi non debet. Illius curam habet idem auctor. lib. 7. cap. 10, Hippocr. lib. 2. περὶ νούσων quinque Polyporum differentias conſtituit, quas Celſus ſuperioribus verbis complexus eſt.

Hinc naſo.] Externæ Polypi cauſæ ſunt ictus, vulnus, caſus, &c. Internæ cauſæ ſunt vlcera neglecta, tumor ad narium radicem, quo rupto quædam ſanies defluit, vnde ciceris inſtar progignitur caruncula mollis, & fungoſa, quæ ſenſim incrementa capiendo, tandem nares implet, atque adeò extra prominet verſicolor inſtar polypi alba, liuida, nigra, ſubflaua: interdum erumpit in narium cauitate iuxta gurgulionem quæ ore aperto videri poteſt, & reſpirationem impedit. Fit etiam Polypus ex humoribus craſſis & viſcoſis à cerebro ad nares influentibus, vel etiam ex ipſarum narium nutrimento à virtute naturali in carnem mutato.

Naſo.] Miſſis naſi partibus externis, quæ ad Polypi notitiam minùs faciunt. Naſi ferè totam cauitatem implet os, quod à cribri forma dictum ethmoïdes, ad ſummam naſi radicem fertur, magno illi foramini oppoſitum, quo à cerebro in nares excrementa deſcendunt. Illi duæ carunculæ mamillares incubant, poſitæ ſub cerebro, intra cranium & os baſilare, ortæ ex ſubſtantia cerebri, tectæ pia matre, figura papillarum mulieris. Videat qui naſi cartilagines diuiſerit carnes ſpongioſas, & ſubrubras oſſa naſi ſpongioſa implentes. Ex his tumefactis Polypus narium generatur. Riolanus vidiſſe ſe ait prolõgatas, & ad imas nares prolapſas, ſponte, vel adſtringentibus medicamentis reuelli: interdum ſupra palati geminas cauitates vomere diſcluſas, in fauces iuxta gargarionem magno vocis, & deglutitionis incommodo, propendent. Quas quidem carneas apophyſes idem ſe vidiſſe ſubiicit ſingulis ferè menſibus in fauces & intra nares nobilis cuiuſdam productas, forficibus innoxiè ab eodem abſciſſas per quadraginta annos, quibus tam fœda hyperſarcoſi fuerat diuexatus.

XVI.

TInnitus.] Tinnitus, vel ſibilus aurium dicitur ab Auerrh. 4. coll. 48. auditus phantaſticus, ab Alzarauio aurium tonitru, à græcis παράκουσις, περιηχοία, συριγμὸς, ἦχος, ψόφος, τρισμὸς, βόμβος, inter quæ tamen nonnulla diſtinctio eſt. Tinnitus definitur perceptio ſoni intra aures abſque externa cauſa, veniens ex commotione aeris congeniti præter naturam à vapore in auribus, aut ſpiritu flatulento. Quod in oculo hypochyma ſiue ſuffuſio, hoc in aure Tinnitus eſt. Quemadmodum enim qui ſympathicã ſuffuſionem patitur, exiſtimat extra ſe videre araneolas, pulices, & muſcas volitantes: haud diſpari ratione qui tinnitum patitur, exiſtimat ſe ſonitum quendam reuera audire, cùm falſo id imaginetur: modò qualem audimus poſt pulſatam nolam, modò qualem nimbi decidui, qualem fluuij perſtrepentis qualem piſtrini, qualem arborum vento agitatarum, qualem muſti in dolio deſpumantis, &c. Et vtriúſque ſymptomatis ratio eſt, quia obiectum aggreditur potentia citra medium terminum: cùm enim ab intrinſeco halitus ad oculos elati fuerint, pariunt quidem viſionem ſed falſam. Pari quoque ratione, ſi vaporoſa, halituoſáue ſubſtantia internè neruum ἀκουστικὸν pertiu-

hementiorique exercitatione Leucem oriri dicit. Auicenna ſecunda primi, doct. 1. à parentibus interdum eſſe vult. Et vt ad Græcos reuertar, Plato in Timæo pituitam albam per extrema corporis ſparſam cauſam ſtatuit. Fit autem huiuſmodi. Altrix facultas munus ſuum malè obiens ſanguinem pituita refertiſſimum gignit, quo diu caro enutrita, pro rubore albedinem contrahit. Vnde ſemper alba remanet, perinde atque videmus, inquit Galenus, locuſtas & oſtrea ſemper alba fieri & eſſe.

Scabies.] Eſt aſperitas & ſcabrities cutis pruriginoſa, qua corpus conſumitur, & colliquatur. Scabiei nomen latè patet apud Latinos, licèt omnes interpretes pſoram Græcorum, hoc nomine reddãt, Plinium imitantes, qui lib. 20. cap. 1. ita loquitur. Arida cum reſina (de cucumeris ſylueſtris radice loquitur) impetiginem, & ſcabiem, quæ pſoram & lichenas vocant, ſanat. Idem tamen capite 17. dum de origano loquitur, diſcrimen videtur ſtatuere inter ſcabem & pſoram. Verùm ſi pſora Latinis ſcabies ſit, non videntur Græci de pſora abundè tractaſſe, ſed imperfectam de ea commentationem reliquiſſe: ſiquidem Corn. Celſus rubicundum eſſe tumorem in ſcabie prodit, inde colligere eſt, non ſemper à melancholico eſſe humore, quibus conſentiunt quæ ſcriptis prodidit Auicenna. Præterea ex cute puſtulas prodire per ſcabiem dicit quaſdam humidiores, quaſdam ſicciores, & exire in quibuſdam ſaniem, fierique ex his continuatam exulcerationem, & ſerpere in quibuſdam citò, quas tamen in pſora differentias puſtularum, nemo Græcorum annotauit. Accuratior autem Arabum ille Princeps, ſcabiem in excorticatam & non excorticatam, in humidam & ſiccam, in fœdam & non fœdam diſtinxit.

Aduenit vnde.] Inter primitiuas ſcabiei cauſas, cibi qui ſuccum illaudatum habent, ponuntur à Gal. lib. de cibis boni & mali ſucc. quales ſunt carnes & piſces ſalſi, porri, allia, cæpæ ſpecies, & id genus eſcarum calidarum & acrium. Cibi etiam amari, necnon dulces, quia jecoris & lienis inflammationem augent ex Gal. lib. 2. de alim. facult. cap. 8. Vinum non dilutum; & oleum, cum cibis etiam veſtium ſordes faciunt ſcabiem. Q. Serenus lib. de medicinæ præceptis:

Illotus ſudor, & inopia nobilis eſca
Sæpe graui ſcabie correptos aſperat artus.

Contagium etiam recenſetur à Galeno lib. 4. de differentiis pulſuum cap. 1. Exercitium etiam intempeſtiuum, maximè ſi fiat à cibo ſumpto, & à corpore quod ſcateat excrementis, illo enim humores in corpore ſtabulantes ad extimas partes trahuntur vbi putreſcunt. Ætas etiam iuuenilis, quia cùm plurimos, & nullo ordine cibos ingerère ſoleat, plurima etiam coaceruat excrementa, quæ vnà cum ſanguine propter calorem & exercitationes immoderatas acriora fiunt. Fit etiam ſcabies per criſin, interdum enim morbi, vt quartanæ ſcabie terminantur. Sunt præterea quædam naturæ gignendæ ſcabiei aptiſſimæ, vt notat Gal. lib. 4. de valetudine tuenda. Eſt humor craſſus & terroſus qualis eſt melancholicus, cauſa materialis ex Gal. qui lib. 1 t. de ſimpl. medic. facult. Siſtuntur, inquit, & retinentur craſſi terroſique humores ad cutem protruſi, quibus quidem ſcabies naſcitur. Arabes, vt Haliabbas, & Auicenna lib. 4. fen. 7. tract. 3. cap. 6. ſanguinem pituita ſalſa, & melancholia infectum cauſam eſſe ſcribunt. Langius multas cauſas recenſens etiam choleram addit. Cùm fœda, inquit, cutis aſperitas vulgò ſcabies dicta, ex impuro ſanguine cholerico, vel aduſto, aut fæculento ſalſi phlegmatis liquore permixto oriatur (qualem hepar ob ſuam diſcraſiam, vel non rarò ex eſculentis & potulentis mali ſucci producit) quem natura non confertim, ſed ſenſim cum corporis alimento citra ſanguinis ebullitionem ad corporis membra diſpergit, & illa ſua contagione inficit & alterat: vnde fit vt eius ſucceſſiua regeneratio non modò ab hepatis diſcraſia, velut ab interna cauſa antecedente, ſed non rarò quoque ab obſtructione ſplenis, cuius officium eſt ſanguinem expurgare: & à membrorum quoque contagione dependeat: proinde hîc opus eſt, vt non modò inciſa vena, & crebra alui dejectione ſanguis expurgetur, ſed & vt hepatis quoque temperatura, ſpleniſque obſtructio detergatur, corrigaturque. Sed vulgarior cauſa eſt hepatis diſcraſia, propter quam humores corrupti generantur, qui in fumidum vaporem mutati à rectrice virtute ab internis partibus ad extimas amandantur. Vnde ſi vapor, vt ſcribit Bernardus Gordonius Lilio med. part. 1. cap. 24. ſubtilis fuerit ἀναισθήτως & ſine ſenſu tranſpiratur. Si autem non ita ſubtiles, & pori denſiores fuerint, in ſudorem conuertuntur. Et ſi minus etiam ſubtilitatis habeant, pluſq; fæculentæ craſſitiei, pruritus generatur. Si verò craſſior & terreſtrior ille humor, ſcabies cutem inficiet.

Cuti.] An cuticulæ potiùs quàm cuti, an verò vtrique? Cutis eſt membrana omnium ampliſſima & craſſiſſima, & δέρμα vocatur, & cuticula ἐπιδερμὶς, quæ eſt tenuiſſima cutis efflorescentia, denſior, minùs poroſa quàm cutis, expers ſanguinis, & ſenſus omnis ex Galeno, quam videas in ambuſto corpore, in quo bullæ eminent. Hæc ſcabiei ſubiectum creditur: eam tamen altiùs inhærere ſcribit Galenus, & ipſa docet experientia. Pauca ſunt in epidermide vitia maximè ex craſſo humore quę cuti non communicentur propter vtriuſque partis communitatem, quæ tanta eſt, vt aliqui auſi ſint aſſerere nihil aliud eſſe quàm cutis ſuperficiem exſiccatam. Quod à veritate tamen alienum eſt, licèt Hippocrates ſub epidermide cutem comprehendat, vt ſæpè legere eſt in lib. de nat. puer. φύονται μὲν γὰρ μέγισαι & πλεῖσαι, ὅκου τοῦ σώματος ἡ ἐπιδερμὶς ἀραιοτάτη ἐστίν. *Plurimi autem & maximi oriuntur* (de pilis loquitur) *qua corporis parte epidermis rariſſima eſt.* Et paulò infrà: καὶ ὅκου ὁ ἐπιδερμὶς ὕστερον ἀραιὰ γίνηται, ἐκεῖ καὶ ὕστερον αἱ τρίχες φύονται, *Et quo loco epidermis poſterius rareſcit, illic quoque poſteà pili naſcuntur.*

cuntur. At certum eſt in cute potiùs quàm in epidermide pilorum radices eſſe ſitas. Ex quibus conſtat cutis nomen non incõgruenter hic poſitum,ſiue ſubiectũ ſit ſcabiei & Leuces,ſiue non,quãdoquidem alterum pro altero vſurpatur.Namſi cuticula pro cute accipitur,multò magis cutis pro cuticula accipietur,maximè cùm hæc ex illius incremento producatur. Cutis eſt omnium ampliſſima membraua, vnde inferimus ſimplicem eſſe,tenuem,planam, albam, neruoſam , ob idque ſententem reliquarum more membranarum.Ex carne licèt,venulis,& alicubi arteriolis componatur,ex neruis tamen præcipuè conflatur , nec tamen nerui prorſus naturam retinet , ſed inter neruum carnémque quodammodò medium tenet. Nec verò ſolùm omnium corporis partium , ſed etiam vniuerſæ quæ generationi corruptioníque ſubiicitur ſubſtantiæ media eſt:ex quo fit vt in mollitie & duritie,in calore ac frigore medium ſortita fuiſſe videatur.Eſt enim veluti ſanguine præditus neruus,qui ſit inter carnem & neruum quoddam planè medium,& iis duobus ſecum miſtis conflatum. Eſt autẽ neruus durus,exanguis & frigidus:caro mollis,ſanguinea& calida: cutis in medio velut ſita, nec dura eſt,& planè exanguis vt ille:nec mollis & ſanguinea vt iſta:ſed mediæ cuiuſdam naturæ. Itaque eſt veluti horizon calidi,frigidi,humidi & ſicci.

X V I I I.

T*Onſillæ.*] Hoc nomine & partem ſignificat,& morbum , qui cùm intelligi non poſſit ſine partis notione.præmittendum eſt Tonſillas vulgò amygdalas , glandulas eſſe ad radicem linguæ vtrinque ſitas. Cùm ſint fungoſæ & adeò ſpongioſæ vt Hippocrates *σπόγγυς* hoc eſt *Spongias* vocarit, recipiendo humori è cerebro fluenti aptiſſimæ ſunt,cui vſui datas eſſe homini ſcribit diuinus ille ſenex lib de glandulis.Sed præter hunc vſum alium agnoſcimus,os ſcilicet ſaliua guſtationi neceſſaria irrigare.Interdum exercentur affliguntúrque inflammatione, quæ non alio quàm partis nomine vocatur,tum apud Græcos tum Latinos.Nam Corn.Celſus medicorum Latinorum princeps lib. 6.ca. 10. vbi de illa plura , Tonſillas vocat. Et Hippocrates Græcorum coryphæus glandulas faucium *σπόγγυς* vocat, vt lib.4.Epid,*κ̀ οἱ σπόγγοι χαλαζώδεες ἀνεῖχον* , *& faucium glandulæ ſuſtollebantur.* Et ibidem *ἐ οἱ σπόγγοι εἰσὶν οἷσιν ὑπὸ τὸ μετόπωρον κ̀ χειμῶνα* , *& quibuſdam Tonſillarum tumores ſub autumnum & hyemem aderant.* *Ἀντιάδες* & pro Tonſillis , & pro ipſarum morbo vſurpari annotat Gorræus.

Hinc veniunt.] Cauſæ internæ huius prauæ diatheſis,omnes humores eſſe poſſunt , ſed *imprimis* pituita è cerebro humido labens.Ætas etiam illa quæ à fine dentitionis ad pubertatem excurrit. Vide Hippocr.lib.3.Aphor.26,Externæ cauſæ ſunt mora ſub ſolis & lunæ radiis , aer ſiue calidiſſimus, ſiue frigidiſſimus,vinum meracius,cibi calidiores ſiue formaliter ſiue eminenter,ingentes clamores, exercitium immodicum obſtipo maximè capite.

Ori] Os præter gingiuas , dentes , palatum , linguam , continet etiam fauces ſiue pharingem vbi tonſillæ ſunt.

X I X.

E*Nterocele.*] Eſt tumor ſcroti propter eò illapſum ileum,vel cæcum , quod aliis inteſtinis denegatur.Ieiuno quidem,quia meſenterij venarum beneficio iecori annectitur. Colo,quia renibus annexum altius ad ventriculum aſcendit:recto,quia in poſticam partem deſcendit ſi relaxetur:duodeno,quia ſublimiore loco poſitum eſt.

Inde teſtibus.] Scroto teſtium ſiue didymorum marſupio , vti vocat Heſychius. Cauſæ ſunt exercitium,ſaltus,curſus,caſus.ictus, coitus, & labor immodicus, & eiuſmodi cætera,maximè ſi fiant à cibo,ventre nimium ſaburrato.Cauſæ etiam ſunt mollificatio,humorum repletio, à flatulentis ſpiritibus diſtentio,tuſſis acerbior, ingens pędotribarum, cantorum, præconum, & eccleſiaſtarum vociferatio,tubæ & vtris inflatio, & multæ de cauſis caſus vteri quas iam ſubijciam.

Caſus.] Procidentia ſiue præcipitatio vteri,quæ rectè poſt enterocelem ponitur,quia in multis cum ea conuenit. Eſt diſpoſitio præter naturam vteri organica , quando ſecundùm ſuum ſitum connexúmque immutatur,deſcendendo plus minus ad inferiora ob relaxationem,aut diſruptionem vaſorum & tunicæ peritonæi,vinculorúmque quibus oſſi ſacro & pubis alligatur.

Et hinc] Cauſæ ſunt propemodum ex omnes quas enteroceles eſſe diximus. Præterea tuſſis vehementior & diuturnior,compreſſio abdominis violenta , frequentior cum multa flamma cucurbitularum majorũ feminibus applicatio,nauigatio periculoſa, agitatio, longa pedum lotio in frigida, in gelido lapide diutina ſeſſio,aeris frigidioris ſuſceptio , maximè puerperij & menſtruorum tempore,quia vteri pars vtraque magis hiat.Praua fœtus ab imperita obſtetrice extractio,violenta ſecundinæ eiectio,crebri partus cum vehementi conatu,ſpiritus retentio, animi pathemata vehementia , ira maximè,qua nonnunquam laxantur,atque adeò quædam vincula rumpuntur , vehemens ſternutatio,immoderatum tripudium , repentina animi conſternatio , aut ex malo nuncio aut aliunde orta. Hippocr.lib.2.de morb.mulier. Porrò, inquit, omnis occaſio vteros propellere poteſt , ſi quid mali

habeant

habeant:nam & à frigore pedum, ac lumborum, & à ſaltatione & terrore, & lignorum ſectione, & curſu ad accliuem ac decliuem locum, & ab alijs multis propelluntur.

Humecto vtero.] Inter omnes cauſas deſcenſus vteri humiditas communior cenſetur. Et id cauſæ eſt cur Auctor hoc epitheto humecto, quod Varronis verbum eſt, potiùs quàm alio vſus ſit. Certè Moſchion lib. de mulier. affect. hanc præcipuam cauſam præcipitationis ſcribit, humiditatem ſcilicet membranas quibus appenditur vterus relaxantem. Et Auerroes in opere ſuo de medicina inſcripto Colliget, inter cauſas internas ſolam retulit humiditatem qua vterus lubricatur. Vterus autem eſt pars mulieris in hypogaſtrio ſita, & tunica conſtans velut ex duabus diuiduis coagmentata, qui noſtræ generationis velut hortus ſemen excipit, concipit, fouet, geritque fœtum euſque dum perfectus ſit. Miſſis cæteris quæ ad deſcriptionem vteri pertinent ligamentorum tantùm meminero, ſine quorum notitia procidentia intelligi non poteſt. Vterus præter neruos, venas, & arterias quibus principibus partibus connectitur, ſua habet ligamenta propria quatuor, duo ſuperiora, totidémque inferiora. Illa lata ſunt & membranoſa in vteri fundum propè cornua inſerta. Hæc rotunda ſunt & fiſtuloſa, & muſculorum inſtar ſubrubra. Exoriuntur à fundi lateribus, & ad inguina remeantia traducuntur per apophyſin peritonæi quæ in mulieribus duplicatur. Iſtis ligamentis idem euenit quod pluribus alijs colligatis. Tunc enim res inter ſe iunctæ diſſoluuntur, quando earum vincula vel ſunt fracta, vel diſſoluta, productáque propter ſummam mollitiem & humectationem. Quæ duo cauſæ ſunt immediatæ iſtius affectus, quarum vna ſolutio continui dicitur, altera ligamentorum vteri relaxatio, ſeu remollitio de qua ſuprà.

Temperamentum maximè pituitoſum, & cruditatibus obnoxium, quæ per vterum tanquam per ſentinam mulierum vacuari ſolent, vt in fluore albo: ingentes catarrhi, quorum portio ad hypogaſtrium delabitur, & partes illas abundè humectat. quod frequenter in vetulis humidis accidit, & in illis quæ in balneis & aquis, & paludoſis locis vitam traducunt. Aeris humidioris & auſtrini à partu ſuſceptio, humidiora alimenta, largior potus, medicamenta humectantia & emollientia tam ſumpta quàm admota diutiùs vſurpata, quia plus æquo vterum humectant, procidentiæ illius cauſæ ſunt.

X X.

Pleura.] Pleura latus, coſtam, & membranam coſtas ſuccingentem ſignificat. Hæc primùm è ſpina per coſtas vtrinque ſubtenſa, diaphragma totum obducit, ſublatáque ad medium ferè pectoris laterum concurſu duplicata, à ſterno ad ſpinam redit, dextram thoracis partem à ſiniſtra dirimendo. Iſta duplicatæ Pleuræ reflexio mediaſtinum vocatur. Atque ita non tantùm coſtas ſuccingit, ſed vniuerſam thoracis capacitatem ſupernè infernéque continuitate ſua circumit. Aretæus lib. 1. cap. 10. de morbis acut. illam his verbis deſcribit: ἀπὸ τῶν πλευρῶν καὶ τῆς ῥάχεως καὶ τοῦ ἔνδον θώρηκος ἄχρι κληίδων ὑμὴν λεπτὸς κραταιὸς ὑπέστρωται, τοῖσι ὀστέοισι προσπεφυκὼς ὑποζωκὸς τοὔνομα, *ſub coſtis, dorſo, & intra thoracem ad iugula vſque. membrana tenuis & firma, oſſibus adhæreſcens ſubſtrata eſt, ſuccingens nomine.* Coſtæ duodecim ſunt in quolibet latere, ſternon ſpondylis committentes. Ex his ſuperiores ſeptem Pleuræ ſimpliciter dicuntur. Inferiores quinque vocantur Pleuræ nothæ, quia & breuiores ſunt & molliores. Inter Pleuras & Pleuram: hoc eſt, inter coſtas & membranam coſtas ſuccingentem congeſtus humor pleuritim facit, de qua modò.

Pleuriſis.] Eſt dolor lateris punctorius & diſtendens cum febre acuta, dyſpnoea, pulſu duro, inæquali, frequenti, & tuſſi vehementi, orta ex Pleuræ inflammatione. Auctor definit. med. ita definit. πλευρῖτίς ἐστιν ὀδύνη πλευροῦ καὶ ὑπεζωκότος, διατείνουσα μέχρι κλειδὸς καὶ ἀκρωμίου, καὶ ὠμοπλάτης, σὺν ὀξεῖ, καὶ ἀδιαλείπτῳ πυρετῷ μετ' ὀδύνης νυγματώδους ὁμοῦ καὶ φρίκης, καὶ δυσπνοίας. καὶ βηχός. *Pleuriſis dolor eſt lateris membranæq; ſuccingentis ad iugula vſque, ſummum iugulum, & ſcapulas exporrectus cum febre acuta & continua, ſimulq; cum dolore pungente, horrore, ſpirandi difficultate, & tuſſi.* Duplex eſt pleuriſis vera & notha, vera ex Pleuræ, notha ex muſculorum intercoſtalium externorũm phlegmone, ſiue inflammatione oritur. Ad illam refertur perioſtij, necnon etiam mediaſtini inflammatio, grauia certè mala & periculi plena. Ad eandem refertur etiam internorum muſculorum intercoſtalium phlegmone compatiente grauiter Pleura, ob aliquam materię reſudationem ad ipſam facta.

Hinc & pleu] Cauſa externa Pleuritidis aut eſt calor qui humores liquefacit, & vias eorum fluxui laxat & aperit: aut eſt frigus quod ob exteriori compreſſum fluxionem mouet. Sic Borea flante ob repulſionem & compreſſionem fiunt fluxiones: ſic ob calorem flante Auſtro. Iſtæ cauſæ de externis generaliſſimæ ſunt, poſt quas poni debent magis in particulari Largior meri, aquæ etiam gelidiſſimæ hauſtus poſt calorem contractum, veſtium abiectio cùm ſudore, aut poſt laborem æſtuoſum, aut in terra decubitus, longa mora ſub Ioue frigido, ſuper frigidum ſaxum in aere gelido diuturna ſeſſio, aut æſtuante cœlo longa in vmbra quies, balneum in aqua frigida, Venus immodica, feruidior ira, chnreæ immoderatæ, curſus, ictus, caſus, leporis marini eſus, & alia id genus. Cauſa interna eſt humoris fluxio, cuius fluxionis cauſa vel eſt membrum mandans, quale caput ſæpè eſſe ſolet: vel debilitas Pleurę recipientis; quę ob aliquam cauſam prçexiſtentem infirmior & rarior facta, receptioni excrementorum expoſita fuit: vel eſt orgaſmus ſeu gargaliſmus materiæ, qui vel anadro-

n

men,ſiue recurſum facit à partibus inferioribus ad ſuperiores,vel apotheſim, ſiue depoſitionem à ſuperioribus ad inferiores. Materia Pleuritidis vt plurimùm ſolet eſſe ſanguinea vel billioſa, quæ per quatuor veluti ſiphones influit modò in ſuperiores coſtas, per venam intercoſtalem : modò in inferiores coſtas per venam azigon : modò in mediaſtinum per venam mammariam : modò in baſim ſcapulæ per venam thoracicam,& hæc Pleuritis omnium deterrima eſt.

X X I.

T*Eneſmus & ἀρχὸς.*]Eſt frequens, crudelis,& ferè inanis deſidendi cupiditas,qua qui laborat nihil egerit niſi muccoſum quiddam,& ſubcruentum. Ἀρχὸς rectum inteſtinum ſignificat. Hippocr. lib.5.Aphor.58.ἐπὶ ἀρχῷ φλεγμαίνοντι στραγγουρίη ἐπιγίνεται) *Recto inteſtino inflammatione laboranti* hoc eſt Teneſmo) *vrinæ ſtillicidium ſuperuenit.* Significat & anum.lib.5. epidem. ἔξω ἦσαν τοῦ ἀρχοῦ *extra anum erant*, ſcribit Hippocr.de hæmorrhoidibus loquens.

Cauſæ Teneſmi vel ſunt cum materia, vel ſine materia. Sine materia, vt frigus partem illam conſtringens & mordicans,proueniens vel ab aere & vento frigidiore,à ſeſſione in lapide aut terra frigida natibus nudis,à mora partis illius in aqua frigida, glacie aut niue. Caliditates & ſiccitates inſignes aeris,eiuſdémq; corruptio,Teneſmi cauſæ ſunt, quod ſe frequenter obſeruaſſe ſcribit Valeſcus lib.4.Philonij.Replicatio etiã inteſtini vel muſculi.Cauſæ cum materia ſunt fæces induratæ, & in ſuperioribus inteſtinis,tanquam repagulis retentæ,bilis naturalis ſuppreſſio, vnde ſynathriſmus ,ſiue materiæ fæculentæ congeries,corruptorum ciborum, maximè fructuum vſus Bilis in ſphinctere retenta,collectio pituitæ ſalſæ,quæ per putredinem acrimoniam acquiſiuit, & cuiuſcumque humoris tenacis,viſcidi,& glutinoſi,inteſtinorum tunicis pertinaciter adhærentis.Humor porrò acer in ἀρχὸν irruit aliquando ex meſenterio, in quo iamdudum ſtabulabatur, vt crebrò ijs accidit quibus prominet aqualiculus:aliquando è iecore,vel è liene:aliquando è venis maioribus,atque ex toto corporis habitu, humoris tenacis, viſcidi & glutinoſi, inteſtinorum tunicis pertinaciter adhærentis. Adamantis puluis,& maligna medicamenta, aut colocynthis largiùs data, vel malè præparata, Teneſmum faciunt:aſcarides in ano generatæ,callus,& interdum etiam prægrandis calculus, ex Gal.lib.6. de locis affect.cap.2.abſceſſus,vlcus,vlceris dyſenterici imperitè curati ichor : nam vt Teneſmo dyſenteria, ita dyſenteriæ Teneſmus ſuccedere ſolet. Inflammatio œdematoſa recti inteſtini cauſa etiam eſt Teneſmi.Euenit etiam deſidendi cupiditas Teneſmi ab hæmorrhoidibus.

X X I I.

S*Pleni*] Eſt viſcus ſub præcordiis ex aduerſo iocinoris ſita,rara,ſpongioſa, & nigricans, cuius munus eſt iecur & venoſum genus à ſpurcitia fæculenti, terreſtris, & melancholici ſucci repurgare. Cui muneri explendo præter venas id habet à natura viſcus hoc,vt alimentum ſibi ſimile alliciat, è cuius puriori parte vi proprij caloris & arteriarum adminiculo alitur.Quod verò craſſius & luculentius fæci doliorum ſimile,nunc in portam & inteſtina reijcitur per ramum ſplenicum, nunc in ventriculi fundum per vas breue quod venoſum dicitur,nunc in anum per hæmorrhoidas venas, nunc in renes per arterias emulgentes.

Scirrhus.] Eſt tumor præter naturam durus & doloris expers. Cauſæ eius externæ ſunt caro porcina,bubula,leporina,carnes antiquæ quadrupedum,caſeus,panis azymus, frumentum coctum, amylum.legumina, braſſica,dulces cibi, vina rubra, craſſa, piſces ſalſi & fumo indurati, habitatio iuxta paludes, autumnus, nimia,& diuturna lienis conſtrictio zona,aut veſte anguſtiore,ictus,caſus : exercitium violentum, aut balneum ſtatim à cibo, aliáque huiuſmodi quæ crudos ſuccos in venas rapiunt.Aquæ frigidæ & paluſtris potus maximè in febribus,& in ardente ſiti. Vigiliæ, labores & curæ quæ ſpirituoſam humorum partem abſumunt & craſſam relinquunt. Cauſæ internæ ſunt humores pituitoſi & craſſi,melancholici & terreſtres, in quibus partes ſubtiliores abſumptæ ſunt Ventriculus chylum crudum & vitioſum gignens,ſuppreſſio conſuetæ euacuationis, iocinoris intemperies,à qua humoris melancholici prouentus.Splenis intemperies ſiue ſit frigida,ſiue calida Calida quidem quia calore ex toto corpore vitioſum humorem trahit, qui in ipſo retentus facilè concreſcit, vnde Scirrhus. Intemperies verò frigida, quia cùm humor melancholicus à liene frigido ſubigi nequeat ad alimentum,nec etiam poſſit expelli,neceſſariò in tumorem aut duritiem commigrat.Item maiori ex parte fit vitio facultatis expultricis,quæ coctionis reſiduum expellere nequit.Inflammatio etiam cauſa eſt ſcirrhi ſplenis bifariam,vno modo dum diſcuſſis partibus tenuioribus ab igneo calore, vel errore medici ab exiccantibus & digerentibus pars craſſior relinquitur,vel ab immodicè refrigerantibus & repellentibus,per expreſſionem humores veluti concreſcunt,& aliquando calor natiuus ita labefactatur,vt alimentum iam ſatis fæculentum digerere nequeat, & humores concretos, & quaſi congelatos relinquat.Hic ſplenis ſcirrhus aliàs ſolam illius ſubſtantiam occupat, vſque & ſitu ſplenis & figura circumſcribitur:aliàs in partes quoque proximas exporrigitur, vt omnem plerumque ventris læuam regionem occupet.

Ventriculo]

X X I I I.

V*Entriculo.*] Ventriculus eſt organum cauum, rotundum, & oblongum, membranoſum, omni villorum genere intertextum, alimentorum commune receptaculum, χωλάνα ſiue primæ concoctionis officina, culina vnde partes ſingulæ eſcam repetunt. Ex duabus propriis tunicis diſtenditur contrahiturque cum pluribus venis, arteriis, & neruis intertextis, quibus accedit tunica à peritoneo, ſitus proximè ſub diaphragmate, inter lienem & iecur. Rotundus eſt, & ſecundùm tranſuerſum oblongus ac in lęua ſuperiorique parte amplior quàm in dextra imaque. Poſterior pars tota ſpinę incumbit. In dextra parte vbi ſub iecore ſe abdit, eſt infimum orificium pilorus dictus, quòd quaſi ianitor alimenta prolabentia in inteſtina cohibet, in quem vſum ei duo glandulosa corpora aſſiſtũt. Ab hoc orificio inueniuntur ſtatim inteſtina, ſuperius verò os ſiue orificium ventriculi quod antiqui medici καρδίαν ob eius cum corde ſympathiam nominarunt, ſenſu exquiſitiſſimo præditum, appetentię cibi & potus ſedes eſt.

Cholera.] Eſt morbus, inquit Celſus lib. 4. cap. 11. in quo ſimul & deiectio & vomitus eſt, præterque hæc inflatio eſt, inteſtina torquentur, bilis ſuprà infráque erumpit, primùm aquæ ſimilis, deinde vt in ea recens caro lota eſſe videatur, interdum alba, nonnunquam nigra, vel varia. Externę cauſę choleræ ſunt allia, cæpe, grana pini, nuces rancidę, boletli, ſungi, carnes ſuillæ minùs coctæ, caprinæ, cucurbitę, melopepones maximè dulces, mala Armena, & huiuſmodi cibi. Choleram námque gignunt humida & acria alimenta, quæ ſtatim corrumpuntur, acréſque ſuccos generant, qui vellicãt & mordent viſcerum ora ad ventriculum pertinentia, itáque fluxionem ex toto corpore irritant, qua bilioſa & acria vomitu & deiectione educuntur, vt ſcribit Galenus. Antimonium etiam cauſa ſæpè eſt. Æſtas etiam & autumnus Choleram inducunt, tum quia tempeſtatibus illis corrupti fructus eduntur, vnde praui & acres humores: tum quia abundant tunc temporis humores bilioſi & torridi. Vigiliæ etiam, labor vehementior, ira ardentior, Choleræ cauſę eſſe poſſunt. Et hæ ſunt imprimis cauſæ externæ Choleræ, Choleræ, inquam ſimpliciter dictæ, quæ humida eſt: alia enim eſt ſicca. Galenus τὴν ἁπλῶς ὀνομαζομένην ὑπὸ τῶν ἀνθρώπων χολέραν ὑγρότητι διορίζει τῆς ξηρᾶς χολέρας, ὀνόματι δὲ κοινῷ κατ' ἀμφοῖν κέχρηται, πρὸς τὸν τῆς γενέσεως τρόπον ἀποβλέπων ὄντα κοινόν. ὡς γὰρ ὑγρὰ χολέρα γίνεται δριμέων χυμῶν ἐκ τῆς διαφθορᾶς τῶν ἐδηδεσμένων γεννηθέντων, οὕτω ἡ ξηρὰ πνεύματος φυσώδους δριμέος. διὸ καὶ τὰ πλησιάζοντα τῇ γαστρὶ νευρώδη σώματα δακνόμενά τε καὶ τεινόμενα πόνον ποιοῦσι. *Choleram hominibus ſimpliciter dictam ab arida per humiditatem diſtinguit. In vtraque autem communi nomine eſt vſus, communem generationis modum ſpectans. Quemadmodum enim Cholera humida ex acribus oritur humoribus, qui ex eduliorum corruptione originem ſumpſerunt, ſic arida ex ſpiritu flatuoſo acri. Ideoq́; proxima ventri neruoſa corpora, vbi mordentur & diſtenduntur dolorem faciunt.* Ex quibus verbis cauſas vtriuſque Choleræ internas colligere eſt. Cauſa humidæ Choleræ interna eſt ventris infirmitas, quà ſuſcipere paratus eſt quidquid in ipſum deponitur, vel ex iecore, vel ex ſplene, vel meſenterio, ſuccis minùs laudabilibus refertis; vel ex habitu vniuerſi corporis ſe exonerare ſtudentis, & vt ſic vel cauſa eſt cruditas, vel corruptio, & praua aliqua qualitas, velut acris, nitroſa, pinguis, oleoſa, fumida, rancida.

Cholera ſicca, eſt affectus in quo inflato & tenſo ventre cùm borboriſmis ſpiritus acer hac illac diſcurrens supernè & infernè emittitur, non cum leuamine, vt in tympanite & ventris inflatione, ſed cum doloribus aſſiduis, quantùm enim acris & flatulenti ſpiritus à quo fit hic morbus reijcitur, tantùm nulla facta mora generatur. Cauſa eſt humorum aduſtorum, craſſorúmque magna copia, & calor ibi acrior, flatibus eleuandis, quàm diſcutiendis aptior, quod accidit ijs qui cibis ſuprà memoratis, & præter morem abundantioribus ſeſe ſaburrant.

X X I V.

V*Eſicæ.*] Veſica eſt pars tripliciter membranoſa, vrinam à renibus per vreteres recipiens, & per vrethram ſiue fiſtulam vrinariam excernens: ſita eſt in imo abdominis ſub oſſe pectinis, in coxarum antro, in viris recto inteſtino affixa: figura eius rotunda, oblonga; ſubſtantia neruoſa craſſa excepta ceruice quæ pene carnea eſt, ſimulque anguſta, quam cingit muſculus ſphincter dictus, qui vrinam coercet ne nobis inuitis diffluat.

Stranguria.] Gal. in aphor. 48. lib. 7. ὅτι ἡ στραγγουρία ἡ κατὰ στράγγα τῶν οὔρων ἀπόκρισιν δηλοῖ τὸ ὄνομα αὐτὸ διδάσκει. *Stranguriam eſſe cùm vrina guttatim excernitur, ipſum nomen docet.* Itaque eſt aſſiduus mingendi conatus, ſine aut cum vehementi dolore, in quo vrina guttatim effluit, ſiue pauca & frequenter, proueniens vel à facultate expultrice veſicæ continuò ſtimulata, ex affectu dolorifico, & acrimonia vrinæ, vel proueniens à retentrice debilitata, quæ nimio vrinæ pondere grauatur.

Illinc veſicæ] Cauſę externę Strangurię ſunt alimentorum acrium, aut diureticorum vt electarij ducis, lithontriptici, &c longior vſus, & in maiori quantitate, ſalſamentaria etiam, legumina, acetum, vinum meracius album, aqua gelidiſſima, immoderata Venus, curſus, equitatio, & laborioſior exercitatio, perinæi conquaſſatio, percuſſio ſuper nucham, & in alijs omnibus locis in quibus nerui comprimi poſſunt impediendo tranſitum facultatis ad muſculos. His omnibus additur anni & ętatis conſtitutio ſicca.

Cauſę internę ad tria capita reduci poſſunt: ad vrinam, ad corpus, & ad principia. Ad vrinam quia ſi ſit acris propter admixtionem acris alicuius humoris, vt nitroſi ſucci, bilis, pituitæ ſalſæ, vel puris per veſicam excreti, vt à renibus interdum, à partibus diaphragmate ſuperioribus, empyis & ſuppuratione plenis: vel quia talis ex venis effluit ex praua victus ratione, vel quia vrina intemperiem calidiorem & ſicciorem acquiſiuit.

In ipſius veſicę, aliarúmque partium corpore ſtranguriæ cauſę eſſe poſſunt, inflammatio, ſcabies, vlcus, & veſicę calculus. Vteri & recti inteſtini phlegmone, propter ſympathiam & vicinitatem cauſa etiam ſtrangurię eſt, ex Hippocr. aphor. 58 lib. 5. Pręgnantibus ob vterum creſcentem, veſicámque comprimentem vrina ſtillatim effluit aliquando. Vię etiam vrinę exſiccatę, & ab eo humore deſtitutę, qui in adenoſis illis carunculis eſt, quas velut duas glandulas ad ceruicem veſicæ lentum, ſed non craſſum gignentes humorem apposuit natura, quo manſuetior eſſet vrinę excretio. Ille humor exſiccatus, vel ex immodica & frequentiori Venere, vt ex Gal. liquet lib. 14. de vſu part. vel ex nimia ariditate & macie corporis: Et ex iſtis ſtranguria oritur. Oritur etiam ex inflammatione prędictarum glandularum, ineunte maximè ſanie, ex hęmorrhoidibus inflammatis, ex ſeminis, & potiſſimùm ſeroſę illius glandularum ſubſtantiæ calore.

Alia etiam cauſa eſt primigenia & propria veſicę, retentricis ſcilicet facultatis infirmitas ab intemperie originem ducens. Quod vt intelligatur, ſciendum eſt veſicę interiorem membranam contextam eſſe triplici villorum genere, rectis, tranſuerſis, & obliquis, illos intendēdo, vrinam continet, & ſi ſolùm trāſuerſis operatur, exprimit. Prętereà in veſicæ collo muſculus ſphincter eſt, qui velut ianitor meatum claudit, quouſque animal vel qualitate acri, vel ſola vrinę grauitate ſtimulatum meiere velit. Nam priùs cùm ſenſus & appetitus moueant animal licèt velit, non tamen meiere poterit. Eiuſdem muſculi munus etiam eſt viam aperire, idque voluntariè, licèt actio vrinam fundendi ſit naturalis à veſicę vi expellente factus. Pręſuppoſitis his cùm retentrix facultas in veſicę villis ſita, ob aliquam intemperiem maximè frigidam languidior facta eſt, tunc temporis vt guttatim ab vreteribus vrinam admittit, ita etiam guttatim eam expellit. Quod interdum contingit propter auſtrinos ventos humidos quibus reſolui videtur veſica. Cùm enim nequeant fibrę præ laxitate vrinam continere, eam effluere neceſſe eſt. Sphincteris etiam relaxatione, vel anęſtheſi ſiue ſtupore & ſenſus priuatione ab iiſdem cauſis facta ſtranguria contrahitur.

In principiis ſtrangurię cauſę etiam alię ſunt, vt illę omnes quę neruos impediunt quominùs facultas tranſmitti poſſit ad ipſos muſculos, vt fit in morbis cerebri, in ictibus ſuper nucham, & *aliis* omnibus per quas nerui compreſſi influxum facultatum ad muſculos impediunt.

X X V.

C*ordi.*] Cor vitæ principium, nectaris mirifici ſedes, caloris noſtri ignis veſtalis, ſpiritus vitalis fons, & humani corporis ſol. Eſt figurę pyramidalis inſtar nucis pineę, cuius baſis medium ferè thoracis occupat, mucro ſenſim ſine ſenſu ad ſiniſtrum latus inclinat infra læuam papillam. Membrana craſſa nerueáque clauditur, quæ pericardium dicitur, à quo interuentu humoris aquei non nihil diſtat. Summis prætereà fibris pulmonum complicatur. Subſtantia eius dura, denſa, ſolidáque eſt, triplici fibrarum genere intertexta, rectis, vt diaſtole ſanguis è caua in dextrum cordis ventriculum, & aer per arteriam venalem ex pulmonibus in ſiniſtrum cordis ventriculum attraherētur: *obliquis* vt retinerentur: tranſuerſis, vt in ſiſtole vitalis ſpiritus in aortam; fuligionoſa excrementa in arteriam venoſam, & ſanguis arterioſus in pulmones per eandem arteriam expelleretur. Habet enim duos ſinus cor, dextrum & ſiniſtrum, in quorum ſingulis duorum vaſorum orificia implantātur. Nā in dextro, ſanguineóque ventriculo, eſt orificium venæ cauæ, cui tria oſtiola ſiue membranæ introrſùm ductæ præficiuntur, & venæ arterialis, cum membranis extrorſùm ſpectantibus. In ſiniſtro, ſiue arterioſo ſinu, eſt orificium magnæ arteriæ tres membranulas extrorſum ſpectantes habentis, & arteriæ venalis cum duabus membranis introrſum vergentibus. In horum ſinuum meditullio eſt ſeptum craſſum quidem, ſed multis foraminibus peruium, tranſudat ſanguis ex dextro ſinu in ſiniſtrum, vbi cum ſpiritu attracto ex pulmonibus permiſcetur, in ſpiritumque vitalem conuertitur. Ad latera cuiuſque ſinus appendices membranoſas, auriculas vocatas, videas, quarum vſus eſt, vt promptuaria ſint ſanguinis & aeris derepentè irruentis, ne cor ſuffocetur, & ne vena caua & arteria venoſa violentis motibus diſrumpantur.

Syncope.] Syncope eſt præceps virium lapſus, facultate vitali propter magnam ſpirituum vitalium diminutionem ita debilitata, vt nihil influat à corde, ſed quidquid ſpiritus caloriſque adhuc in corde ſupereſt, in cor repentè confluat, ibique coerceatur. Vide Galenum libr. 12. Meth. cap. 5. vbi multa de ſyncope.

Syncopes cauſæ externæ ſunt ſudoris, balneorum, repentinæ caliditatis, cibi, potus, famis, animi pathematum immoderatio, venenum, & venenatorum morſus, aer peſtilens, fodinarum, & barathrorum ſpiritus, auræ fœtidæ & putridæ, paludoſę exhalationes, frigus, acerbus dolor, labor nimius, &c.

Miſſis his cauſis ad internas veniendum, quas cognoſcere multum intereſt. Cùm virium quibus

corpus

corpus regitur integritas ſita ſit in ſubſtantia ſpirituum, vnà cum ſolidis partibus tum in qualitate tum in quantitate naturaliter ſe habentibus: ſi horum alterutrum præter naturam afficiatur, vires in ſua integritate non poſſe manere neceſſe eſt. Itaque cùm ſyncope ſit vitalium virium repentinus defectus, videndum eſt quomodo in ſpiritibus, & in ſolidis partibus cauſæ ſint ſyncopes. Sed quoniam morbi cordis mortem potiùs quàm ſyncopen inducere ſoleant, nec ſyncopes cauſæ ſint, niſi quatenùs ſpiritus imminuunt, de ſpiritibus tantùm loquar, non autem de morbis, niſi in ordine ad ſpiritus,

Cauſæ defectus ſpirituum quatuor generales afferri poſſunt. Prima eſt in regeneratione, quando non ſatis abundè regenerantur, quod accidit aut vitio facultatis regeneratricis ſpirituum, aut materiæ, aeris ſcilicet & ſanguinis ex quibus generantur. Facultas generatrix læditur idiopathicè aut ſympathicè, idiopathicè cùm magna cordis intemperies ſine aut cum materia naturalem cordis temperiem labefactat, aut ſubſtantiam partium, & caloris natiui depaſcens & conſumens, aut obruens, vt febres acutæ & malignæ, aut colliquãtes, hecticæ, maraſmodes, febres peſtilentes, & id genus. Sympathicè ſpiritus cordis afficiuntur, primò ſympathia maxima quam cor habet cum orificio ventriculi ſuperiore, quod idcircò Græci vocant καρδίαν, quod nomen cordi commune eſt. Sympathia etiam vteri & vaſorum ſpermaticorum ex ſanguinis menſtrui aut ſeminis corruptione tetros vapores in cor expirantium. Sympathia etiam cerebri, pulmonum, diaphragmatis, iecoris, aliarúmque partium. Vitia materiæ ex qua generantur ſpiritus, ſunt defectus ſanguinis, ex atrophia, longis morbis, longo ieiunio. Defectus aeris à læſa reſpiratione aut tranſpiratione ſufficientem aerem non attrahentibus.

Cauſa ſecunda Syncopes eſt ſpirituum σκεδασμὸς ſiue diſſipatio. Diſſipatur ſpiritus ſubtilior factus corpore rariore, in acri vehementíque dolore, quo ſpiritus à corde in partem affectam affatim & violenter attrahuntur. In ſubito & vehementi animi motu, vt in ira ardenti, vigiliis longis, voluptate & gaudio profuſo, de quo alibi: his ſpiritus à corde foras de repente euocatus euaneſcit. In immodicis euacuationibus ſiue per catharrica, ſiue per phlebotomiam, hæmorrhagiam, vomitum, &c. In ſupputatione, aut ruptione apoſtematis, vel tuberculi, ſiue introrſum facta, vt in empyemate, ſiue extrorſum, vt in aqua ab hydropicis educenda. Simul enim cum aqua exhauritur ſpiritus, & vnà cum ruptione euaneſcit. Quod diuinus Hippocrates multis in locis ſcribit, vt aphoriſ. 27. libr. 6. & lib. 7. aphor. 8.

Tertia cauſa eſt alteratio, quæ prouenit ex venenoſa aeris qualitate, aut cuiuſuis alterius putridæ vel corruptæ ſubſtantiæ, quibus ſpiritus infecti retrocedentes in cor ipſum, facilè ſyncopen inducunt, propter venenoſam qualitatem à re externa contractam, vel ab alia excedente qualitate extrinſecùs recurſante: item ab aere corrupto, venenoſo, peſtilenti, ſiue ab externo veneno, ſiue à corruptis humoribus intrinſecùs, quod vt in vterinis affectibus euenire ſæpe videmus: ſic & à materiæ putris camarina in ventre & inteſtinis retenta, & aliqua occaſione commota.

Quarta cauſa eſt ſuffocatio, quæ fit ab inſigni vaſorum obſtructione, difficili reſpiratione, vaporibus craſſis & fuliginoſis cor tentantibus, qnibus ſpiritus prohibita difflatione ſuffocatur. Sic à multis iiſque craſſis humoribus ſyncope etiam oritur, veluti in febre ſyncopali frequenter contingit, ac in initijs acceſſionum conſtipatio, magna cutis & pororum facta. Obruuntur etiam ſpiritus, interceptione venarum & arteriarum à magna plenitudine. Pari etiam ratione ex iiſdem ſpiritibus præter naturam confertim & facto veluti agmine cor repetentibus, vt accidit in affectionibus animi vehementioribus, vt ingenti triſtitia, mœrore, anxietate, cura, & ſimilibus: vnde ſæpè ſyncope, atque adeò interitus, vt Galenus docet de ſymptomatum cauſis. Huc referri poteſt tumor aliquis præter naturam, in corde vel in pericardio, vt in diſſecto, cuius, ex Galeno meminit Philotheus comment. in lib. 2. aphor. 41. tunica incluſa in ventriculo cordis plena humore putri malè olente, vermes, & huiuſmodi alia quæ modò obſtruunt, modò aura venenoſa ſpiritus inficiunt, & cor vellicant: ſicuti & humor è ventriculo, vtero, iocinore, cerebro, aut etiam pulmone.

XXVI.

P*Arti cuique canis.*] Canis hic pro morbo ponitur, qui canis more leporem inſequentis, hoſtiliter homines inſequitur ad necem. Pſal. 22. *Quoniam circundederant me canes multi.* Quo loco Dauid poſtquam dixit ſe ſicut aquã effuſum, ſua oſſa diſperſa, cor vt ceram liquefactum, ſiccam linguam eſſe, aridam tanquam teſtam virturem ſuam, & in puluerem mortis deductum, in quibus tria ſymptomatum morborum genera, actio læſa, corporis ipſius affectus, & euacuatio immodica continentur, ſubijcit: *Quoniam circũdederunt me canes multi.* Et iterum paulò poſt: *Erue à framea animam meam, & de manu canis animam meam.* Vbi anima pro vita, & canis pro morbo videtur vſurpari. Canis furit, & mordet, ita morbus, & morborum morbus febris. Virg. lib. 3. Georg.

Cùm furit, atque artus depaſcitur arida febris.

Canis carnium vorax eſt, & morbus carnem abſumit, & artus crudeliter exedit, Canis non tantùm, carnem, ſed & ipſa oſſa rodit:

———beſuros cerno per oſſa canes.

ait Ouidius in Epiſt. Ita morbus, nam in morbo

— — — — luridaſola
Tecta cute, & venis malè inuicta trementibus oſſa.

Ex Silio Italico lib. 2. & ex Virg. vbi ſuprà,

— — — dolor balantum lapſus ad oſſa.

Et non longè poſt,

Oſſa minutatim morbo collapſa trahebat.

Parœmia antiquitùs vulgata *κύων παρ' ἐντέροις*, hoc eſt *Canis iuxta inteſtina*, nónne morbus intelligi poſſit. Morborum enim fomes vt plurimum circa viſcera ſtabulatur. Earum ædium, in quibus reperitur copia alimenti, multos eſſe canes dicebat Diogenes: ſic etiam corpora, quæ multum cibi caperent, multos quoque morbos accerſere, vt refert Stobæus.

X X V I I.

D*Ens quoque cuique ſuus.*] Dente damnum & detrimentum ſignificatur, & quidquid nos perſequitur & affligit ex D. Auguſtino in Pſalm. 3. & vt de morbis ſcribit Hippocrates lib. *περὶ φυσῶν, ὅ τι λυπῇ τὸν ἄνθρωπον quidquid homini moleſtiam adfert.* Cùm inter damna morbi damnoſiſſimi ſint, & de illis hoc Ouidianum in transformationibus dici poſſit,

Morſus virus habent, & fatum dente minantur

Cur Dente morbus non ſignificabitur? Mordere munus eſt & actio dentis: & mordacitas in morbis inuenitur: Apud Galenum febris ſæpè *δακνώδης* dicitur, hoc eſt *mordax*, & apud eundem *τὸ δακνῶδες* ſiue mordacitas, eſt tangibilis qualitas, quæ cum morbo in corpus ſubiens, morſus ſenſum inducit.

Dentibus omnibus ineſt læſio & mordacitas: ſed iratorum etiam ineſt virus. Quod ſe vidiſſe ſcribit Iul. Cæſar Scaliger in Ariſt. lib. 1. de hiſt. anim. cap. 9. num. 105. Et non pridem ipſe comprobaui adoleſcentis brachio à pugnace cõmilitone admorſo. Morbi omnes habent quidẽ læſionem aliquam, ſed morbis exaſperati & quodammodò irati virus, putrilaginem, & aliquid venenoſæ qualitatis habent, & *κίνδυνον ἀπειλοῦντα τοῖς κάμνουσιν agris periculum minantur νοσήματα*, vt ait Gal. comm. 1. in Prorrh. Hinc illud *κακοήθης* tam ſæpè à principibus artis medicæ Hippocrate & Galeno vſurpatum, cùm de morbis malignis loquuntur, qui cùm malignam & venenatam cauſam habeant, ita peſſima & deterrima habent ſymptomata. Galenus loco proximè citato, *τοῖσι ἐξισταμένοισι μελαγχολικῶς ὅσοι τρόμοι ἐπιγίνονται, κακόηθες. Tremores in furioſa & vehementi mentis emotione, malignitatem denunciant.*

Dentium eſt rodere, Vnde Epigrammatarius lib. 10.

— — — quid dentem dente iuuabit
Rodere?

Et in morbis interdum eſt *διάβρωσις* hoc eſt *exeſio*, quæ nitroſi ſucci & humorum putrefacientium ſoboles eſt.

Dentes quaſi edentes dicuntur à Grammaticis, quòd eorum munus ſit edere. Et morbi nónne edaces? nónne *νόσος morbus δάπτεια* hoc eſt *edax & vorax* vocatur à D. Gregorio Nazianzeno Epiſcopo in hoc ſenario.

Ἄλλως δ' αὖ μελέων κατεδάσσατο δάπτεια νοῦσος.

Si legimus Silium Italicum vbi ſuprà, neruos conſumit, & carnem propemodum ad oſſa exedit, per morbum

— — — lumina retro
Exeſis fugere genis.

Et ſtatim poſt,

— — — — oſſa
Extant conſumptis viſu deformia venis.

Referam huc verba Balduini quibus morbos animi, quæ affectiones ſunt, vt in ſequenti oſtenderur emblemate, imò & morbos ipſos quæ afflictiones carnis ſunt, cum canibus confert. Sic ſunt, inquit, indiſciplinati motus in corde, vel in corpore noſtro, ſicut latratus canis, qui moleſtus eſt viatoribus magis latratu quàm morſu. Latratus quidem moleſti ſunt & ſuſpecti, ſed morſus noxij, & latratus valent ad cuſtodiam & cautelam: nam interdum pro nobis latrant, & non ſemper contra nos, Deo ita diſpenſante vt cautè ambulemus, vt ad vigilandum excitemur, ne vnquam per ſecuritatem obdormiamus in morte. Quòd ſi canes latrant circa domum, nunquid ideò non in pace cuſtoditur domus? & ſi contradictio aliqua eſt in carne noſtra, non ſolùm rationi, ſed etiam voluntati noſtræ contraria, nunquid ideò non poſſidemus terram?

Parti.] Pars eſt corpus toti cohærens communi vita coniunctum, & ad illius functiones vſúmque comparatum. Cæterùm maluit partem dicere Auctor quàm membrum, hoc eſt, maluit cum medicis loqui de morbis tractando, quàm cum Ariſtotele qui partes membra vocat.

Cuique.] Siue parti homogeneæ, vt pleuræ, cuti; ſiue heterogeneæ, vt capiti, ventri, iecori, renibus, gulæ.

gulæ, pulmonibus, oculis, pedibus, naſo, auribus, ori, teſtibus, vtero, ano, ſpleni, ventriculo, veſicę, cordi, quarum omnium mentio in ſuperioribus verſibus. Partes humani corporis ratione ſubſtantiæ in duo ſumma genera doctores noſtri diſtinxerunt, in ſimplices ſcilicet & compoſitas. Simplices vocantur ſimilares, & ὁμοιομερῆ, ab Ariſtotele poſt Anaxagoram, primigenęę, & πρωτογονα μέρη à Platone. Ab alijs homogeneæ, & primæ partes. Eas Galenus propria humani corporis elementa interdum nominat. aliàs prima corpora, quòd ſcilicet partes compoſitæ ijs conſtent. De numero partium ſimilarium fuſè diſputatur, plerique tamen decem numerant, & ſunt os, cartilago, ligamentũ, membrana, neruus, arteria, vena, tendo, caro, cutis. Pars ſimilaris ex Gal. lib. 8. eſt cuius partes inter ſe, totiq; ſimiles ſunt. Ariſtoteles ſic orditur libros ſuos de animal. hiſt. τῶν ἐν τοῖς ζώοις μορίων, τὰ μὲν ἐστιν ἀσύνθετα, ὅσα διαιρεῖται εἰς ὁμοιομερῆ, οἷον σάρκες εἰς σάρκας· τὰ δὲ σύνθετα, ὅσα εἰς ἀνομοιομερῆ, οἷον ἡ χεὶρ οὐκ εἰς χεῖρας διαιρεῖται, οὐδὲ τὸ πρόσωπον εἰς πρόσωπα. *Animalium partes, aliæ ſimplices ſunt, quæ in conſimiles ſecantur, vt caro in carnes: aliæ compoſitæ, quæ in condiſsimiles. Neque enim manum in manus, aut faciem in facies diuides.* In quibus verbis ſimilarium & diſſimilarium partium definitionem habes. Diſſimilares vocantur heterogeneæ, & compoſitæ, & κατ' ἐξοχὴν organicæ partes & organa, quòd perfectior manifeſtiórque ſit earum actio, conformatio, magnitudo, numerus, ſitus, (quæ quatuor organi dotes ſunt) in compoſitis magis partibus, quàm in ſimplicibus eluceſcunt. Tam autem iſtæ partes quàm illæ varijs morbis cruciantur, cùm illud Heſiodi certum ſit,

Νοῦσοι δ' ἀνθρώποισιν ἐφ' ἡμέρῃ, αἳ δ' ἐπὶ νυκτὶ
Αὐτόματοι φοιτῶσι
Morbi autem hominibus nunc diu nunc noctu
Temerè ingruunt.

Obmiſſa ſunt pag. 81. multa quæ ſuper Nymphæa & Tunica typis mãdari debuerãt, ſed typographicorũ characterũ ſtrictior cõnexio, pręter miſſa, immutata, & perturbata non paſſa eſt interijci. Cũ allegoricè emblema deſcribat flores, quos in horto muliebri natura inſeuit, meminit priùs ſub nymphææ nomine, nympharum quæ aliquando carnoſæ, aliquando cartilagineæ membranulæ ſunt, pro varia ætate, magnitudine & craſſitie variæ, quæque vt plurimum non ſuperant minimi digiti latitudinem, inferiore ſui parte ſemper acuminatæ, neque naturaliter extra labiorum partem dimidiam ſunt: haud ſecus ac nymphææ floſculus, qui tantiſper extra aquam videtur. Inter labra horti fœminei ſitas nymphas natura voluit, vt nymphis, ſiue lymphis præeſſent, id eſt, vrinam è rimæ fundo acceptam, tanquam inter duos parietes hinc inde poſitos deducerent. Idcircò vteri ceruice non irrigata, nec irrigatis etiam ſæpè labijs pudendi, ipſis verò contra madidis effluat. Veneris Paphiæ hîc aram iures, quæ, vt refert Corn. Tacitus ad principium lib. 2. hiſtor. in aperto poſita nullis imbribus madeſcebat.

Poſt nymphęam Tunicę meminit (nequaquam enim Tunica refertur ad nymphęam, poſt quod nomen virgula debuit apponi) quę in officinis & ab herbarijs, vt ſcribit Fuchſius cap. 133. ea planta dicitur, quæ ab alijs vetonica coronaria, ab alijs tonica, dempta prima vetonicę ſyllaba, ab alijs aliter nominatur. Rejectis tamen cęteris nominibus, Tunicam maluit Auctor dicere, & non ſine cauſa. Cùm enim ἀλληγορικῶς, vt antea dixi, partes interfeminei deſcriberet, tunicas quę in illo ſunt connotaturus ancipiti vocabulo vti voluit. Hoc enim nomen non ſolùm figuram & diſpoſitionem caruncularum garyophyllum referentium notat, ſed etiam materiam qua coeteant. Parte enim exteriore & latiore membranulis (membranulę enim tunicę ſunt ex Galeno lib. 14. de vſu part. nihil enim refert, inquit, peritonæum tunicam an membranam voces) conſtringuntur & reuinciuntur, circulúmque membraneum efformant. Tunicę illę in puerpera poſt enixum per plures dies omninò ſunt attritę & obliteratę, quòd eſt cauſa cur trita tunica hic dicatur.

ΠΟΜΦΟ-

ΠΟΜΦΟΛΥΞ Ο ΑΝΘΡΩΠΟΣ.

E M B L E M A IX.



Sapone, atque vnda, conflatáque flamine bulla,
Pellitur oppoſitu circumagitata flabris.
Euphroſinum qui mordet adeſt, qui grana ſinapi,
Candida quem cornix, quem clypeuſq́ tegit.
Eſt puer aurato, ferrato barbarus arcu,
Ferreus & ferus hic; aureus ille, ferus.
Quini ſunt alij reſtim, ignem, aliudq́ ferentes,
Luditur his, varijs bullula truſa modis.
Bulla homo, materia vt primum eſt non diſpare cretus,
Oppoſitis affectus turbine circumagitur.
Ancipiti illius contraria prælia menti
Gaudia, triſtitia; ſpeſq́, metuſq́ mouent.
Omnia bella mouent agris mortalibus, inde
Odia bella mouent, inde Cupido mouet.
Milleq́ queis dant arma Πάθη *crudelia mentis*
Crimina, pax non eſt cum quibus vlla hominum.

Hieroglyphica.

HVMORES CORPORIS ET MORBI, hieroglyphica *PASSIONVM ANIMI.* num.I.
BVLLA hieroglyphic. *VITAE HVMANAE,* & *HOMINIS.* num. II. & XII.
VENTVS & TEMPESTAS hieroglyph. *PATHEMATΩN.* num.II.
NAVIS hieroglyphicum *HOMINIS & ANIMAE.* ibidem.

PVGLOS-

BVGLOSSVM hieroglyph. *HILARITATIS.* num. III.
SINAPI hieroglyph. *TRISITIAE.* num. IV.
CORNIX hieroglyph. *SPEI.* num. V.
CANDIDVS COLOR hieroglyph. *BONI* eod. num.
CLYPEVS hieroglyph. *TIMIDI.* num. VI.
ARCVS AVRATVS hieroglyph. *AMORIS.* num. VII.
ARCITENENS hieroglyph. *BELLI, TVMVLTVS, & ODII.* num. VIII.
FERREA SAGITTA hieroglyph. *ODII.* num. eod.
VMBRA & FVMVS hieroglyph. *RERVM HVMANARVM.* num. IX.
FLATVS hieroglyph. *ANIMAE.* num. X.
TVRBINES hieroglyph. *AFFECTIONVM ANIMI.* num. XI.
VERMIS, TINEA, CARNIFEX, TENEBRÆ, TEMPESTAS, hieroglyph. *TRISTITIAE.* num. XII.
NVBES hieroglyph. *TRISTITIAE.* num. eod.
MOLAE hieroglyph. *SPEI & TIMORIS.* eod. num.

I.

CORPORIS morbi in præcedenti Emblemate deſcribuntur, in hoc verò animi ægritudines, paſſiones ſcilicet, quæ ex temperamentis pendent. Vide Gal. lib. Quòd animi mores ſequuntur corporis temperamentum. Morbos voco omnes paſſioues, quia ex D. Chryſoſt. homil. 35. in 1. Corinth. Quemadmodum qui febre laborant nauſeant omnia: ſic perturbatæ mentes vndique percelluutur. Idem homil. 54. in Ioann: ſicut vires corporis motiuntur, & omnem ſenſum amittunt, ita & anima cùm multis detinetur affectibus, virturi moritur, & ſi quid attulerit, non ſentit, ſeu ſupplicium, ſiue quodcunque aliud minatus ſis, nullo ſanè ſenſu mouetur.

Sed ſi mens rectè ſe habeat, paſſiones non erunt morbi, illius enim ſunt veluti humores, ex quorum temperie ſanitas eſt. Richardus à ſancto Victore de ſtatu interioris hominis, cap. 34. Quod ſunt inquit, quatuor humores in corpore, hoc ſunt quatuor affectienes in corde. Amor itaque, odium, gaudium, & dolor, quatuor principales affectiones cordis ſunt, ex quibus cætera omnia deſideriorum, voluntatum, votorum, affectiooúmque originem trahunt. Quemadmodum autem humores in corpore, ſic & affectiooes in corde, ſecondùm quod ordinem, modúmque congruum perturbant, varias infirmitates procreant.

Cæterùm hoc ex eodem fonte, quo ſuperius emblema tranſlatum huc, nimirum ex Miſoponeri ſatyrico, vbi num. XI. ita legirur. In altera pyramidis facie, ab alto Lucetius aoimam per calamum in aquam ſapone ſpumaotem leuiter intinctum (ludunt ergò ſuperi? ludunt enimuerò, & nos ludentium ludus,

--- Dij nos quaſi pilas homines habent.)

Inſpirans, expectantibus quatenus iofra colluſoribus, iuuenibus duobus, tot idémque ſenibus, ſingulis ſuo colore diſtinctis, bullam demittit, quam grandi exceptam orbe, adducto certatim ſpiritu quamlibet in partem iactant.

Omnia ventorum concurrere prælia dicas.

Quia verò ſuum cuique ludentium, non potuir ars appingete proprium, aliubi ipſos illos videas, alterum alteri ex oppoſito aduerſantem, quorum, qui creatus eſt, amico Ioue benigoè irradiatur, & candida dentium euphroſinum prementium nudata ſerie, foſſulis etiam in hilari genarum crepidine hinc inde factis, tam blandum ridet, turbido vt cœlo pacem reddere, & terris placidi Dei Riſus, geniales indicere dies videarur. Atratus Saturno mœſtè ſideratur, & amaram eſitat ſinapin, fronte tam rugoſa, vultu tam nubilo, oculis tam lacrymoſe deliqueoribus, vt cœlum qua ille parte eſt, obſcuret, ipſiſque nubibus ſuas etiam lachrymas exprimat. Tertius amictu vernantibus arboribus concolor, & in morem Heliopes Empedocleæ, in cœlum aciem intendens, cornice vt olim coruo Valerius, inumbratur, ſed ea non fuſca, verùm quæ alarum niue ante illam quæ Cœlio viſa, candida ſit. Qui ſupereſt pallido vultu, muſtelina veſte, digitis ad pectus pectinatim iunctis, elatis & ceruicem minuentibus humeris, parùm ſibi cooſtantibus oculis tremorem queat intendere, cúmque videas Argolico illum clypeo pileatum, loris mento firmiter ſubnixis, haud ita longè ab Artemone diuerſum, timere credas, ne collabentis cœli ruinis opprimatur.

Πομφόλυξ.] Πομφόλυξ bulla eſt, quæ naſcitur ex aqua cùm pluit, dicta à verbo πομφλάζειν, quod

fluuiorum eſt, cùm bullis vehementiùs effeteſcunt. Plato in Timæo de pituita loquens Bullam h verbis deſcribit: Sæpè, inquit, tenerioris, recentiſque carnis portio quædam vna cum acre colliqueſcit, deinde vento inflatur incluſo, humiditate protinùs circumfuſa: fiúntque ex hoc ampullæ, quæ ſigillatim propter paruitatem videri non poſſunt: iunctæ verò ſimul & in grandiorem tumefactæ molem, conſpiciuntur, colorémque propter ſpumæ generationem habent album.

I I.

Πομφόλυξ ὁ ἄνθρωπος] D. Chryſoſtomus, ὥσπερ, inquit, ἡ τῶν πλουσίων ὑδάτων φορὰ δεξαμένη τὸ ἐπιρρέον, πομφόλυγας ἐξεγείρει, καὶ αἱ μὲν αὐτῶν ἅμα τῷ γένεσθαι ἐρράγησαν, αἱ δὲ πλεῖον ἐγχρονίσασαι μετεωρισθεῖσαι καὶ αὐταὶ ἐρράγησαν· τὸν αὐτὸν τρόπον ἡ θάλασσα τοῦ βίου τούτου, τοὺς μὲν ὀλίγον φανέντας ἐκάλυψε, τοὺς δὲ ἐπιπλεῖον διαρκέσαντας, καὶ αὐτοὺς κατεπόντισεν. *Vt aquarum fluxus copioſarum, incidentem recipiens plantam. Bullas excitat, quarum aliæ ſimul ac natæ ſunt rumpuntur, aliæ diutiùs inflatæ, poſtea & ipſæ rumpi ſolent. Sic ad eundem modum huius vitæ mare, alios cùm pauliſper conſpecti fuerint, occultat, alios diutius permanentes, ipſos quoque ſubmergit.* In quibus homines cum Bullis conferuntur. Ante D. Chryſoſtomum Lucianus pari ſimilitudine vſus fuerat, quæ infra ſubijcietur. Varro in præfatione ad librum de agricult. Quid ſi, inquit, vt dicitur, homo eſt bulla, eò magis & ſenex. Annus enim octogeſimus admonet me, vt ſarcinas colligam, antequam proficiſcar è vita. Langius epiſt. med 79. ita ex eodem Varrone orditur. M. Varro ille togatorum literatiſſimus, hominem ob vitæ breuitatem ſcitè bullę confert, quæ in vndis labroceta, vel imbre largo ſubitò decidente, incluſo flatu turget, & de repente rurſum difflatur & detumeſcit. Michaël à Monte lib. 1. cap. de Democrito & Heraclito ſcribit à Diogene nominatos homines veſicas vento tumidas, ſubijciens in nobis minus eſſe infortunij quàm vanitatis: minus improbitatis quàm fatuitatis, & malitiæ minus quàm inanitatis. Charon apud Lucianum ita Mercurium alloquitur: Tibi ergò, ô Mercuri, dicere volo, cuínam mortales aſſimiles mihi videantur, atque horum vita omnis. Vidiſtin' aliquando Bullas illas in aqua, torrente aliquo cum ſtrepitu ſcaturiente exiſtentes, tumores illos inflatos dico, quibus cogitur ſpuma. Earum ſanè quædam ſunt paruæ & exiles, quæ iam ſtatim diſſolutæ euaneſcunt. Aliæ verò diutiùs durant, atque aliis ad ſe coactis vehementer inflantur, ac in maximum ſurgunt tumorem, tandem & hæ diſſoluuntur omninò pereúntque: neque enim ſecùs fieri poterit. Hæc tibi hominum vita. Singuli flatu tumeſcunt, ita vt alij ſint maiores, alij autem minores: poſtremò alij quidem momentaneam, móxque deficientem ſentiant inflationem, alij verò prius deficiant quàm omninò conſtituantur. At omnes deſtrui & euaneſcere neceſſe eſt.

Sapone atque vnda, &c] Pueri liquato in aqua ſapone bullas conflant, admoto ſcilicet ori calamo, quæ ſola aqua fieri non ita poſſunt. Nam cùm ſit liquidior, diffluit potiùs quàm extendatur. Opus igitur eſt vt materia ſit paulò tenacior, lentior, & ſequacior, quę adueniente flatu dilatetur. Id autem ſapo eſt, cuius lentore, ſequacitate, ac craſſitie aqua explicari poteſt. In vitri opificio hæc ipſa notabis, vtrobique enim ſpiritu ſiue flamine materia ſequax ampullatur.

Pellitur oppoſitus, &c] Per flabra ſiue ventos animi pathemata deſignantur.

Spes leuat arrectos: metus alto à vertice fluctus
Deijcit: hinc animum pulſat furibunda voluptas:
Inde dolor: fluctus ceu fracti fluctibus altum
Clamorem ingeminant piceis abſcondita nimbis
Nec radios fundit ratio, nec vela gubernat.

Ita Poëta ille. Daniel cap. 7. *Et ecce quatuor venti cæli pugnabant in mari magno.* Quatuor illi venti ſecundùm patres, quatuor ſunt paſſiones gaudia, triſtitiæ, ſpéſque, metúſque: quæ tempeſtates commouent in hoc mundo, qui mare eſt, ex Origene in diuerſ. homil. 6. & in Matth. homil. 4. & alibi paſſim Laurentius Iuſtinianus de contemptu mundi cap. 1. Tolle ab homine rationem, & erit tanquam nauis in medio æquoris abſque gubernaculo & directorio. Flatibus enim nauis impulſa, nunc impetit ſcopulos, nunc illiditur vndis, nunc iactatur in littore, ſui ſemper patiens detrimentum, quoadvſque omnis ipſius diſſoluta compago efficiatur inutilis. Antonius in Meliſſa: Quemadmodum nauis, inquit, orta maris tempeſtate facilè ſubmergitur, niſi gubernator ſua induſtria regat: ſic affectiones ad deteriora rapiunt homines, niſi recta ratione gubernentur. D. Chryſoſtomus epiſtola ad Olympiam, vt infrà videbitur, cum tempeſtate & turbine triſtitiam confert. Et homil. 10. de pœnitentia: Quemadmodum, inquit, mari ſeſe tollente, & fluctibus vndique ad ſummum eleuantibus ſub procella, ſcapha inundatur: ſic & anima vndique mœrore circundata, velociùs demergitur, ni quempiam dantem habuerit manus. Si ergò triſtitia turbo eſt, quidni & cæterę paſſiones?

I I I.

E*uphroſinum.*] Εὐφροσύνη & εὐφρόσυνον buglossum dicitur, quia cauſa eſt hilaritatis, quæ eodem ſignificatur nomine. Plinius lib. 25. cap. 8. Iungitur huic Bugloſſos, boum linguę ſimilis: cui pręcipuum

cipuum,quòd in vinum deiecta,animi voluptates auget,& vocatur Euphroſynum. Ita ille. Galenus lib.6 de ſimpl.medic.facultat.vim exhilarandi in hac planta agnoſcit.Dioſc. Anazarb.lib.4.cap.112. vino iniectam animi voluptates augere ſcribit.Pluth.lib.1.ſympoſiacωn hoc ipſum ſcribit.Apuleius de virtut.herb. hæc, inquit, in vino mixta hilaritatem conuiuis facit.Et Macer libro ſub eod. titulo:

Lætos conuiuas decoctio dicitur eius
Reddere: ſi fuerit inter conuiuia ſparſa.

A Lucanis teſte Apuleio Corago dicebatur, quod nomen noſtra lingua Gallica retinuit mutato c in b, borrago. Dicitur autem corrago, quòd cor agat, dicimus enim *encourager*. Bugloſſi flos præcipuè ſanguinem mūdat, vitaléſque ſpiritus refocillat,ſicque exhilarat.Copia enim puri ſanguinis latè ſeſe propagantis gaudium generat. Fernel. libr. 5. therapeut. cap.7. Bugloſſum ſcribit animum lætitia & hilaritate perfundere,diſcutereque melancholicorum imagines & ſpectra:

Somnia, terrores magicos, miracula, ſagas,
Nocturnos lemures, portentáque Theſſala.

vt cum Horatio loquar.Syrupum bugloſſi, & condituram floris & radicis eiuſdem plantæ præſcribimus triſtibus & melancholicis,quòd experientia ſciamus illis corroborari cor, & exhilarari, eiúſque tetros vapores,palpitationem,& ſyncopen diſcuti. Electaria illa quæ à lætitia nomen habent, quòd abigant triſtitiam, lętificans Rhaſis, & quod Galeno falſò adſcribitur in compoſitionibus ſuis Bugloſſum habent,illud radicem,hoc ſuccum.Rectè igitur Bugloſſum datum eſt iuueni lætitiæ perſonam ſuſtinenti.

IV.

Qui grana ſinapi.] Triſtitia mandente ſinapi denotatur,quod triſte eſt. Ennius apud Macrob.

Nec triſte quaritat ſinapi, neque mæſtum cape.

Plautus in Trucul.

Si ecaſtor hic homo ſinapi victitet.
Non cenſeam tam triſtem eſſe poſſe.

Ita loquitur quaſi triſtitiam generet.Lachrymas prolicere quotidie experimur, & cocus in Pſeudolo eiuſdem Comici:

Teritur ſinapi ſcelerata cum illis qui terunt,
Priuſquam triuerint oculi, vt extillent facit.

Comicus verò Grçcus in equit.κἄβλεψε νάπυ dixit, pro δεινὸν ἔβλεψε, quia ſapor eius acerrimus.

Κἄβλεψε νάπυ, καὶ τὰ μέτωπ᾽ ἀνέσπασεν.
Sinapi reſpexit; & frontem contraxit,

Quem verſum refert Crates libris de Atticis vocabulis,vt eſt apud Seleucū libris de linguę Grçcę proprietate,ſicuti refert Athenęus lib 9.Interpres Ariſtophanis,napi ſemē eſſe vult, vnde ſinapi fiat. Dioſcor. lib. 2. cap. 146. ſinapi napi ab aliquibus vocari dicit, & Athenęus napi Atticam dictionem eſſe ſcribit.Sinapi verò dici, ὅτι σίνεται τὰς ὦπας τῇ ὀδμῇ, *quia olfactu lædit oculos*,vnde lachrymę: maximè enim caliditate extenuat & diſſoluit cerebri humiditates, quibus deinde fluentibus lachrymę proueniunt.

V.

Candida quem cornix.]Cornice ſpes ſignificatur, an ob cras cras vocem Cornicibus & ſperantibus communem. An quia ſitibunda à fabulatoribus deſcribitur, quęq; in vrnam calculos iniectet,vt hoc modo aquam elatam bibat. An quia famelica, quæque prę eſuritione ſcorpionem corripiat.Certè ab Homero τανύγλωσσος dicitur,hoc eſt,habens linguam extenſam, Iliad. ε.

Σκῶπές θ᾽ ἴρηκές τε, τανύγλωσσοί τε κορῶναι
Bubones, accipitreſq́, linguam extenſam habentes Cornices.

Qui ſperant ſitim quandam, & famem pati videntur, & hiando linguam ſuam in futurum tempus extendere. Vnde ſpes alere dicitur à Tibullo,& alijs. Alciatus embl.43.Cornicem ſpei dat.

Quæ tibi adeſt volucris? Cornix fidiſſimus oſcen.

Tranquillus in calce vitæ Domitiani ita narrat. Ante paucos quàm occideretur menſes, Cornix in Capitolio elocuta eſt: ἔσται πάντα καλῶς. *Erunt omnia benè.* Nec defuit qui oſtentum ſic interpretaretur.

Nuper Tarpeio quæ ſedit culmine Cornix,
Eſt benè, non potuit dicere: dixit, erit.

Candida hìc Cornix figuratur,quia ſpes eſt appetitus boni, cum fiducia obtinendi. Bonum autem colore albo,quemadmodum nigro malum repręſentatur. Menalchas apud Virgilium Ecl. 5. Daphnidem ſiue Iulium Cæſarem, ſiue Quintilium cognatum, ſiue Flaccum fratrem intelligat, quem Candidum vocat,eundem & bonum nominat.

Candidus inſuetum miratur limen Olympi,
Sub pedibuſq́ue videt nubes, & ſidera Daphnis.

Et ſtatim poſt:

---amat bonus otia Daphnis.

De Cornice candida Hieron. Cardanus lib. 14. de rerum variet. cap. 74. ita narrat. Cornix alba in prouerbium venit,quæ tamen Rhodigino viſa eſt poſt templum peruetuſtum Beatæ Virginis,quod ab vrbe diſtat ſtadio:ipſa autem Cornix poſt templum viſa eſt, tantundem ab illo diſtans, quantùm ab vrbe templum:nec ſemel viſa,ſed plurium menſium ſpatio.

V I.

Q*Vem clypeuſq́ue.*] Homine quem clypeus tegat,timor hîc denotatur, alluſione facta ad Artemonem Periphoretum,de quo Plutarchus in Pericle ex Heraclide Pontico Anacreontem allegante ſic habet.Hic Artemona refert fuiſſe mollem hominem, meticuloſum & pauidum domi ferè reſidem:ſupra cuius caput ne quid decideret ſupernè,duo ſerui clypeum æneum tenerent. Cùm neceſſe haberet exire, circunferri ſolitum in lectulo penſili humi penè: hinc nuncupatum Periphoretum.

Clypeum militis timidi ſignum eſſe, gladium verò ſtrenui ex Scipionis minoris dicto colligitur, apud Plutarchum in apophth.reg. Cuidam clypeum pulchrè ornatum oſtentanti, Clypeus, inquit, ô iuuenis bellus eſt,at decet virum Romanum ac ſtrenuum,in dextra potiùs quàm læua ſpem collocare.Clypeus enim ſiniſtra geritur,gladius dextra. Rationem cur timidis clypeus ſit, habet Diuus Auguſtinus enarrat.in Pſal. 34.Scutum,inquit,ſiue clypeus tela inimicorum excipit & repellit.Cùm timor ex Tullio lib.4. Tuſcul.quæſt.ſit metus mali impendentis,clypeum,hoc eſt protectionem quærunt & defenſionem timidi:Ioſue vt habetur cap. 8. fugatus á Rege Hai ſimulans metum ſolitudines petebat,donec ei Dominus dixit: *Leua clypeum quod in manu tua eſt,contra vrbem Hai, quoniam tibi tradam eam.* Cúmque eleuaſſet clypeum,hoc eſt,vt explicat Origenes in Pſal,36. protectione Dei tectus vrbem diripuit.

Tegit.] Timidi tegi ſolent,quia protegi volũt alieno munimine,quod in ſtrenuos non cadit.Rhœtus apud Virgilium lib.9. Æneid Niſum timens audi vt ſe tegat.

Sed magnum metuens ſe poſt cratera tegebat.

Cùm Iſraelitæ inſurrexerunt in Moyſen & Aaronem,illi præ timore ſe in tabernaculum teſtimonij receperunt,quod nubes texit.Vbi Origenes homil.ſuper Numeros 9. aduertit ante illum timorem Moyſis & Aaronis nec tabernaculum,nec hominem vllum tectum nube fuiſſe.

Eſt,&c.] Miſoponerus §.11.citato:Duo ſunt, inquit, iſtis non longè ſagittarij, nulla ſimilitudine concordes. Alter enim puer eſt,roſcida pinnatum ſerie võrulum tantùm non pictum niueis humeris faciente volucer,aurea cæſarie ambroſiæ veluti guttis ſatura decorus,natiuum & roſæ puræ,& quàm inſidioſa Cupidinis mater cruore ſuo tinxit, mixtum pulchra facie ſplendorem referens, blandis oculorum nictibus amabilem riſum comitantibus amorem ſpirans,omnes charitum honores extinguit Alter verò procerior membris hiſpidis, pilis capitis oculorúmque ſubrectis, truculento vultu, ore flammeo,totus luminibus odium ingerit.Credas de anthropophagis vnum, qui arcu minaci ac trabali telo,cuius ferream nigro ſucco cuſpidem tingens,certum hominis exitium obnuntiet. *Puſio* contrà puſillam ſagittam,eamq́ue auream breui aptans arcui, nihil ampulla durius transfixurus videtur:ſed ſua paruitate fraudem facit,quò enim tenuius,eò ſpiculum penetralius.

Puer.] Amorem puerili forma pictum teſtantur æs Lyſippi,& marmor Praxitelis apud Pauſan. in Bœot.tabulæ etiam Nicæarchi, picturæ Philoſtrati,ſtatuæ Caliſtrati,de quibus vide Heroici Erotos cap 9.§.2.Propert.lib.2.

Quicunque ille fuit puerum qui finxit amorem,
Nonne putas miras hunc habuiſſe manus?

Cauſam deinde ſubijcit.

Hic primùm vidit ſine ſenſu viuere amantes,
Et leuibus curis magna perire bona.

Pueri rationis & ſenſus propemodum expertes fugienda non fugiunt,facienda non faciunt,inanibus inuigilant,& neceſſaria derelinquunt:quæ puerilia vitia in amore ſunt. Cùm in amore multa ſint vitia, ait Donatus,tum magis quòd obliuionem negotiorum omnium parit, & nimiam agendis neceſſariis negligentiam,

Philo apud Leonem Hebræum alias duas cauſas habet. Pingitur,inquit,puer,quia ſemper creſcit, & quia effrænis eſt vt pueri. Primò per oculos ingreditur, cor deinde ſuccendit, & magno incremento omnes medullas peruadit,vt ſcribit Macarius homil. 15. *Ανάπτει τὴν καρδίαν, καὶ ὕτω διατρέχει ὅλα τὰ μέλη.* In mediis etiam aduerſitatibus augetur.

Hic tamen aduerſo tempore creuit amor.

ait Ouid.4.de Ponto.Et lib.3.Metamorph.

---haret

——hæret amor, creſcitq́ dolore repulſæ

Et lib. 1. de arte, in amore

——mora dat vires.

Virg. Ecl. 2.

——quis enim modus adſit amori.

Effrænem autem eſſe diſce ex Terentij Eunucho,

Here, quæ res in ſe neque conſilium neque modum
Habet vllum, eam conſilio regere non potes.
In amore hæc omnia inſunt.

V I I.

A*Rcu.*] Venus apud Moſchum amorem deſcribens, τόξον ἔχει μάλα βαιόν. *Arcum habet valde exiguum* Ariſtænet. epiſt. 10. ἔθην ὁ Ἔρως, οὐ μετρίως ἐνέτεινε τὴν νευράν. ὅτε καὶ τρωτικὰ πέφυκεν ἡ τοξεία ἀλλ' ὅσον εἶχεν ἰσχύος προσελκύσας τὰ τόξα, σφοδρότατα ἀφῆκε τὸ βέλος. *Itaque amor non laxius neruum intendit, vnde iucundum vulnus, ſed arcu quantum potuit adducto iaculum emiſit vi maxima.* Philoſtratus, & omnes ij quos paulò ante citaui cum omnibus pictoribus & ſtatuarijs arcum dant Cupidini. Leo Hebræus lib. 2. ex Platonis mente arcum & ſagittas amori data dicit, vt ſignificentur vulnera ſtricta, alta, & immedicabilia quæ infligit Cupido, beneficio radiorum, qui ex oculis amantium prodeunt, quique ſagittas referunt, vt oculus arcum, ad quę alludit Poëtarum princeps Muſæus:

Κάλλος γὰρ περίπυστον ἀμωμήτοιο γυναικὸς,
Ὀξύτερον μερόπεσσι πέλει πτερόεντος ὀϊστοῦ.
Ὀφθαλμὸς δ' ὁδός ἐστιν ἀπ' ὀφθαλμοῖο βολάων
Ἕλκος ὀλισθαίνει, καὶ ἐπὶ φρένας ἀνδρὸς ὁδεύει.
Pulchritudo enim celebris immaculatæ fœminæ
Acutior hominibus eſt veloce ſagitta.
Oculus verò via eſt: ab oculi ictibus
Vulnus delabitur, & in præcordia viri manat.

Aurato.] Philoſtratus pharetras & arcus ſuorum Cupidinum aurata facit, imò aureas, & aureo colore fulgentes alas, pomáque quibus luſitant. Quod non ſine cauſa factum exiſtimo, cùm aurum cum corde ſympathiam ex medicis Arabibus habeat ſcribente Auicenna lib. de corde, à proprietate effectus mirabiles in cordis affectibus ſubminiſtret, rectè amori datur, qui cum cordibus mirè conſentit, vbi varia, & aliquando mira efficit. Amor & beneuolentia auro comparatur. Iſocrates τὸ μὲν γὰρ χρυσίον ἐν τῷ πυρὶ δοκιμάζομεν τοὺς δὲ φίλους ἐν ταῖς ἀτυχίαις διαγινώσκομεν. *Nam vt aurum igni exploratur, ſic amicorum amor rebus aduerſis declaratur.* Et Cicero poſt Iſocratem lib. 9. epiſt. ad Papirium Pætum, vt quaſi aurum igne, ſic beneuolentia fidelis periculo aliquo perſpici poſſit.

V I I I.

B*Arbarus.*] Barbarus hieroglyphicum odij eſt, quia apud barbaros nulla fides, nulla charitas, nulla ſtabilis beneuolentiæ poteſt eſſe fiducia: omnia ſemper ſuſpecta atque ſollicita ſunt, nullus locus amicitiæ, vt ait Tullius, qui odium quo Galli infeſtis ſignis inferebantur in Fonteium, immanem, atque intolerandam barbariem nominat.

Arcu.] Barbarorum arma præcipua Arcus ſunt. Lege Hiſpanorum, Luſitanorum, & Anglorum bella geſta contra Indiæ barbaros, ſagitta & arcu ſemper armatos intelliges. Bellum, & tumultum quæ effectus odij ſunt, homine arcum vibrante ſacerdotes Ægyptij ſignificabant, ἄνθρωπος ſcribit Horus καθωπλισμένος, καὶ τοξεύων ὄχλον σημαίνει. Sapiens Prouerb. 26. odio qui alium inſectatur, Arcu homini armato conferre videtur, dum dicit: *Sicut noxius eſt, qui mittit lanceas & ſagittas; ſic vir qui fraudulenter nocet amico ſuo*

Ferrato arcu.] Arcus & telum Cupidinis quibus amorem excitat, aurea ſunt: ferrea verò, aut plũbea, quibus odium ingenerat. Tela quibus Daphnem fixit eiuſmodi erant, id cauſæ eſt cur Apollinem nunquam dilexerit, ita finxit Ouidius.

Deq́ ſagittifera prompſit duo tela pharetra
Diuerſorum operum, fugat hoc, facit illud amorem.
Quod facit auratum eſt, & cuſpide fulget acuta:
Quod fugat, obtuſum eſt, & habet ſub arundine plumbum.
Hoc Deus in nympha Peneide fixit: at illo
Læſit Apollineas traiecta per oſſa medullas.
Protinus alter amat, fugit altera nomen amantis,
Syluarum latebris, captiuarumq́ ferarum,
Exuuijs gaudens,

Ferrum eſt odij inſtrumentum, & ad ſauciandos homines repertum, vt ſcribit Pauſanias in Laconicis. De ferro, & arcu ferrato Plin. libr. 34. cap. 14. ſic ſcribit: Ferro vtimur ad bella, cædes, latrocinia non comminùs ſolùm, ſed etiam miſſili volucrique, nunc tormento excuſſo, nunc lacertis, nunc verò pennato: quàm ſceleratiſſimam humani ingenij fraudem arbitror: ſiquidem, vt ocyùs mors perueniret ad hominem, alitem illam fecimus, pennáſque ferro dedimus.

Ferreus & ferus hic. Tibull. lib. 1. Eleg. 10.

Quàm ferus, & verè ferreus ille fuit.

Aureus ille ferus.] Ouidio ferus amor vocatur Amorum lib. 1. eleg. 2.

---hæſerunt tenues in corde ſagitta,
Et poſſeſſa ferus pectora verſat amor.

Quinꝫ ſunt alij.] Præter ſex paſſiones enumeratas, quinque ſunt aliæ. Deſiderium, fuga, deſperatio, ira, audacia.

Reſtim.] Reſtis deſperationi datur pro ſymbolo. Terent. in Phormione. Opera tua ad reſtim mihi res redijt planiſſimè. Hoc eſt, res eum in ſtatum adducta eſt, vt deſperandum ſit, & de ſuſpendio cogitandum. Deſperantium enim reſtis ſolet eſſe refugium, vt cum Tullio loquar, deſperatiſſimum. Iocaſtæ deſperantis propter cæſos filios perfugium fuit deſperatiſſimum. Nuntius apud Sophoclem in Oedipo tyranno, verſ. 1272.

Οὗ δὴ κρεμαστὴν τὴν γυναῖκ' εἰσείδομεν,
Πλεκταῖς ἐώραις ἐμπεπλεγμένην ὁ δὲ
Ὅπως ὁρᾷ νιν, δεινὰ βρυχηθεὶς τάλας,
Χαλᾷ κρεμαστὴν ἀρτάνην.

Ibi fœminam ipſam pendentem vidimus, tortilis ſuſpendio implicatam, & ipſe vt eam intuitus horribiliter infremuit miſer, laxatq́ pendentem reſtim, Reſtis Reginæ Amatæ deſperanti ſe vnquam Lauiniam filiam Turno nuptam viſuram, reſtis perfugium deſperatiſſimum fuit. Virg. vlt. Æneid.

Multaq́ per mæſtum demens effata furorem,
Purpureos moritura manu diſcindit amictus,
Et nodum informis lethi trabe nectit ab alta.

Reſtis perfugium deſperatiſſimum fuit, Erigonæ patrem à temulentis ruſticis cæſum deſperanti: de qua Ouid. in Ibin:

Quoq́ dolore necis patria pia filia fecit,
Vincula per laques fac quoque guttur eat.

Reſtis Phædræ deſperanti ſe vnquam ab Hippolyto amatum iri, perſugium etiam fuit deſperatiſſimùm. Vnde illud,

Phedra Eliza tibi dent laqueum, aut gladium.

Miſer ille Lucius Apul. tot ærumnis per viam diuexatus, reſtim tigillo, quod feneſtræ ſubditum altrinſecùs prominebat, inijcit, atque obdita parte funiculi, & altera firmiter in nodum coacta, miſſo capite laqueum induit deſperabundus. Et Iuuenalis ſatyra 7. ita loquitur:

Ferre potes dominam ſaluis tot reſtibus vllam.

Ignem.] Ignis hîc iræ ſymbolum eſt. *Iracundia quippe,* ſcribit Donatus, *ignis eſt.* Seneca lib. de ira: *Ignis,* inquit de ira loquens, *non refert quàm magnus, ſed quò incidat.* Inde Pythagoræ præceptum πῦρ σιδήρῳ μὴ σκαλεύειν. *Ignem gladio ne fodito.* hoc eſt, iram alicuius ne laceſſas. Et apud Virg. lib. 9. Æneid.

Igneſcunt iræ, & duris dolor oſſibus ardet.

Idem Poëta Turni iram deſcribens, ardoris, ſcintillarum, ignis denique meminit lib. 12.

---totoq́ ardentis ab ore
Scintillæ abſiſtunt, oculis micat acribus ignis.

Irati (Verris ſcilicet) ardere oculos dixit Tullius Accuſat. lib. 7. & Homerus lib. 1. Iliad.

ὄσσε δέ οἱ πυρὶ λαμπετόωντι ἐΐκτην.
Oculi autem ei igni luculento ſimiles.

Et iratæ Medeæ flammatam faciem Seneca facit Med. act. 3.

Flammata facies ſpiritum ex alto citat.

Et Sil. Ital. lib. 5. præter flammas etiam fumum in irato agnoſcit, tam ira igni ſimilis eſt.

---torquet ſpumantem ex ore vaporem.

Arnobius iratum ita deſcribit, vt è luminibus ſcintillæ emicent, flammæ æſtuent, anhelum pectus ſpiritum iaciat, & ex verbis ardentibus labrorum ſiccitas inalbeſcat.

Quia iram ignem eſſe ſciebat Naucrates, ideò ὀξυθύμοις ἔφη παραπλήσιον τοῖς λύχνοις πάσχει. *Eadem propè iracundis accidere dicebat quæ lucernis.* quæ præ olei copia exuruntur. Et Eccleſiaſticus cap. 28. *Certamen feſtinatum incendit ignem. Si ſufflaueris quaſi ignis ardebit: & ſi expueris ſuper illum extinguetur.*

Luditur his varijs bullula, &c.] Amor & odium variè agitant & exagitant homines, tam eos qui fouent paſſiones illas, quàm in quos fouentur illæ: quod Aluarus à Luna expertus eſt, ad ſummos gradus elatus amore Ioannis Caſtiliæ Regis, eiuſdem deinde odio miſerè deiectus, & cum ignominia capite truncatus. Conchinum vidimus ante paucos annos theſauris & honoribus fruentem, velut

bullam

bullam variis amoris & odij turbinibus agitatum miſerè periiſſe. Ariſtoteles apud Stobæum *τύχης παίγνιον*, hominem *fortunæ luſum* vocat, at amoris & odij, aliorúmq; affectuū luſum meritò vocemus.

I X.

B*Vlla homo*] Homo vera bulla eſt, & quidquid in homine præcipuum, nihil quàm bulla. Hoc ex medicina noſtra comprobemus. Vbi vterus, maris & fœminæ permixta conuenienter ſemina complexus eſt, craſſiores partes & terreſtriores in ambitum ſecedunt, & ex iis membranæ fiunt, tenuiores verò quæ caloris & ſpiritus plus habent in meditullio remanent, partibus craſſioribus concluſæ. Illic ſpiritus caloris omniúmque facultatum auctor non otiatur, ſed tres bullas in medio ſemine conflat (bullis ſaponaceis de quibus hic Auctor rectè contuleris) quæ delineata principia ſunt trium hominis nobilium principiorum, cordis, iecoris, & cerebri. Non hanc ſimilitudinem fingo vt Auctori faueam, ante me multi hanc habent. Fernelius lib. 7. Phyſiolog. cap. 9. Itaque, inquit, hic ſpiritus facultates habent & naturæ inſtrumentum, tres bullas in medio ſemine conſtituit quaſi guttas perlucidas, quæ tum proximæ ſibi rudimenta quædam & principia exhibent trium principiorum. Andreas Laurentius hiſt. anatom. lib. 8. cap. 5. Tunc tres, ait, ampullas, quaſi guttas pellucidas bullis ſimiles, quas aqua pluuia ſuo in flumen illapſu excitat, principum partium rudimenta.

Bulla igitur homo, bulla cor illud ſpiritus vitalis fons, caloris natiui domicilium, omnium partium rex; bulla iecur, naturalis facultatis ſolium, & hæmatoſis primarium inſtrumentum. Bulla cerebrum quod diuiniſſimum membrum appellat Plato, quia ſapientiæ eſt, memoriæ, iudicij, & ratiocinationis ſedes, quibus ad Angelos accedimus. Quid erit homo, ſi hominis quæque nobiliſſima, bullæ ſunt?

Per partes hominem bullam eſſe declaratum, quid totus ipſe homo ſit videamus. Gregor. Nazian. oratione ſuper illud: *Quatenus vni ex his feciſtis, &c.* Exiguum, inquit, ad tempus, bullarum inſtar, ſpiritui noſtro circumiectum eſt corpus: mox autem extinguimur, nullo in vita huius tumoris relicto veſtigio. Marcellus Palingen. paulò ante finem Capricorni:

Quàm fluxa atq; fugax humana eſt gloria bullæ
Perſimilis, quæ olim ſumma turgeſcit in vnda,
Mox perit, & vento exiguo diſpulſa fatiſcit.

Interrogetur Sophocles quid homo ſit, reſpondebit in Aiace ſuo:

Ἄνθρωπός ἐστι πνεῦμα καὶ σκιὰ μόνον.
Nil aliud ac vmbra atque flatus eſt homo.

M. Ant. Muretus epiſt. ad Manutium: ſi homo bulla, eò magis ſenex, ſed ô incertam conditionem noſtram! Bulla nihil aliud eſſe videtur quàm flatus vmbra quadam concluſus. Fugax res eſt, caduca, nullius perennitatis Homo etiam velut vmbra fugit, & vt flatus tranſit. Nulli animantium vita fragilior, vt ſcribit Plin. ad principium libri ſeptimi. Bulla etiam minimarum rerum tactu euaneſcit, perit etiam homo paruæ rei contactu. Alius acini granum glutiens, præfocatus eſt, vt Anacreon Poëta: alius vnico pilo cum lacte hauſto, vt Fabius Senator. Nec defuit cui ſtiria gelu durata, delapſa tecto, repentinum attulit exitium. De Andragora dixit Epigrammatiſta Martialis:

Lotus nobiſcum eſt, hilaris cœnauit, & idem
Inuentus manè eſt mortuus Andragoras.

Corn. Senecio apud Senecam, cùm hilaris cœnaſſet, angina præcipiti correptus, compreſſo arctatis faucibus ſpiritu antè lucem deceſſit. Et quia exemplis homines maximè ducuntur, vtique ad fidem faciendam potentiſſimis agedum exemplis oſtendamus, quàm nihili ſumus, & quàm homo bulla eſt, & ſi quid bulla fragilius, vt ſcribit Beroaldus in oratione prouerb. Repentina morte obiêre Cæſares duo, dum matutino calceantur ſani ac tempeſtiui. A. Pompeius in Capitolio cùm Deos ſalutaſſet. Legatus Rhodiorum perorata in ſenatu Romano cauſa, in limine curiæ protinus expirauit. L. Iulius medicus dum inungit ſpecillum per oculum trahens. L. Durius Valla medicus dum mulſi potionem haurit. Ap. Saufeius dum ſorbet ouum, repentino fato omnes occubuêre. Quoſdam craſſior ſaliua ſuffocat, vt illud ſetiò dici poſſe videatur

Ambulat, & ſubitò funus mirantur amici.

D. Chryſoſt. epiſt. 7. ad Eutropium: Omnia vanitas, omnia repentè ſpiritus flatu, tanquam folia cuncta decuſſa ſunt, & arbor nulla derelicta eſt, & non ſolùm nuda, ſed ab ipſis conuulſa radicibus. Omnia nox ſunt, & ſomnium, & die exorta, nuſquam comparuerunt. Vmbra erat, & pertranſiit, fumus fuit, & diſſolutus eſt. Bullæ aquarum fuerunt, & diſruptæ ſunt. Araneæ telæ erant, & diſciſſæ ſunt. Vide eundem ſuprà allatum.

X.

M*Ateria vt primùm eſt non diſpare cretus.*] Tria ſunt in bulla, aqua, ſapo, & flatus, ea omnia in ſemine inuenienda ſunt. Seminis materia duplex eſt, ſanguis ruber, purus, & ſincerus, à venæ

cauæ trunco per ſpermaticas venas ad præparantia vaſa & teſtes delatus. Altera,ſeminis eſt materia à qua fœcunditas datur,ſpiritus nimirum per vniuerſum corpus oberrantes,qui per arterias ſpermaticas ad vaſa labyrinthea,ad meandros illos,epididymida & teſtes feruntur. Illic ex duobus illis perfecta miſtura fit,vnicumque corpus. Duplicem illam materiam non ignorauit Hippocrates, qui ſemen aliquando igneum, ratione ſcilicet ſpirituum, aliquando aqueum, ratione corpulentiæ vocat. Materia illa aquea aliquid habet craſſius,quod ſaponi reſpondere poſſit,aliquid tenuius,quod aquæ Præterea trium bullarum ſuprà deſcriptarum conflatura, ſiue hominis generatio duobus fit ſeminibus,altero maſculeo,fœmineo altero,illud robuſtius,calidius,compactius,ſaponi reſpondet:hoc debilius,fluxilius,frigidius aquam refert. Spiritus illi fœtus formatrices à Galeno dicti lib. 2. de ſemine, à natura ſemini implantantur, vt membranas extendant, canales in longum producant, & velut ſufflatione quadam perforent,vt ait Laurentius. Qua re meliùs exprimi poſſint quàm flatu, qui in bullam inditus eam conſtituit,rotundat,auget, & in ſua figura continet?

Quia verò per flamen in verſu primo emblematis, anima videtur intelligenda, & quia fingitur Iupiter accepto in os calamo flatum illum & animam in bullam exſufflare, per flamen intelligendus videtur animus,qui à Deo in corpus immittitur. *Deus inſpirauit in faciem hominis ſpiraculum vitæ, & factus eſt homo in animam viuentem* Gen. 2. & Iſaiæ cap. 42. *Hæc dicit Dominus Deus, creans cælos, & extendens eos. firmans terram, & quæ germinant in ea dans flatum populo qui eſt ſuper terram, & ſpiritum calcantibus eam.* Per flatū,& ſpiritum hîc ex patrum ſententia vita & anima intelligenda, flatu illo viuimus, ſpiritu illo ſpiramus. Imò Deus ſpiritus ille eſt, qui lucidas illas & ſideribus diſtinctas ſphæras, bullas vocabo pulchritudine,luciditate,leuitate, rotunditate, ſed bullas immortales extendit.

X I.

O*ppoſiti affectus turbine circumagitur.*] Turbinibus & ventis affectus & animi pathemata comparantur. Illuſtriſſimus ille Cardinalis Franciſcus à Turnone, de quo meritò illud Vlyſſis Neoptolemo apud Sophoclem dicatur:

ΣοΦός τ' αὐ αὐτός κἀγαθός.

Cui etiam attributum illud Rheni *ζηλήμων zelum habens*, Antholog. lib. 1. cap. 43. aptè conueniat, quòd adulteræ religionis ſobolem in Gallia tolerari nollet: cùm acceptam à Rege legationem apud ſummum Pontificem iunior, necdum ſacris initiatus obiret, ingentes lautitiis abſumpſit opes, *propter* amorem puellæ nobilis, in vrbe Fundi vocata. Inde ſibi depingi iuſſit villam ventis, turbinibus, & procellis miſerè diuerberatam, cum hac inſcriptione, *Fundi noſtri calamitas.* Si hoc egregio inuento amor turbine connotatur, cur non & alij affectus connotabuntur? Dicebat Ariſtonymus apud Stobæum, Gubernatores ſe ventorum mutationibus acccommodare, & viri ſapientes animi affectibus. Apud Plutarchum libello de virtute morum quidam ſe naui æquiparat, & ventis paſſiones, vt ipſe Plutarchus applicat, & explicat, ſubditque deinde: Conciderant venti, iam & tranquillus ſine vento pontus erat: námque ipſe Deus ſedauerat turbines, inſanos, rabidóſque cupiditatum motus reſtinguente ratione. Vide ſuprà in hęc verba *Pellitur oppoſitis circumagitata flabris.* Seneca in Hercul. furent.

Turbine magno ſpes ſollicita
Vrbibus errant, trepidique metus

Si turbo in ſpe eſt, multò magis in metu, triſtitia, cæteriſque affectibus qui nos magis turbant.

Affectus. Affectum Græci πάθος appellant, Latini modò affectum, affectionem modò, modò perturbationem, aliquando morbum animi. Neoterici paſſionem, & appetitum dicunt. Cùm geminas humana anima, ex Ariſtotelis & Platonis ſententia, partes ſortita ſit, rationalem & rationis expertem, ſicut ex rationali parte omnis laudabilis emanat ſenſus, ita ex irrationali naſcuntur paſſiones.

Ancipiti illius contraria prælia menti.] Palingen. ſcorpio

----mentem hoſtiliter vrget,
Detrahit, infeſtat, turbat, multuſque ſatelles.
Huic etiam parti non deeſt ignaua voluptas,
Ira, dolor, metus, atque timor, ſimul ardor habendi
Improbus, ambitioque nocens caput obſita fumo.
His igitur famulis, hoc miliste prælia menti.
Infert.

Auſonius:

Diſſidet ambiguis ſemper mens obuia votis,
Nec voluiſſe homini ſatis eſt, optata recuſant:
Eſſe in honore placet, mox pænitet: & dominari
Vt poſſint ſeruire volunt: idem auctus honore
Inuidia obijcitur,

Gaudia, triſtitia, ſpeſque, timorque. Hæ quatuor paſſiones hoc primo loco ponuntur, quia ſunt affectus principes

principes & generales ad quos omnes alij referuntur. Et gaudium, & triſtitia præponuntur ſpei & timori, quia ſunt paſſiones completiuæ & finales ſimpliciter omnium paſſionum: vnde ad omnes paſſiones conſequuntur, vt dicitur in 2. Ethic. non quidem ca. 5. vt malè citatur apud D. Thomam I^a. II^æ. quæſt. 25. art. 4. ſed cap. 4 & 2. his verbis, *παντὶ δὲ πάθει καὶ πάσῃ πράξει ἕπεται ἡδονὴ καὶ λύπη. Omnem autem perturbationem, omnemq́; actionem dolor ſequitur & voluptas.* Spes autem & timor ſubijciuntur, quia licèt ſint principes, non ſunt tamen quaſi completiuæ ſimpliciter, ſed completiuæ in genere motus appetitiui ad aliquid: ſunt enim de futuro. Quemadmodum enim de bono præſenti eſt gaudium, de malo præſenti eſt triſtitia: ita de bono futuro eſt ſpes, de malo futuro eſt timor. Omnes autem hæ paſſiones, quæ ſunt de bono vel de malo præſenti vel futuro, ad has completiuè reducuntur. Illis affectibus hominem crudelitèr diuexari luculenta hiſtoria comprobetur. Quo tempore Cæſar Borgia Alexandri VI. filius Æmiliæ imperabat, vti narrat Franciſcus Guichardinus, Ceſenæ quidam nomine Liuius captus amore Camillæ vicini filiæ, ab eáque deſpectus in morbum periculoſiſſimum incidit. Camilla rei certior facta animum mutat, iu ædéſque Liuij ſe confert, vbi eius ſoror item iacebat in cubiculo vicino. Liuius vt vocem Camillæ audiuit, emiſſo vehementi eiulatu expiraſſe viſus eſt. Soror Liuij, itémq; Camilla accurrunt, interſtitiũ enim tantùm ex aſſeribus erat. Et hæc omni ſimulatione depoſita genas genis ægri admouet. Vires quamprimùm colligit Liuius, & vt audiuit quo eſſet in ſe animo, & quàm in connubium prona, ſanatur, & ſibi deſponderi à patre petit. Pater in aduentum maioris natu filij qui Romæ erat, totam rem differt. Dum expectatur peregrinus, clàm matrimonium amantes paciſcuntur. Camillæ frater vt Roma venit patrem dehortatur, & Liuius ſpe caſſus repulſam fert. Tantum inde dolorem contraxit Camilla, vt in grauiſſimum morbum inciderit. Vegerior deinde facta, de matrimonij clandeſtini operibus delibérat cum ſuo. Vnà cubant, & Liuius nimio gaudio in lecto moritur. Camilla vt frigidum, atq; adeò mortuum ſenſit, pre triſtitia ſe interimit, Ancilla amorum conſcia exclamat, frater aduolat, ancillámque iugulat. Quàm varia hîc pathemata variè homines excruciant! verè igitur dictum:

Ancipiti illius contraria prælia menti
Gaudia, triſtitia, ſpeſq́; , metuſq́; mouent.

Qui volet tranquillè viuere, audiat hæc Boëtij lib. 1. metro. 7. præcepta, & ſeruet.

Gaudia pelle,
Pelle timorem,
Spémque fugato
Nec dolor adſit.
Nubila mens eſt,
Victáque frenis,
Hæc vbi regnant.

Gaudia triſtitia.] Famuli quidam apud Eurip. in Iphigen. Agamemnoni dicunt:

δεῖ δέ σε χαίρειν καὶ λυπεῖσθαι
θνητὸς γὰρ ἔφυς κ' ἂν μὴ σὺ θέλῃς
τὰ θεῶν οὕτω βουλόμενα ἔσται.

Oportet verò te gaudere & triſtari: mortalis enim es. Et ſi tu nolis, Deorum decreta ſic erunt. Apud Stob. ſerm. 103. eadem habentur pauciſſimis immutatis

---δεῖ δέ σε χαίρειν
κ' ἂν μὴ σὺ θέλῃς (τὰ θεοὶ αὐτὰ νενόμικαν
οὐκ ἐπὶ πᾶσιν ἔφυς ἀγαθοῖς)
καὶ λυπεῖσθαι, θνητὸς γὰρ ἔφυς.

Gaudere tibi neceſſum eſt, etiam inuito (ſic Dij ſtatuerunt, nec ad omnia bona genitus es) & triſtari vtpote mortali nato. D. Chryſoſt. homil. in Iephthe, quæ eſt in 1. tomo. Omnis lætitia periculoſa eſt, omnis ſecuritas caſibus plena, omnis iucunditas laqueis impeditur.

Gaudia.] Gaudióne quod corporis nectar & ambroſia eſt, nocumentum ei aduenit? Rhaſes inter Arabas magni nominis medicus, de Ruffi ſententia inter cauſas paralyſeos nimium gaudium ſtatuit. Gaudióne quod animi pax & oliua eſſe videtur, menti bella mouentur? ita eſt. Gaudia etiam ipſa animam interdum inquietant. Ouid. 7. Metamorph.

Gaudia principium noſtri ſunt ſæpe doloris.

Cui conſonant hæc verba Senecæ: Vulgò ſic loquimur, vt dicamus, magnum gaudium nos ex illius conſulatu, aut ex nuptiis, aut ex partu vxoris percepiſſe, quæ adeò non ſunt gaudia, vt ſæpè initia triſtitiæ ſint. Inter honores gaudium, id eſt, inter ſollicitudines quæ iſtiſta quæ ſic petis, tanquam datura lætitiam ac voluptatem, cauſæ dolorum ſunt. Omnes, inquam, illi tendunt ad gaudium: ſed vnde ſtabile, magnumque conſequantur, ignorant. Ille ex conuiuiis & luxuria, ille ex ambitione, & circũfuſa clientum turba: ille ex amica, alius ex ſtudiorum liberalium vana oſtentatione, & nihil ſanantibus literis. Omnes iſtos oblectamenta fallacia, & breuia decipiunt: ſicut ebrietas, quæ vnius horæ hilarem inſaniam, longi temporis tædio penſat: ſicut plauſus & acclamationis ſecundæ fauor, qui magna ſollicitudine & partus eſt & expiandus. Cùm fatigauerunt ſe vino & libidinibus, cùm illos

P

nox inter vina deſecit,cùm voluptates, anguſto corpore vltrà quàm capiebat ingeſtæ,ſuppurare cœperunt,tunc exclamant miſeri Virgilianum illum verſum;

Namq́ vt ſupremam falſa inter gaudia noctem
Egerimus,noſti.

Omnem luxurioſi noctem inter falſa gaudia,& quidem tanquam ſupremam, agunt. Maro cum luctu ,cum curis,morbis,ſenectute,metu,famè,egeſtate,letho,labore locat

------mala mentis
Gaudia.

Vexant igitur mentem gaudia.Et corpus nónne etiam affligunt? affligunt,& gaudium interdum febrem progenerat: rariùs tamen quàm alia pathemata , quia tardè , & ſenſim extrorſùm mouere ſolet gaudium ſpiritus: immodicum tamen & inſolentius,ſpiritum calorémque tam vehementer è corde in ſumma corporis effundit diſſipátque , vt arce illa vitæ , caloris beneficio prorſus deſtituta, vel ſyncope,vel morte repentina homo corruat.Nuntiata clade,quæ ad lacum Traſimenum acciderat:altera mater ſoſpiti filio ad ipſam portam facta obuia , complexu eius expirauit : altera cùm falſo mortis filij nuntio mœſta domi ſederet,ad primum conſpectum redeuntis exanimata eſt. Qua tempeſtate apud Cannas exercitus Pop.Rom.cæſus eſt, certum eſt anum matrem, nuntio de morte filij allato , luctu atque mœrore affectam eſſe: ſed cùm is nuntius non verus eſſet , atque is adoleſcens non diu pòſt ex ea pugna in vrbem rediret, anus repentè filio viſo, copia atque turba, & quaſi ruina incidentis inopinati gaudij oppreſſa exanimatáque eſt. De mulieribus in quibus minus c[illegible] vitæ, minus mirandum,ſed in viris admirationis locus amplior eſt. Marcus Iuuentius Talua C[illegible] collega Tiberij Gracchi Conſulis,cùm in Corſica, quam nuper ſubegerat, ſacrificaret, acceptis literis decretas ei à Senatu ſupplicationes & triumphum nunciantibus, intento illas animo legens extinctus eſt.

De Rhodio etiam Diagora celebrata hiſtoria eſt.Is tres filios adoleſcentes habuit,vnum pugilem, alterum pancratiaſtem,tertium luctatorem:eóſque omnes vidit vincere,coronaríque eodem Olympiæ die. Et cùm ibi eum tres adoleſcentes amplexi , coronis ſuis in caput patris poſitis ſuauiarentur, túmque populus gratulabundus flores vndique in eum iaceret , ibidẽ in ſtadio inſpectãte populo, in oculis atque in manibus filiorum animam efflauit. Agell.lib.3.noct.Attic.cap.15.Vide in Valerio lib. 9.Sophoclem,Xeuxim,Philemonem:in Plutarcho tract.de mulieribus inſignibus , Polycratem Naxenſem:in Plinio lib.7.Dionyſium Siciliæ tyrannum,& alibi alios qui gaudio obiêre:Recentia aliqui exempla miſſis antiquioribus apponam. In Viuarienſi prouinciola Albenaci vxor cuiuſdam nobilis Tourri nomine , cùm ex improuiſo maritus opinione mortuus aduenir[illegible]t,eum tenaciter amplexata nimio gaudio in deliquium animi incidit,& mortua eſt. Superiore ſæculo cùm Hariadenus Ænobarbus è Gallia Conſtantinopolim reduceret claſſem, Iluam inſulam prætervectus eius regulum orauit vt adoleſcentem Turcam Sinæ præfecti triremium filium Tuneti captum amicè reſtitueret , quem vt recepit ſeptem triremibus præfecit, miſitque honorificè ad patrem ad Suetiam rubri maris portum,vbi tunc commorabatur Sinas,qui tam immenſam ex recepto filio lætitiam recepit,vt in ſupremum animæ deliquium incurrerit,vti refert Paulus Iouius lib.4. Leo X. Pontifex max. vbi captum pro votis Mediolanum audiuit,tanto exultauit gaudio vt in febrem inciderit, qua diem ſuum extremum obijt,quod teſtatur Michael à monte.

Triſtitia]Quàm pernicioſa ſit triſtitia ex ſacris paginis,ex SS.patribus,ex Ethnicis, & ex medicina diſcamus.Salomon paſſim nobis eius perniciem ingerit,Prouerb.cap.15. *In mœrore animi deijcitur ſpiritus*.cap. 17. *Spiritus triſtis exſiccat oſſa* cap.25.*Triſtitia nocet cordi*.Et Eccleſiaſtici cap. 30.*Triſtitiam longè à te expelle:multos enim occidit triſtitia,& non eſt vtilitas in illa*.Et cap.35.*A triſtitia feſtinat mor* B.Chryſoſtomus epiſt.8.ad Olympiam : Triſtitia animarum crudele tormentum eſt , dolor quidam inexplicabilis,& iudicium omni iudicio vindictáque deterius.Nam vermi eſt ſimilis venenato, non ſolummodò carnem,ſed & animam ipſam perimens, & tinea non ſolùm ad oſſa , ſed ad corda pertingens, & perpetuus quidam carnifex,non animam dilacerans , ſed & vires animæ conſumens, & iugis nox, ac tenebræ profundæ,& tempeſtas,& turbo,febris non apparens , omni igne validius incendens , & pugna requiem non habens.Caſſian. lib.9.de cœnobiorum inſtitut. non ita longè à principio : *Veſtimentum*,inquit,tinearum eſu attractus nullius pretij , vel honeſti vſus , poterit vlterius habere commercium:itidémque lignum vermibus exaratum,non iam ad ornatum,vel mediocris ædifi[illegible] ſed ad combuſtionem ignis merebitur deputari. Ita anima quæ edaciſſimis triſtitiæ morſibus deuoratur, inutilis erit,&c.D.Chryſoſt.homil.6.ad populum Antiochenum:ſicut nubes,ait,quædam condenſata,& ſub ſolarem radium currens,omnem ſplendorem retrorſum auertit : ſic & triſtitiæ nebula cùm ante animum noſtrum ſteterit, ſuffocat, & cum multa neceſſitate intus reprimit. Menander , vel Philemon apud Stob ſerm.97.

Πολλῶν φύσει τοῖς πᾶσιν αἴτια κακῶν
Λύπη δ' ἐστὶ λύπης καὶ μανία γὰρ γίνεται
Πολλοῖσι καὶ νοσήματ' οὐκ ἰάσιμα
Αὑτούς τ' ἀνῃρήκασι διὰ λύπην τινές

Ἐπεὶ

Ἐστιν τὸ λυπεῖν πλεῖον, ἢ τὸ σῶζον ἢ

Multorum malorum cauſa omnibus eſt ſuapte natura triſtitia: propter hanc etiam inſania oboritur multis, & ægritudines incurabiles. Interficiunt etiam aliqui ſeipſos præ triſtitia. Cùm quod infert mœrorem maius eſt, quam vnde ſperatur ſalus. Cleanthes apud Stobæum ſerm. 106. percunctatus quid eſſet triſtitia: animæ, inquit reſolutio, addo ego, & corporis. Quàm plurima enim mala corpori infert, cor refrigerat, calidum natiuum ſtrangulat & abſumit, ſpiritus cogit, tum etiam potenter exſiccat, viréſque labefactat, concoctionem intercipit, pulſum paruum, tardum, rarum, & imbecillem facit, imò & mortem accelerat. Homerus in quadam inſula, quia quæſtionem à piſcatoribus propoſitam ſoluere non potuiſſet, triſtitia abſumptus creditur. Irene, vt refert Cuſpinianus, audita Philippi Imperatoris coniugis morte, grauida intempeſtiuum fœtum excluſit, & paulò poſt obijt. Edoardus III. Angliæ rex, amiſſo Edoardo filio principe moltis virtutibus inclyto, ex grauiſſimo animi dolore exanimatus eſt. Antigonus Epiphanes, ſtrenuiſſimus, fortiſſimus, ac potentiſſimus rex, audita Lyſiæ à Iudæis hoſtibus profligati fuga, & repulſus etiam ipſe cum dedecore, tantum dolorem contraxit, vt ſe animo conſternatum eſſe amicis faſſus fuerit, & paulatim viribus fatiſcentibus, propediem interitum ſibi extremum præſagiuerit. Iuſtinus iunior Imperator vſque adeò graui, ex clade apud Perſas accepta, mærore correptus eſt, vt iudicij vſum amiſerit, deménſque tandem in lethalem phreneſin inciderit. Similem vitæ exitum Vrſatus quidam Iuſtinianus naualis belli Venetorum dux ſortitus eſt, ob infortunium inopinatò acceptum in bello,

Dum hæc triſtitiæ exempla propter clades illatas hîc ſcribo, certior factus ſum alterius quod ſuperioribus addo: Die Iouis proximè ſuperiori IIII. Kal. Mai anni 1622. Guillelmus la-Soye Lugdunenſis mercator quinquageſimum circiter ſextum ætatis annum agens, audita regis Chriſtianiſſimi Ludouici XIII. victoria, qua ad oceanum mille & quingenti Rupellani, eiuſdémque rebellionis alij ceciderunt, mille in vincula iniecti, & oneratiæ naues quatuordecim captæ, tantum inde mœrorem contraxit (nempe cum Rupellanis religione conſentiebat) vt derepente ſemimortuus iacuerit, domúmque delatus ſtatim obierit. Vidi mulierem ſatis annoſam, quæ cùm audiſſet bouem ſuum cornu perdidiſſe, tam graui triſtitia afflictata eſt, vt etiamſi bouis deinde vtrumque cornu manibus tentaret (falſum enim fuerat nuncium) integra eſſe non crediderit, & in febrem inciderit, qua extincta eſt.

Penè exciderat quod legi apud Paulum Iouium lib. 26. Pomperanus Caroli Borbonij Achates in bellicæ calamitatis cogitatione, defixis in cœlum oculis obſtupeſcens, acerbiſſimáque triſtitia percuſſus concidit, & cùm rigerent adhuc oculi, nullis fomentis ei exanimato, vita ſubito deliquio erepta reſtitui potuit. Quomodo id factum? calidum innatum opaca triſtitiæ nebula ſtrangulatum, ſuffocatū, & cum multa neceſſitate intus repreſſum, vt loquar cum D. Chryſoſtomo paulò ante citato.

Speſq́; metuſq́;.] Horat. lib. 1. epiſt. 4.

Inter ſpem, curamq́; timores, inter & iras,
Omnem crede diem tibi diluxiſſe ſupremum

Seneca in Hercul. furent.

Turbine magno ſpes ſollicitæ
Vrbibus errant trepidiq́; metus.

Terentius in Andr.

Vt animus in ſpe atque in timore vſque antehac attentus fuit,
Itaque poſtquam adempta ſpes eſt, laſſus cura confectus ſtupet.

Theognis Megarenſis ille in ſuis Gnomis:

Ἐλπὶς καὶ κίνδυνος ἐν ἀνθρώποισιν ὁμοῖα·
Οὗτοι γὰρ χαλεποὶ δαίμονες ἀμφότεροι.

Spes & periculum inter homines ſimilia ſunt, ſunt enim vtrique difficiles dæmones. Seneca ex Hecatone dicit, deſines timere ſi ſperare deſieris. Dices, quomodo iſta tam diuerſa pariter ſunt? Ita eſt, cùm videantur diſſidere, coniuncta ſunt. Quemadmodum eadem cathena & cuſtodem & militem copulat, ſic iſta, quæ tam diſſimilia ſont pariter incedunt. Spem metus ſequitur. Nec miror iſta ſic ire. Vtrumque pendentis animi eſt, vtrumque futuri expectatione ſolliciti. Maxima autem vtriuſque cauſa eſt, quòd non ad præſentia aptamur, ſed cogitationes in longinqua præmittimus. Itaque prouidentia maximum bonum conditionis humanæ, in malum verſa eſt. Feræ pericula quæ vident fugiunt, cùm effugêre ſecuræ ſunt. Nos & venturo torquemur & præterito. Multa bona noſtra nobis nocent. Timoris enim tormentum memoria reducit, prouidentia anticipat. Nemo tantùm præſentibus miſer eſt.

Hæc ſcripſeram cùm fortè incidi in locum Mureti in var. lect. Cúm ſpei, inquit, nihil æquè aduerſetur ac timor, notatum tamen eſt à ſapientiſſimis viris, vbi omnis omninò ſublata ſpes eſt, ne timorem quidem poſſe ſubſiſtere. Pendeat enim oportet metuentis animus, qui ſi ſpei quò ſuſtineatur nihil prorſus reliquum ſit, planè iacet. Atque hoc eleganter admodum expreſſiſſe videtur adoleſcens Terentianus:

----væ miſero mihi,
Vt animus in ſpe, atque timore, &c.

Itaque negat Ariſtoteles eos qui ad mortem ducuntur, timere, vt quos iam ſpes omnis reliquit. Et qui timent quærunt ſi qua ratione id quod imminet vitare poſſint. At in rebus deſperatis nemo conſulit. Imò verò ita alitur metus, vt omni ſpe adempta plerumque in audaciam tranſeat. Id in extremum periculum adductis ſæpè ſaluti fuit.

Non finiam hanc notam ſine Gregorio, qui ad ſalutem hæc duo copulari vult. Libro igitur 33. cap 11. explicans illa Deuter. 24. *Non accipies loco pignoris inferiorem & ſuperiorem molam*: Superior, inquit, & inferior mola, ſpes & timor. Spes ad alta ſubuehit, timor autem cor inferius premit: vna mola ſine altera inutiliter habetur. Peccatoris ergo in pectore ſemper debent ſpes & formido coniungi. Idem lib. 6. cap. 23. Quid eſt, inquit, quòd ad viſionem Angeli vir eſt timidus, mulier audax? niſi quãdo cœleſtia nobis monſtrantur, ſpiritus quidem pauore ſe concutit, ſed tamen ſpes præſumit. Inde enim ſpes ad maiora videnda ſe erigit vnde turbatur ſpiritus, qui ea quæ ſuperna ſunt prior videt. Quia cùm altiora ſecretorum cœleſtium ſic leuata mens conſpicit, cuncta humanarum virium ſoliditas contremiſcit.

Timorem menti prælia mouere nulli non mortali clarum eſt, at ſpem ſolam non ita, quippe quæ ex ſententia Biantis rerum omnium dulciſſima ſit: rogatus enim quid dulcius foret hominibus? Spes reſpondit, apud Bruſonium Conturſinum lib. 6. cap. 11. Sed Bianti Iulius Cæſar opponitur apud Plutarchum, obſecrantibus enim amicis vt præſidio corpus muniret; multíſque ad id operam ſuam pollicentibus, negauit ſe hoc facturum, ſatius eſſe dicens ſemel mori, quám aſſiduè ſpe & expectatione pendere. Certior laborum omnium quos exanthlant homines ſpes cauſa eſt. Macharius homil. 24. in verba illa Corinth. 9. *Debet in ſpe qui erat arare.* Vniuerſa, inquit, opera quæ ſpectantur in hoc mundo ſpem ob aliquam fiunt, nempe mercedis recipiendæ, gratia laborum ſuorum. Itaque niſi quis certiſſimé ſibi perſuadeat ſe fruiturum laboribus, nihil promouet: nam & agricola ſeminat ſub ſpe recipiendorum fructuum, & labores ſuſtinet propter expectationem. Qui ducit vxorem ſub ſpe hæredum habendorum ducere ſolet. Mercator quoque lucri gratia mari, & promptiſſimæ morti ſe ipſum committit.

Omnia bella mouent]Seneca epiſt. 97. Viuere, mi Lucili, militare eſt. Et plurimis ante eum ſæculis ſcriptum reliquerat Iob: vita hominis militia ſuper terram. D. Chryſoſt. homil. 5. ad Hebræos: Certandi, inquit, hoc eſt, & pugnandi tempus, proinde etiam vulnera ſuſcipiendi, & ſanguinem effundendi.

Aegris mortalibus.] Maro lib. 3. Georg.

Optima quaque dies miſeris mortalibus æui
Prima fugit, ſubeunt morbi, triſtiſq́; ſenectus,
Et labor, & duræ rapit inclementia mortis.

Io. Manardus lib. 5. epiſt. medic. annotauit in margine epiſt. 5. ægrum animo, & ægrotum corpore dici: cùm hic de animi, non de corporis morbis agatur, *ægris mortalibus* debuit dici, non *ægrotis*.

Odia bella mouent.] Μῖσος ἐγείρει νεῖκος *Odium excitat contentionem* ex Salomone. Quemadmodum Pindaro apud Plutarchum περὶ τῆς φιλαδελφ. ἀλλὰ πολέμου θυγάτηρ *Tumultus belli filia eſt*, ita certè odij bellum ſoboles eſt.

Inde Cupido mouet.] Virgil. in epigramm.

Bellum ſæpè petit ferus exitiale Cupido.

Ouid. lib. 2. eleg.

---niſi rapta fuiſſet
Tyndaris, Europæ pax, Aſiæq́; foret.

Mantuanus in Alphonſo.

---Lauinia Troes
Implicat ancipiti bello.

Venerea Cupido cùm omnium ferè affectionum baſis ſit, & origo, non tantùm bellorum cauſa, ſed omnium malorum in quæ homo incidere poteſt; prudentiſſimos infatuat, moderatos effrænes reddit, clementes belluis ipſis immaniores:

In amore hæc omnia inſunt vitia: iniuriæ,
Suſpiciones, inimicitiæ, induciæ,
Bellum, pax rurſum.

ait Terentius in Eunuch. Tantúmne hæc mala? imò & alia ſexcenta quæ colligere eſt ex ipſius Cupidinis libris.

Πάθη.] Πάθος Græci, quod Latini modò affectum, modò affectionẽ, & perturbationem vocant, & nonnunquam morbum. Neoterici appetitum & paſſionem. Eſt autem animi & corporis ex tempore aliqua de cauſà mutatio.

Milleq́; queis.]Sexcenta ſunt vitia, quæ illis affectibus generalioribus vel gignuntur, vel fouentur, vt à metu puſillanimitas, pigrities, terror, pauor, exanimatio, conturbatio, ſocordia, pudor, formido, tumultus, trepidatio.

ΑΔΕΞΙΚΑΚΟϹ.

EMBLEMA X.



Alcides ſtabulum mundat, fluuioſq́ue coercet:
Claua inſtante cadunt ſus, canis, hydra, leo.
Virtutis claua exitialia crimina frangit
Picta hydra, porco; picta leone, cane.
Alcides homines purgat, frænatq́ catharros,
Monſtraq́ corporibus pernicioſa fugat.

Hieroglyphica.

HERCVLES hieroglyph. { *VIRTVTE &* / *ARTE MEDICA PRAEDITI.* num. I.
CLAVA hieroglyph. *VIRTVTIS.* num. II.
HYDRA hieroglyph. { *AVARITIAE.* num. III. / *FEBRIS.* num. IX.
SVS hieroglyph. { *LIBIDINOSI.* num. IV. / *CYNANCHES.* num. IX.
LVTVM hieroglyph. *LIBIDINIS.* num. IV.
LEO hieroglyph. { *IRAE.* num. V. / *PHRAENITIDIS.* num. IX.
CANIS hieroglyph. { *INVIDI.* num. VI. / *APPETENTIAE CANINAE.* num. IX.
STABVLVM hieroglyph. *HOMINIS CACOCHYMI.* num. III.
ACHELOVS hieroglyph. *CATHARRI.* num. VIII.
MONSTRVM hieroglyph. *MORBI.* num. IX.

I.

TERTIA Medicinæ pars θεραπευτικὴ dicitur, verſaturque circa curationem de rebus ad duas primas pertinentibus actum in præcedentibus emblematis, & in ſequentibus agitur de tertia, ſcilicet de medico prout circa therapiam verſatur. Hîc ſub Hercule complexus eſt Auctor medicum tum animi tum corporis, quia de morbis vtriuſque tractatum fuerat: nam paſſiones, ſiue affectus, morbi ſunt. Quemadmodum enim, ait Tullius lib. 4. Tuſcul. quæſt. cùm ſanguis corruptus eſt, aut pituita redundat, aut bilis in corpore, morbi, ægritudinéſque naſcuntur: ſic prauarum opinionum conturbatio, & ipſarum inter ſe repugnantia, ſanitate animum ſpoliat, morbiſque perturbat. Ex perturbationibus autem primùm morbi conficiuntur, quæ vocant illi νοσήματα, eáque quæ ſunt eis morbis contraria, quæ habent ad res certas offenſionem, atque faſtidium, deinde ægrotationes quæ appellantur à Stoicis ἀῤῥωστήματα, hiſque item oppoſitæ contrariæ offenſiones. Hoc loco nimium operæ conſumitur à Stoicis, maximè à Chryſippo dum morbis corporum comparatur, morborum animi ſimilitudo. Longior ſim ſi omnia ad illam ſimilitudinem facientia cum Tullio & Zenoniis referre velim. Mihi ſatis ſit hæc indicaſſe, ex quibus conſtare poteſt ſub eodem Herculis emblemate iure merito medici morum & morborum ſimul mentionem factam fuiſſe.

Ἀλεξίκακος] Malorum depulſorem ſignificat. Cùm autem ex Ariſtotele lib. 1. magn. moral. cap. 3. tria ſint bonorum genera, animi, corporis, & externa, tot erunt etiam mala. Et morbi, & vitia mala erunt, illa animi, hæc corporis, & is erit malorum propulſator, qui vel morbos, vel vitia fugabit, quales ſunt morum & morborum medici. Hoc nominis datum eſt Herculi:

Οὐχ ἥσσων δ' ἄρ' ἰατρὸς ἀλεξίκακος.

Lib. 1. Antheolog. mala enim ipſe abigebat. Io Tzetzes Chil. 7. cap. III.

Ὁ τῆς ἀλκμήνης ἡρακλῆς εὐεργετῶν ἀνθρώπους
Ἁπανταχοῦ διήρχετο θερίζων τὴν κακίαν,
Θῆρας, τυράννους, καὶ λῃστὰς ἰδὼν τε δυσχερείας,
Καὶ πᾶσαν ἄλλην κάκωσιν ἀποκαθαίρων βίου.
Alcmenæ filius Hercules benefaciens hominibus,
Vndiquaque pertranſibat demetens malitiam,
Feras, tyrannos, & latrones, ærumnaſque pericula,
Et omnem aliam afflictionem expurgans è vita.

Illis monſtris vitia intelliguntur, & id eſt cauſę cur illis ſuperatis in cœlum relatus dicitur Hercules. Philippus Byzantius in collectaneis Gręcorum epigrammatum hoc habet hexaſtichon.

Ὤλεσα σὺν Νεμέας θῆρ' ἄπλετον, ὤλεσα ὕδρην,
Καὶ ταῦρον, κάπρου δ' ἀμφετίναξα γένυν.
Ζωστῆρ' εἱλκύσατε, πώλους Διομήδεος εἷλον
Χρύσεα, μῆλα κλάσσας, Γηρυόνου ἔλαβον·
Αὐγείαν ἔγνων, κεμὰς οὐ φύγεν, ἔκτανον ὄρνις
Κέρβερον ἠγαγόμην, αὐτὸς Ὄλυμπον ἔχω.
Dextra feram Nemeæ petijt mea: perdidit hydram,
Et taurum: malas inde cecidit apri.
Baltheus eſt captus, ſunt aurea mala relata,
Geryoniſque boues, & Diomedis equi.
Augiam nouit, capta eſt cerua, atque volucres,
Cerberus eductus: me ſed olympus habet.

Apul. lib. 4. Florid. Quòd Herculem olim Poetæ memorant monſtra illa immania hominum ac ferarum virtute ſubegiſſe, orbémque terrarum purgaſſe: ſimiliter aduerſùm iracundiam & inuidiam, auaritiam, atque libidinem, cęteráque animi humani monſtra, & flagitia, Philoſophus iſte Hercules fuit. Eas omnes peſtes mentibus exegit, familias purgauit, malitiam perdomuit, ſeminudus & ipſe & claua inſignis.

Non tantùm monſtrorum & vitiorum expugnator fuit Hercules, ſed etiam morborum. Quando Auctor doctor inauguratus eſt, in ea quam habuit oratione, medicos Hercules, & Herculem medicum eſſe docuit. Exſcriberem hîc ſi mihi ad manum foret oratio, vnde hoc planiſſimè enuclearetur.

Quod apud Euripidem legitur de Alceſtide quam Hercules viuam ab inferis ad Admetum reduxiſſet, ita intelligendum cenſet Plutarchus. Cùm Alceſtis ita grauiter ęgrotaret, vt depoſita iam & deſperata eſſet, veniſſe Herculem, & medendi ſcientia qua excellebat, ei valetudinem priſtinam reddidiſſe. At quem in medicina doctorem habuit Hercules? In Theſſalia herbarum omnium feraciſſima Chironem habuit doctorem, quem & doctorem habuit Æſculapius medicinæ Deus. Chironem inquam, illum cui herbarum primitias populi Magnetes obtuliſſe narrant, quem Galenus in introductorio, ſiue medico (ſi tamen is Galeni liber eſt, non autem Plutarchi, aut Herodoti, vt quidam cenſent)

cenſent)rhixotomiam & therapeuticem inueniſſe dicit, cuius nomen herbis pluribus, medicamentis, vulneribus, ſi Plinium, Feſtum Pompeium, Galenum, Paulum Æginetam, & Corn. Celſum audimus, impoſitum eſt. Ex tanti doctoris ſchola periti ſſimus artis medicæ prodiit Hercules, à quo plãtæ quamplurimæ, medicamentáque, modò herculana, modò herculea, heraclida modo ex Dioſcoride, Theophraſto, Aëtio, & Galeno legimus denominata. Græcia non alios honores Hippocrati, Herculi alios, ſed eoſdem ambobus contulit, quaſi Hippocrates Hercules fuerit, & Hercules medicus. Hippocrates peſtilentiam ex Illyrico Pæoniáque ad Græcos venientem hac curatione ſedauit. Iuſſit per totam ciuitatem accendi ignes, floribus, odoramentiſque odoratiſſimè fragrantes, vnguẽtiſque ſuaueolentiam ſpirantibus perfuſos: vt ita purior, ſincerior, & ſalubrior aer à ſpirantibus hauriretur. Cuius rei meminit Galenus lib. de theriaca. Idem Hippocrates altera quoque medela ſeruauit multa oppida Græcorum à peſtilentia: obſtructis videlicet peſtilentibus feneſtris, ianuiſque permutatis, atque admiſſo nouis feneſtris aquilone. Græcia ob hoc meritum tam præcellens, honores decreuit, non Apollinis licèt medicorum Dei, ſed Herculis. Tacitè innuens peſtem, & morbos alios quos Hippocrates arte medica repreſſerat, non alia monſtra fuiſſe quàm quæ Hercules domuerat.

Alcides.] Hercules ſic dictus eſt, vt ſcribit Herodotus ab Alcæo auo, patre Amphitryonis: vel, vt aliis placet, ab *ἀλκὴ* quod eſt *robur*: inexpugnabili enim robore nobilis fuit.

Stabulum mundat.] Stabulum ſcilicet regis Augeæ, cui ex Luciano ſtatim in principio pſeudomantis, bubile erat trium millium boum capax, & fimo refertiſſimum, nullius ante Herculis operam repurgatum, cui cùm Augeas id purgandum locauiſſet, Hercules rem operoſiſſimam facilè perfecit Alpheo fluuio eò immiſſo. Cùm deinde pactam mercedem exigeret, nec ſolueretur, Elim diripuit, Augeamque interemit.

Fluuioſq́ coercet] Acheloum in varias ſe immutantem figuras, vt Hyginus refert, cornu detraxit Hercules. Quomodo illud? Fluuius erat eo nomine, qui violenter, & cum impetu ruens deuaſtabat

—ſata læta, boumq́ labores.

eum Hercules factis aggeribus & aquæ ductibus repreſſit, tandémque extenuauit. Seneca in Herc. Oeteo:

Namq́ vt ſubactus Herculis claua horridi
Achelous, omnes facilis in ſpecies dari,
Tandem peractis omnibus patuit feris,
Vnoq́ turpis ſubdidit cornu caput.

Sus.] Aper eſt Erymanthius, quem Arcadiæ agros deuaſtantem, Diana offenſa ſic volente, vinctum ad Euryſtheum deduxit Hercules. Claudianus:

Mænalium pelis inde nemus, fletamq́ colonis
Arcadiam, & ſteriles raro iam robore ſyluas.
Namq́ hic immenſa membrorum mole cruentus
Indomitus regnabat aper, ſoloq́ tremendus
Corpore, lunatis ſundebat dentibus ornos,
Sternebatq́ ſuos lugentia rura colonos.
Horrebant triſidis nigrantia corpora ſetis,
Duratoſq́ armos ſcopulis, totoſq́ per artus
Difficilis potuiſſe mori. Non ſpicula in illum,
Nodoſumq́ rapis grauato pondere robur:
Armati videatur honos, nec vulnera virtus
Extemplò tibi facta timet, iamq́ eripis vltrò
Spumantem, cogiſq́ diem ſufferre tuendo,
Atque ſupinando mirantem numina vinci,
Argolici victor portas ſub tecta tonantis.

Canis] Cerberus eſt trifaux. Euryſtheus Herculis crudeliſſimus exercitator iuſſit eum inferos adire, canémque Auernalem ad ſe adducere. Hercules ſacris ritè factis Tęnarium promontorium ſubit. In ipſo inferorum veſtibulo Cerberum inuenit, qui ad aſpectum Alcidis pro armatura omni, ſola pelle leonis amicti, ad Plutonis ſolium confugit, vnde tamen extractus eſt, licèt nullum eſſet eius morſus remedium, quòd ſubita vis veneni ſtatim ad imum cor penetraret, & per Heracleam, vt quidam volunt, in lucem adductus, quam vbi primùm vidit vomuit, & ex vomitu natum aconitum præſentaneum venenum.

Hydra.] Hydra prope agros in lerna palude ſerpens erat, quem Alcęus ἐννεακέφαλον, id eſt, *nouem capitum.* Naucrates Erythræus ἑπτακέφαλον, id eſt *Septiceps*: Zenodotus Epheſius, Simonides, & Palæphatus πεντηκοντακέφαλον, id eſt, *quinquaginta capitum* facit, cui Virgilius lib. 6. Aeneidos aſſentitur:

Quinquaginta atris immanis hiatibus hydra.

Illorum capitum quoties vnum cædebatur priorum numerus continuò duplicabatur. Campeſtria omnia facto impetu peſtiferum illud animal deuaſtabat, & in pecora, agróſque vicinos crudeliſſimè ſæuiebat.

ſæuiebat.Hercules huius animalis colli thyrſum penitus reſecuit, ſtatimque igne aduſſit, quæ vnica erat ratio tam ſæuiſſimam peſtem debellandi.

Leo] Nemæus miræ magnitudinis,& inuulnerabilis leo, qui de Lunæ circulo deſcendebat, armentáque omnia laniabat. Illum Hercules interfecit, pellémque ſuis humeris aptauit.

I I.

V*irtutis claua.*] Claua virtutis ſymbolum eſt, vt ex Gordiani Pij, & Numeriani numis colligere eſt,vbi maſculea virtus claua inniti ſpectatur, cum hac inſcriptione, VIRTVS AVGVSTI. Claua Herculea trinodis fuiſſe dicitur. Vide Pauſan.in Corinthiac. Et virtus trinodis quodammodo eſt. Eurip.in Antiope apud Stobæum in ipſo limine

Τρεῖς εἰσὶν ἀρεταί, ἃς χρή σ' ἀσκεῖν, ὦ τέκνον.
Θεούς τε τιμᾶν, τούς τε θρέψαντας γονεῖς,
Νόμους τε κοινοὺς Ἑλλάδος.
Tres ſunt virtutes, quas te exercere opus eſt, mi fili:
Deoſq́; vt colas, & qui te enutriuerunt parentes,
Legeſque communes Græciæ.

His tribus veluti virtutis nodis omne vitium debellatur,religione erga Deum, charitate erga parentes & proximos,obedientia erga rempublicam.

Picta hydra,&c.] Apuleius ſuprà citatus commemorans monſtra, hoc eſt, vitia quæ Hercules domuit, iracundiæ, inuidiæ, auaritiæ, atque libidinis meminit, quæ quatuor monſtris hoc carmine incluſis connotantur.In ſenſitiuo appetitu duplex eſt vis appetens:altera per quam animal ſimpliciter fertur ad habenda ea quæ ſenſui conueniunt,æſtimantúrque neceſſaria & vtilia, & hæc concupiſcibilis dicitur. Altera per quam aduerſatur iis quæ commoda ſalutariáve remouent,vel quoquomodo nocent,& hæc iraſcibilis appellatur. Vide Ariſtot:lib: 1.magnar.Moral.cap.13.& D. Thomam 1.part. quæſt.81.art.2. Ad hæc duo,quatuor illa vitiorum monſtra enumerata ab Apuleio,& ad illa quatuor, cætera propè omnia referuntur. Et hæc cauſa eſt cur illorum quatuor potiùs quàm aliorum mentio facta fuerit.

I I I.

C*Rimina picta hydra,porco.*]Vitia quæ ad concupiſcibilem referuntur,qualia ſunt auaritia,& libido. primò recenſet.Heraclides Ponticus in Homericis alleg.per hæc monſtra,vitia intelligit.

Hydra hîc auaritia ſignificatur:nam hydra nata eſt in quadam palude,ad quam & Argiui, & Mycenæi ſordes,& purgamenta deportabant. Vide Strabonem libr. 8.. Et auaritia nónne ſordes dicitur? Tullius pro L.Flacco: *Præterea illa quæ prætereunda non ſunt, nullum huius in priuatis rebus factum auarum, nullam in re pecuniaria contentionem,nullam in re familiari ſordem poſſe proferri.* Nunquid inuenitur in cœnoſis paludibus,ſordidioribus ſcilicet,auaris, quos ſordidos vocat Tullius,Horatius,Liuius,quibuſcum Gallica noſtra lingua conſentit, dum illos vocat *vilains.* Habebat multa capita hydra, etiam quinquaginta ex Heraclide Pontico,præter ſuprà memoratos. Et auaritia nónne tot,& plura habet capita, etiam mille ex Abbate illo montis Sinæ cognomento Climacho grad. 16. vbi plurimos ſapientiſſimos doctores auaritiæ ſpiritum millicipitem ſtatuere conſueuiſſe ſcribit. Martialis de auaro.

Si dederint ſuperi decies mihi millia centum,
Dicebas nondum Scæuola factus eques.
Qualiter ó viuam! quàm largè! quámque beatè!
Riſerunt faciles, & tribuêre Dij.
Sordidior multò poſt hoc toga, penula peior,
Calceus eſt ſarta térque quatérque cute.
Déque decem plures ſemper ſeruantur oliuæ,
Explicat & cœnas vnica menſa duas.

Vide vt pullulant & multiplicantur capita in hac hydra.

I V.

P*Orco.*] Libido hîc porco deſignatur:nam ex M.Varrone ſus in luto volutatur, hæc enim illius requies,vt hominis lauatio. Vetus adagium apud D.Hieronymum,& in Canonicis etiam decretis: ſus lota eſt in volutabro luti. Quibus verbis exprimi egregiè poſſit libidinoſi libido. Nam ex D. Auguſtino in Pſalm.39.per lutum limi carnales concupiſcentias intelligit,vbi ait: Profunditas iniquitatis, ex carnalibus concupiſcentiis. Hoc eſt enim & de luto limi, vnde te eduxit de profundo quodam. Et Sapiens Prouerb.11.in his verbis, *Circulus aureus in naribus ſuis, mulier pulchra & fatua,* per ſuem libidinoſam meretricem intelligit. Plotinus cùm animal hoc ſpurcũ, & voluptarium maximè ſciret,

differens

diſſerens de metempſychoſi, illius animalis corpora deinceps informaturas animas eorum ſcribit, qui vitam egerint libidinoſam. Et iudex inſerorum ille Rhadamantus huiuſmodi hominum genus petulans & Venereum in ſues condendos damnat apud Claudianum:

At qui deſidia ſemper, vinoq́; grauatus
Indulgens Veneri, ſoluit torpeſcere luxu,
Hunc ſuis immunda pingues detrudit in artus.

Duobus ſordidis animalibus, duo ſordida vitia figurata ſunt primo hemiſtichio, & ſequenti duo vitia iracunda, duobus animalibus iracundis.

V.

L*Eone.*] Horus Apollo lib. 1. Θυμὸν δὲ βουλόμενοι δηλῶσαι, λέοντα ζωγραφοῦσι. *Animum autem ſiue iram volentes ſignare, leonem pingunt:* Nam ex T. Lucretio lib. 3. de natura rer.

----calidi plus eſt illis, quibus acria corda,
Iracundaq́; mens facilè efferueſcit in ira,
Quo genere in primis vis eſt violenta Leonum,
Pectora qui fremitu rumpunt plerumque gementes,
Nec capere irarum fluctus in pectore poſſunt.

V I.

C*Ane.*] Canis à Græcis immolabatur Proſerpinæ, quam Iouianus Pontanus inuidam vocat:

Inuidit mihi te nigri Iouis inuida coniunx.

Et diaboli canis ſymbolum eſt, apud Cœlium lib. 2. cap. 13. Inuidia etiam ex D. Auguſt. de doctr. Chriſt. vitium, inquit, eſt diabolicum, quo ſolo diabolus eſt reus, & inexpiabiliter reus. Non enim diabolo dicitur vt damnetur, adulterium commiſiſti, furtum feciſti, villam alienam rapuiſti, ſed homini ſtatim inuidiſti.

Inuidi ad explendum liuorem ſuum canibus interdum vſi ſunt. In Euripidem à cœna Archelai regis Macedoniæ redeuntem, Arideus Macedo, & Craterus Theſſalus eius inuidi, quòd gratia plurimùm polleret apud regem canes rabidas immiſerunt, à quibus dilaceratus dicitur.

Alcides homines.] Vt Hercules medicus fuit, ita medici Hercules ſunt. Tertullianus Herculem ſcytaloſagittipelligerum vocat, quòd ſcytalum, hoc eſt, clauam, ſagittam, pellemq́; circumferret. Medici etiam ſunt ſcytaloſagittipelligeri: claua, ſagittis, ac leonis exuuio gloriantur. Quid enim aliud ſcytalos ſiue baculus quem ſuo dedit Æſculapio antiquitas, quàm experientia medico pernéceſſaria, quæ ei in promptu & ad manum eſſe debet? Quid ſagittæ aliud quàm pharmaca, quæ ex medicæ ſcientiæ theſauro tanquam ex locuplete pharetra archiatri expromunt, quibus morborum monſtra transfigant? Quid leonis exuuium quod herouin geſtamen fuit, quàm Æſculapicæ ſcientiæ inſignia quibus doctores medici exornantur.

Hercules à tenebricoſo Lycophrone κηραμύντης dicitur, hoc eſt *vindex & mortis propulſator*. Theſeum enim ab Orco ad vitam reduxit, & Heſionem à ceto & à morte abſtraxit. Quid ſunt Archiatri quàm vindices, & mortis propulſatores, quò ſpectant quàm vt mortem vitæ noſtræ inimicam repellant? Hercules ab Orpheo Poetarum antiquiſſimo λαοσσόος, hoc eſt, *populi ſeruator* dicitur. Et medici nónne λαοσσόοι. Quando pandemij & epidemij morbi graſſantur, &

Labentes rapiunt populos, totaſq́; per vrbes
Publica ſuccenſis peraguntur fata ſepulchris.

vt cum Manilio, quid tum medici? ſeruare populum antidotis.

Ab eodem Poeta Hercules πᾶσιν ἀρωγός, hoc eſt *omnibus opitulans* dictus eſt, quòd Hiſpanis modò Geryonem enecans, modò Thracibus Diomedem vincens, Italis etiam Cacum mulctans, deinde Scythis Amazonas ſuperans, ſubueniret. Et medicus num πᾶσιν ἀρωγός eſt? nónne omnibus opitulatur, ſtrumoſis Hiſpanis, epilepticis Hetruſcis, elephanticis Ægyptijs, phthiſicis Luſitanis, carbunculatis Tectoſagis, bronchocele afflictis ſubalpinis, peſte Sardois, lue etiam Venerea correptis & corruptis toto diuiſis orbe Braſilienſibus.

Hercules ab epigrammatographis ἀλεξίκακος nominatur, & medici quo aptiori quàm iſto nomine nuncupandi? quid enim aliud ars medina quàm ἀλεξικακία; Nónne alexipharmaca alexicaca ſunt, vt ſyrupus meliſſophylli, diamargariton frigidum, electarium de gemmis, de ambra, mithridatium, theriace, atque alia innumera cardiaca quæ deleteriis aduerſantur.

Mundum quamplurimis laborantem monſtris Hercules erexit & ſubleuauit: medicus non trecentis modò morborum ſpeciebus quas cum Græcis Arabes recenſent, ſed aliis etiam multò pluribus hactenus incognitis afflictum ſanat. Hydram Hercules innumeris pullulantem capitibus cecidit, medicus febrem variè egerminantem depellit, ephemeram, amphimerinam ſiue quotidianam, ſynochum, tertianam, hemitritæum, quartanam, colliquantem, typhodem, lipyriam, epialum, & he-

q

ſticam, quæ vt hydtæ capita repullulant. Serpentes in cunis Hercules eliſit: medicus herpetes variis puſtulis anguis inſtar in cute ſerpentes abigit. Apri Erymanrhæi dentes & minaces fauces vitauit, imò compreſſit; medicus ſynanchem & yanchem quæ vt ſuum, ita hominum fauces occupant, reprimit. Acheloum fluuium temerè & cum impetu regiones infeſtantem aggeribus coercuit & extenuauit, raodémque exſiccauit. Medicus aquam intercutem, inter peritonæum, & inteſtina effuſam humorum congeriem vel exſiccat vel deriuat. Et catharrum etiam coercet, ſupetuacuũm ſcilicet humotem, è capite in ſubiectas ſedes prolabentem qui.

- - - velut torrens vndis pluuialibus auctus,
Aut niue, qua Zephyro victa repentè fluit.
Per ſata, perque vias fertur, nec vt antè ſolebat,
Riparum clauſas margine finit aquas.

Gigantem Aothęum cubitis ſexaginta & quatuor adultũ, & terræ parentis tactu vires duplicantẽ pectori adſtrictum expirare coegit Hercules: medicus ephialtem diſcutit, quæ vt ille Terræ & Neptuni filius, Terræ & Neptuni filia eſt, craſſioris ſcilicet pituitæ & melancholiæ circum præcordia inhæreſcentium, quibus diaphragmate pulmonibúſque preſſis, craſſo etiam vapore illinc ſurſum expirato vox ſupprimitur, phantaſmatis hoſtes inuadentes obijcientibus, atque alia etiam triſtiora, mẽs obturbatur. Tam certum eſt per Herculem mythologos medicum intellexiſſe, illo vt duello notatum velint medicum dogma certiſſimum, contraria eſſe contrariis curanda, vt Anthæi nomen innuere videtur. Quid autem terra Aotæum in vitam reuocat? docetur medicus calidis ægritudinibus refrigerantia medicamenta eſſe adhibenda, non violenta tamen, ne propter antiperiſtaſin fiat abſceſſus & apoſtema,

Alc. homines.] Medici purgant ἄνω καὶ κάτω, modò per ſuperiora, vt vomitu, modò per inferiora, vt alui deiectione, addam etiam vrinæ & menſtruorum excluſione: de quibus omnibus vide Hippocratem περὶ τῆς διαίτης ὀξέων. At quarum rerum beneficio purgant medici? vi ſcilicet & efficacia medicamentorum, quæ duplicia ſunt: quædam enim manifeſta qualitate obuium quemuis humorem euacuant, dicunturque hypactica, & quadruplicia ſunt, lubricantia, abluentia, detergentia, & comprimentia, quæ in humano corpore faciunt, quod in Augiæ ſtabulo aquæ Alphei lubricantes, abluentes, & fimetum quoduis, ſiue bubulum, ſiue equinum, ſiue ſuillum detergentes. Lubricantia ſunt, quæ vias ductúſque inæquales lenta pinguique ſua ſubſtantia ita lubricant, vt illis humores adhærere cùm non poſſint diffluant. Cuiuſmodi ſunt caſſia, manna, pruna, althæa, iura pinguia, & ſimilia. Abluentia, quæ ſordes diluendo vias ſternunt & complanant, vt ius galli annoſi, *braſſicæ*, mercurialis, hydromel, ſerum lactis, aqua hordei. Detergentia, quæ ima ſubeundo ſordes abradunt, vt mel, aloe, centaureum minus, ariſtolochia, & id genus alia. Comprimentia ſunt, quæ non immediatè per ſe purgant, ſed quatenus vaſa contrahunt, vt humor contentus exprimatur, vt myrobalani, tamarindi, & alia adſtringentia.

Alia ſunt medicamenta quæ vnum certum & determinatum humorem purgant, & propriè cathartica appellantur, & hęc vel ſunt cholagoga, quæ bilem educunt, vt rhabarbarum: vel melanagoga, quæ melancholiam, vt ſenna: vel phlegmagoga, quæ pituitam, vt agaricus: vel hydragoga, quę aquas, vt elaterium. Medici igitur purgant, ſed per pharmaca, quæ nequaquam per ſe tantùm humores eliciunt, ſed facultatis expultricis beneficio, quam excitant & dirigunt vt humores certos extra corpus propellat. Nam ſi purgatio tantùm fieret, quia pharmaca humores ad ſe pellicerent, vnguentum arthanitę verbi gratia hypogaſtrio inunctum non aluum deiiceret, & illitum ſtomacho non vomitu purgaret, ſed ad ſe verſus ſuperficiem mouendo & aluum & ventriculum retineret. Atque ita Augeę ſtabulum purgat Hercules, ſed non ſine Alpheo: medicus homines purgat, ſed non ſine medicamento: & medicamentum, vt ait Meſueus de re med. theorem. 1. humores purgat, ſed non abſque natura, pharmaci actionem inchoante & dirigente.

V I I.

H*omines purgat.*] Hæc referuntur ad illa primi carminis *ſtabulum purgat*, homines enim cacochymi viua ſtabula ſunt. Sanctus Iobus cap. 20. hominem anima & corpore malè affectum ſterquilinium vocat, quod idem eſt ac ſi hominem ſtabulum vocaret, *quaſi ſterquilinium in fimo perdetur, oſſa eius implebuntur vitijs adoleſcentiæ.* Cùm quis igitur vitiis in adoleſcentia admiſſis malos coaceruauit humores, veluti ſterquilinium, ſiue ſtabulum eſt. Quemadmodum igitur Hercules Augeę ſtabulum fimo plenum repurgauit, non equidem bipalio, furcis, ac tridentibus, ſed aquis Alphei: ita medicus viua ſtabula, homines inquam, à bile vitellina, porracea, æruginoſa, necnon glaſtea, nigra, picea à pituita acida, ſalſa, mucoſa, vitrea, gypſea, à ſanie etiam, pure, fece, & recrementis omnibus infarctos expurgat.

Homines.] Homines rectè additum. Aliqui enim purgant qui non ſunt medici, quia non purgant homines, ſed equos, quales ſunt veterinarij. Medicorum autem eſt purgare homines. At quos homines? medię ſcilicet ętatis, qui cacochymia laborant. Illi enim ſunt qui omnium maximè purgationem

nem ſuſtinent, ęgrè infantes & ſenes. Illi quidem, quia cùm rara habeant corpora facillimè diſſoluuntur & colliquantur: iſti verò, quia cum indigi ſint ſanguinis & ſpirituum, proſterni facilè poſſunt. Propriè igitur homines ętatis medię: non tamen omnes, ſed ij potiſſimùm purgandi qui abundant prauis ſuccis ſiue humoribus qualitate peccantibus, quíque à natura facilè edomari, aut in vtiliorem ſubſtantiã conuerti non poſſunt: nã ex Hippoc. lib. 2. aphor 36. Οἱ ὑγιεινῶς ἔχοντες τὰ σώματα ἐν τῇσι φαρμακείῃσι καθαιρόμενοι ἐκλύονται ταχέως. *Qui ſunt ſano corpore dum pharmatia purgantur, celeriter exoluuntur.* Quod & Galenus ibidem confirmat.

Frænatq; catharros, Hercules Acheloum campos, ſegeteſq; deuaſtantem aggeribus coercuit, tandémque exſiccauit. Medicus aquam intercutem inter peritonæum & inteſtina effuſam humorum congeriem vel exſiccat vel deriuat. Et catharrum etiam ſuperuacuum ſcilicet humorem è capite in ſubiectas partes prolabentem tantis cùm incommodis, non ſine paralyſi, ſtupore, tremore ſi in neruos: in oculos non ſine amautoſi, glaucomate, ophthalmia: in reliqua ſenſuum organa non ſine ſurditate, tinnitu, grauedine: in fauces & aſperam arteriam non ſine broncho, in pulmones non ſine tuſſi, aſthmate, phthiſi, perineumonia, in ventriculum non ſine cruditate, in inteſtina non ſine alui profluuio, in hepatis venas non ſine obſtructionibus, in externas corporis partes non ſine dolore lateris, lumborum, brachiorum, humerorum, oculorum, dentium, adenũ, coxendicis, crurum, diuerſorumque articulorum, humorum Acheloos ita infenſè decidentes atque exundantes coercet medicus & exſiccat. Catharrus eſt defluxus humoris excrementitij a capite in alias partes, geniti propter coctionem capitis læſam, vel alteratricis vitio, vel alimenti. Medici periti frænant catharros quatuor ſcopos adimplentes. Primò materiæ generationem prohibentes, imperantes aerem modicè calidum, aquilone nec auſtro perflatum, Lunæ & Solis radiorum, edacitatis & crapulæ, ſomnij diurni, etiam breuis, nocturni diuturnioris, vberioris cœnæ, intempeſtiuarum commeſſationum, vini meracioris, & rerum omnium καρηβαρικῶν caput tentantium & vaporoſarum fugam. Præſcribendo etiam in ſecunda menſa carnem cydoniorum, pyra cocta & auſteriuſcula, coriandrum, & alia id genus.

Secundò fontem catharri exhaurientes, præſcribendo, ſiquidem acres humores ſunt, & ad maiorem fluxum paratæ, ἄδηκτα, & lenientia medicamenta, quæ parum purgant & plurimum attemperãt, veluti caſſiam iteratam, deinde ſennam, rhabarbarum in varia forma. Pilulas de rhabarbaro, aggregatiuas, &c. Materia verò ſi frigida, præſcribendo agaricum, pilulas maſtichinas, coccias, ſine quibus, & de agarico. Valida etiam enæmata ſi ſuffocationis periculum immineat, ex decocto florum ſthœcados, maioranæ, ſaluiæ, origani, calaminthæ, maluarum, ex hiera, picra, melle roſato, &c.

Tertiò commoti catharri impetum deriuantes, reuellentes vel omnino ſiſtentes, modù enæmata, & medicamenta prædicta imperando, deinde & non ante ſternutamenta ex caſtoreo, pipere, & elleboro. ἀνακογχυλισμοὺς ſiue gargariſmos ex maiorana hyſſopo, origano: errhina ex ſucco violarum, & aqua hordei in cauſa calida, in frigida verò ex ſucco ireos, maioranæ, betæ, ex cyclamine, pyrethro, & ſemine melanthij: apophlegmatiſmos ex pyrethro, pipere, maſtiche, cortice radicum capparum, paſſulis & cubebis, vt quod catharri ſupereſt ad os euocetur, maximè ſi materia ſit craſſa, nam ſi tenuis non ita properè nec in principio, hæc præſidia præſcribunt; ad os enim ſeipſa fertur, & ſi concitaretur periculum foret ne ad aſperam arteriam, & pulmones ferretur, quod ſedulò cauendum eſt ex Galen. 6. pop. part. 2. com. 32. expectant igitur vt materia ſit probè cocta, & caput nõ ita plenum. Præſcribunt etiam ligaturas ἐπωδύνας hoc eſt *dolorificas*, frictiones extremarum partium; ſudorem excitandum cum decocto ſalſæ parillæ, pyrotica in variis corporis partibus, cucurbitulas brachiis, ſcapulis, natibúſque affigendas. Sinapiſmos etiam ſed tantum in frigidis humoribus & intemperantiis. Nam in calidis maiorem excitant catharrum atque augent intemperiem. Phlebotomiam etiam, modò ea quatuor adſint, quæ Meſuæus cap. de catharro requirit, ſcilicet corporis plethora, generatio à iocinore calidiore, & ſanguine ſubtiliſſimo, fluxio in partem cuius officio vita carere nequit, & febris. Trochiſcos & catapotia ex corallo rubro, ſpica nardi, roſis rubris, bolo Armena, terra ſigillata, maſtiche, conſerua roſarum antiquarum, diamorum, dianucum, diatragacanthum frigidum, ſyrupum papauerinum & violatum.

Quartò caput corroborantes, intemperici & mali reliquias emendantes præſcribendo diamoſchum, diambram, mithridatium, theriacam ætatis mediæ. Conſeruas ſaluiæ, betonicæ, roriſmarini, acori, corticem citri conditi, radicem cyperi, cucuphas ex foliis lauri, origani, ſaluiæ, betonicæ, maioranæ, ex chamæmilla, meliloto, ſtœcade, mace, cinnamomo, nuce moſcata, caryophyllis, thure, maſtiche, roſis rubris. Sacculos ex ſale, milio, furfure, &c. Globulus odoriferos ex gallia moſcata, ſtyrace, calamintha, ladano, cubebis, aqua maioranæ, &c. Suffitus ex ligno aloes, moſcho, thure, lauro, &c. Vnguenta ex oleo rutaceo, anethino, &c.

IX.

Monſtraq; corporibus &c. Vt ſanitas legitima & perfectę naturę ſoboles eſſe videtur, ita morbus aberrantis naturæ monſtruuſus veluti partus. Ita concinnè monſtro morbus figuratur, vt qui monſtrũ dicit, morboſum dicere videatur. Quod vt liquidum fit monſtrum quumodo, quomodo etiam mor-

bus fiat inquiramus ſicque τερατεία ſiue *monſtroſitas*, ſi fas ſit dicere, morbus eſſe iudicabitur.

Monſtrum fit vel quia error eſt in conformatione, vt ſi caput longius ſit, quale habebat monſtrū, quod paucis antè annis in Petrocorico vico ſe vidiſſe ſcribit Guyonus. Vel quia [illegible] eſt in magnitudine aucta aut imminuta: vt ſi aures longiſſimæ ſint, quales Panotiorum, quos in Scythia Iſidorus eſſe ſcribit, totúmque corpus auribus ſuis contegere. Vel vitium eſt in numero excedente aut deficiente: tale monſtrum viſum eſt in Italia eo die, quo Ligures, & Veneti poſt multas editas ſtrages, pacem firmarunt, quatuor id habebat brachia, & crura quatuor. Poſtremus error circa monſtrum eſt in ſitu: tale monſtrum natum eſt Arelates anno 1567. quod diſſectum eſt præſente cel[illegible] medico Valeriola. In fronte illi erat vmbilicus, oculi vbi os eſſe ſolet, os verò ſub mento. Hæc ead[illegible] in morbo videamus, ex omniū medicorum ſententia. Quatuor ſunt genera morborum organicorum, v[illegible] conformationis, ſi membrum aliquod non aptè ſit conformatum ad ſuas obeundas actiones, vt ſi caput ſit longius, qualia erant quorundam populorum μακροκεφαλῶν, quorum meminit Hippocrates lib. de aere, aquis, & locis. Alterum genus morbi organici naſcitur vitio magnitudinis, cùm pars aliqua aut ſupra conuenientem naturæ modum, aut infra ſubſiſtit, vt glandes cum ſtrumis penis cum priapiſmo, vel idem exiguiſſimus. Tertium genus morbi organici, vitio numeri euenit, & in exuperantia, vel defectu alicuius partis præter naturam conſiſtit, vt ſex digiti in vna manu, vel quatuor tantum. Quartum morbi genus, eſt in deprauato ſitu, & connexione ſiue conſenſu, vt enterocele. Ex his liquet monſtroſitatem morbum eſſe. Concinnè igitur monſtra morbi vocantur.

Monſtra in emblematis verſibus expreſſa quatuor ſunt;

—— *Sus, Canis, Hydra, Leo.*

Primò igitur ſus, qua morbus Cynanche. Cùm enim ſit inflammatio, quæ crebrò internos [illegible] ſuis muſculos apprehendat, ſtrangulétque id animal, ὗς δὲ βραγχᾷ, &c. ſcribit Porphyrius lib. περὶ ἀποχῆς ἐμψύχων. *Sus verò affectibus gutturis eſt obnoxia*: cur ſue non repræſentabitur?

Secundò canis, qua canina appetentia notatur, quæ nihil aliud eſt ex 1. de ſympt. cauſ. cap. 7. quam inſatiabilis edendi cupiditas, in qua ægri multum quidem vorant, ob intemperiem frigidam cum materia frigida, os ventriculi corrugantem, ſed aut vomitu reiiciunt, aut per aluum excern[illegible]nt, vt faciunt canes, vnde nomen deductum, κυνώδης ὄρεξις ſiue caninus appetitus, canum enim fames maxima. Pſaltes regius Pſalm. 58. *Conuertentur ad veſperam, & fame conficientur vt canes*, de famelicis & mendicis Iudæis loquens. Canis igitur pro appetitu canino.

Tertiò hydra, hydra autem pro febre. Hydram Hercules innumeris repullulantem capitibus cecidit: medicus febrim variè egerminantem depellit: ephemeram fugacem, quartanam tenacem, *ſynochum* triplici caloris diuerſitate feruidam, epialum intrà frigidum, extrà calidum, & lipyriam interno calore externoque frigore contrariam, typhodem, phlegmatodem, multáſque nothas multiplici humorum putri mixtura variabiles, quæ vt hydræ capita repullulant.

Quartò Leo: Leone autem Phrenitis notatur. εἰ δὲ θυμὸν, ἄμετρον, ὅστις καὶ ἐκ τούτου πυρέττει τὸν θυμούμενον, λέοντα γράφουσι. ait Horus apollo. *Quòd ſi immoderatam iracundiam, ex qua qui ea eſt commotus febrim contraxerit, Leonem pingunt.* Phrenitis autem furor eſt cum febre acuta, & membranarum cerebrum obuelantium inflammatione.

MEDICVS

MEDICVS.

EMBLEMA XI.



Arte Dei medica barbati laua bacillum,
Et colubro, nodis & tenet implicitum.
Nodoſa ars medica eſt, dat ſuſtentacula fractis,
Illa fugat ſenium, non fugit illa ſenes.

Hieroglyphica.

BARBA hieroglyphicum *EXPERIENTIAE*. num. I. & VII. *PERFECTIONIS, DISCRETIONIS, SAPIENTIAE, & MAIESTATIS*. num. II.

BACVLVS hieroglyph. *FVLCIMENTI, AVXILII*. num. III. & VII. *CONSOLATIONIS*. num. III.

SINISTRA MANVS hieroglyph. *MORBORVM & RERVM ADVERSARVM*. num. IV.

SERPENS hieroglyph. *PERSPICACITATIS*. num. V. & VII.

NODVS hieroglyph. *DIFFICVLTATIS*. num. VI. & VII.

SEDENS hieroglyph. *TRANQVILLI & PACATI*. num. VII.

SCEPTRVM hieroglyph. *IMPERII*. eod. num.

DRACO hieroglyph. *IVVENESCENTIS*. eod. num.

GALLVS hieroglyph. *VIGILANTIAE*. eod. num.

CANIS hieroglyph. *FIDELITATIS*. eod. num.

I.

PHILOSOPHVS Albricus ita de Æſculapio; Æſculapius dictus eſt filius Apollinis, qui Deus medicinæ,& medicorum putabatur. Eius imago erat homo quidam,cum barba valdè prolixa, indutus habitu medici, ſedens in cuius ſinu erant pyxides vnguentariæ: & alia inſtrumenta ad medicum pertinentia, cuius manus dextra barbam tenebat, ſiniſtra verò baculum cum ſerpente geſtabat intorto.

Arte Dei medica.] Æſculapii,qui medicina immortalitatis honorem ſibi conciliauit. Corn. Celſus in limine ſui proemij: Veruntamen apud Græcos aliquanto magis, quam in cæteris nationibus exculta eſt: ac ne apud hos quidem à prima origine, ſed paucis ante nos ſæculis, vt pote vetuſtiſſimus autor Æſculapius celebretur. Qui quoniam adhuc rudem & vulgarem hanc ſcientiam paulò ſubtiliùs excoluit, in Deorum numerum receptus eſt. Tertull. de corona mil. Primus,inquit,medelas Æſculapius explorauit. In emblemate Medicina Ars vocatur, in hac tamen Celſi auctoritate Scientia. Quomodo iſta concilianda ſunt Artem eſſe & eſſe Scientiam. Huius dubij diſtinctiones,ſolutionéſque infrà afferentur.

I I.

B*Arbati.*] Ex Albrico allato pingebatur cum promiſſa barba Æſculapius, extant etiam hodie numiſmata ex quibus id conſtat. Epidauri ſtatua erat Æſculapij cum aurea barba, illam Dionyſius Syracuſanus demi iuſſit: quòd affirmaret,non conuenire patrem Apollinem imberbem, ipſum verò barbatum conſpici. Barba in Æſculapio ſignificat in medico multarum rerum vſum neceſſarium. Iuuenes enim rerum vſum non habent, habent verò ætate prouectiores. Galenus commonefacit medicos quicunque affectiones, ex ſenſuum indiciis conſecututos ſe putant, ne in ſolis libris fiduciam habeant,ſed ſæpè ſæpiùs ægritudine detentos adeant, videant, conſiderent. Auicenna in procemio vniuerſam ſuorum canonum doctrinam teneri à medico vult, quod verò præterea neceſſarium eſt,libris comprehendi minimè poſſe dicit,innuens præter ea quæ ex libris haurire poſſumus addendam experientiam. Quæ profectò conueniunt cum iis quæ habet Galenus 9 meth.cap. 6. his verbis: Pro comperto habentes non licere vllius artis ſcientiam nanciſci, niſi & methodum quandam habueris per vniuerſalia vocata theoremata, & in particularibus te exemplis exercueris, cum neque fieri poſſit,vt ſine multiplici in ægris ſingulatim exercitatione,quod ex vſu fit facias,nec ſine vniuerſalium cognitione probè exercitatio procedat. Et Romanus Orator lib. 1. de offic. Nec medici,inquit nec imperatores,nec oratores,quamuis artis præcepta perceperint, quicquam magna laude dignum ſine vſu & exercitatione conſequi poſſunt. Illa autem in iuuene eſſe non poteſt, quia ætas vſum denique affert, vt ſcribit idem Orator lib. 2. de orat. Et Pallas apud Ouid. lib. 6. metamorph.

---ſeris venit vſus ab annis.

Id cauſæ eſt cur Iapidem Æneæ medicum, ſeniorem fecerit Virg. lib. 12.

---- - ille retorto

Pæonium in morem ſenior ſuccinctus amictu

Multa manu medica, Phœbiq́ potentibus herbis, &c.

Silius Ital. lib. 5. Synalum Annibalis medicum etiam ſeniorem facit:

---medicas hinc ocyus artes

Et ſenioris opem Synali vocat.

Perſæ ſuos medicos vocant vt refert Theuetus lib. 10. cap. 12. *Aragol-abamas*, quæ dictio patrem nobilem ſignificat; quippe apud illos ſolis ſexagenariis remedia præſcribere conceditur.

Barba ſignificat perfectionem, diſcretionem, & ſapientiam, vt ex D. Auguſtino patet in illa Pſalm. 113. *Sicut vnguentum quod deſcendit in barbam, barbam Aaron*, & Heſychio in illa Leuit. 21. *nec radent caput nec barbam.* Leuitæ, & Deo ſacri homines perfecti, diſcreti, & ſapientes eſſe debent inter cæteros mortales,nihil de illis virtutibus detrahendum. Medici huiuſmodi eſſe debent. Quotus enim quiſque eſt qui velit imperito,temerario,& fatuo vitam ſuam committere? Iuuenes autem vt plurimum temerarij,parúmque prudentes ſunt:

---iuuenum temeraria pubes,

ait Auſonius.

αἰεὶ γάρ τε νεώτεροι ἀφραδέουσιν,

dicit Reginæ Aretæ Vlyſſes apud Homerum, *ſemper enim iuuenes deſipiunt.* Annoſiores contrà ſolent eſſe prudentiores. Apud eundem Poetam, ſed non eodem opere quo præcedentia, Iliad. 4 Neſtor ſenex de ſe:

Ἀλλὰ καὶ ὥς, ἱππεῦσι μετέσσομαι, ἠδὲ κελεύσω

Βουλῇ καὶ μύθοισι, τὸ γὰρ γέρας ἐστὶ γερόντων.

Verumtamen ſic etiam equitibus intererо, & hortabor conſilio, & verbis, hoc enim munus eſt ſenum. D. Ambro

us

ſius de interpellatione lib. 1. cap. 7 Habet, inquit, ſenectus prudentiam. Et ſtatim pòſt: Adoleſcentia ſola eſt inualida viribus, infirma conſiliis, vitio calens, faſtidioſa monitoribus, illecebroſa deliciis. In tanto igitur naufragio, & ſcopuloſo mundi huius turbine, cur tam crebra naufragia improuidæ adſcribuntur ætati? Non igitur iuuenili forma pingi debuit medicus, qui prudentia & ſagacitate eminere debet. Et hæc vna de multis cauſa eſt cur barbatus fuerit Æſculapius.

Barba in homine dignitatem habet. Diogenes Cynicus apud Lucianum tantum hominibus ornamenti in barba eſſe dicit, quantum in iubis leonibus. Et Artemidorus oneirocr. lib. 1. cap. 32. filios tantum ornamenti patribus afferre dicit, quantum ori barba decoris addit. Pontifices, Patriarchæ, Philoſophi, & Reges noſtri olim barbati erant maieſtatis ergò. De poſteris Imperatoribus Maximilianus Imp. conſuetudine barbatorum delectabatur. Is Legatum Venetum quòd imberbis foret nunquã ad colloquiũ admittere voluit. Lege in Liuio 1. dec. quantũ promiſſa barba venerabiles fuerint Senatores Roma à Gallis capta. Medicorum certè dignitas & grauitas longum barbitium expoſcit. Et hæc etiam vna ratio eſſe poteſt cur promiſſa barba data ſit Æſculapio.

I I I.

Bacillum.] Baculus Æſculapio datus eſt. Sidonius libr. 4. epiſt. 3. Tenete non abnuit cum Orpheo plectrum, cum Æſculapio baculum, cum Archimede radium, cum Euphrate horoſcopium, cum Perdice circinum, cum Vitruuio perpendiculum. Ouidius:

Hic modò ſerpentem, baculo qui nexibus ambit
Perſpice.

Apul. lib. 1. Aſin. aur. Diceres Dei medici baculo, quòd ramulis ſemiamputatis, nodoſum gerit, ſerpentem generoſum lubricis amplexibus inhærere.

Baculus fulcimentum ſignificat & auxilium, etiam apud Ægyptios, qui poſt æquinoctiũ autumnale ſolem baculo indigere dicebant, quòd calor, eiuſque lumen in dies minuerentur, cuius rei & ipſi feſtum celebrabant. Plutarchus libello de Iſid. & Oſir. Octauo, inquit, die τοῦ φθίνοντος φαωφὶ, id eſt *abeuntis Phaophi*. Feſtum rurſus agunt, quo baculos ſolis naſci ferunt: id poſt autumnale æquinoctium celebrant, ſic demonſtrantes ſolem robore ac firmamento indigere. Certè baculus infirmorum ſuſtentaculum eſt. Vnde in ſacris codicibus pro auxilio, ſuſtentatione, & conſolatione ponitur, vt habet Eucherius in quæſtionibus ex hoc Pſal. 22. *virga tua & baculus tuus ipſa me conſolata ſunt.* Tobias à matre vocabatur baculus ſenectutis Tob. 5. & alibi eadem mater de filio dicebat: *Vt quid te miſimus peregrinari, lumen oculorum noſtrorum, baculum ſenectutis noſtræ, ſolatium vitæ noſtræ, ſpem poſteritatis noſtræ.* Certè in hoc baculo, hoc eſt, in ope medica, tranſeunt ægri Iordanem, aquas ſcilicet afflictionum, quæ à morbis ſunt. Cleomenes Atheniensium Dux in inſaniam verſus omnibus habebatur exoſus, ideóque nunquam non geſtabat baculum inter obambulandum, quo impetentes propulſabantur. Æſculapio igitur baculus dabatur, vt ſignificaretur infirmorum eum eſſe ſuſtentaculum & defenſionem.

Baculus qui datur Æſculapio ſignificat etiam ex morbo conualeſcentes, debiles adhuc & languidos aliquo adminiculo indigere, debereque ſenſim ad grauiora munia accedere, ne ſi nimium præcipitanter ſe gerant, in morbum recidant.

I V.

Læua.] Pars hominis ſiniſtra debilior eſt; quod in homine, quàm in brutis verius. Ratio eſt, quia pars læua frigidior dextra. Iam læua Æſculapij baculum tenet non dextra, quia non opus eſt benè valentibus medicis, ſed malè habentibus. Quod argutè obiecit Catharinæ Mediceæ Franciſcus à Turnone S. R. E. Cardinalis ſingulari potentia, ſapientia, & omnium virtutum laude ſummus. Læua in ſacris paginis pro morbis, incommodis, & rebus aduerſis vſurpatur, vt habet Gloſſa ordin. in illa verba Abrahami ad Lot, quæ 13. Geneſ. habentur: *Si tu ad ſiniſtram ieris, ego dextram tenebo.*

V.

Et Colubro.] Æſculapius cum baculo angue implicito pingebatur, vt ex antiquis numiſmatis & marmoribus conſtat, præter auctores plurimos, quia cùm Glaucum ſanaret, manúque baculum cùm quid ageret, agitaret, dicitur ſerpens ad baculum eius arrepſiſſe, quem Æſculapius mente commotus interemit, bacillo fugientem ſæpius feriens. Illo interfecto ſerpens alter aduenit, ore ferens herbam, & in caput cæſi ſerpentis impoſuiſſe, quo factò vtrunque illinc fugiſſe. Quod cùm Æſculapius notaſſet, eadem herba Glaucum ab inferis reduxit, vitæque reſtituit. Pro qua re fulmine ictus à Ioue periit, qui deinde inter ſidera dicitur conſtitutus anguem tenens, qui Græcè Ophiuchus. Vide Hyginum lib. 2. In baculo Æſculapij ſerpentes inde conſtituti ſunt. Et ex hac conſuetudine poſteritas inſtituit,

ſtituit,authore eodem Hygino,vt medici anguibus vterentur,Ipſemet Æſculapius ſub ſerpentis forma colebatur.Florus narrat graui peſtilentia Romanos affectos & infectos Apollonis oraculum cõſuluiſſe:ex quo reſponſum eſt: vt Æſculapium Epidauro adducerent.Nobiliſſimi deinde legati cùm ſimulachrum Dei petitum ad Epidaurios iuiſſent,Æſculapius in ſerpentem verſus eſt.

——— criſtis aureus altis
In ſerpente Deus prænuncia ſibila miſit,
Aduentúque ſuo, ſignúmque, aráſque, foréſque,
Marmoreúmque tholum, faſtigiáque aurea mouit,
Pectoribúſque tenus media ſublimis in æde
Conſtitit, atque oculos circumtulit igne micantes.

Per mediam Epidaurum lapſus nauem legatorum conſcendit, cum quibus vectus Romam venit.

Erigitur ſerpens, ſummóque acclinia malo
Colla mouet,ſedéſque ſibi circumſpicit aptas.

Inſulam Tyberis eligit,ibiq́; ſe virgultis occulit,qui locus draconis nominatur. Adi Titum Liuium, Val.max.lib.1.Ouid Metamorph.& Arnob.lib.7.aduerſus gentes.Ex Epidauro tamen, inquit, quid eſt aliud allatum,niſi magni agminis coluber; fidem ſi annalium ſequimur, & exploratam eis attribuimus veritatem,nihil(vt conſcriptum eſt)aliud,quid ergo dicimus;Æſculapius iſte, quem prædicauit Deus præſtans,ſanctus Deus,ſalutis dator,valetudinum peſſimarum propulſator,prohibitor,& deſtructor,ſerpentis eſt forma & circumſcriptione,per terram reptans,cœno natis vt vermiculis mos eſt,ſolum mento radit & pectore,tortuoſis voluminibus ſe trahens, atque vt pergere prorſus poſſit, partem ſui poſtremam conatibus prioris adducit.Inter ὀξυδερκῆ medicamenta noſtri practici ſerpentẽ laudant.Viperas quidam fimo ſepeliunt,vnde gignuntur vermes, & aqua diſtillatur mirabilis. Ab aliis viperinus adeps,cum viperis theriaca,& rebus ocularibus diſtillatur. Viperarum capita cremantur olla:cinis cum cremore lupinorũ ſubigitur, & illinitur temporibus.Lud. Mercatus lib. 1. de intern.morb. curatione cap.20.exuuium ſerpentis tritum, cum melle admixtum atque illitum prodeſſe oculis ſcribit.Serpens cùm acutè videat aciei oculorum confert. Macrobius. Saturn.lib. 1.cap. 20.auctor eſt Æſculapio ideo draconem fuiſſe datum, quòd ſit acie acutiſſima & peruigili. Vnde ἀπὸ τοῦ δέρκειν id eſt *videre* nuncupatur:Porphyr.lib.3.Apoches. Τίς μὲν γὰρ ἀνθρώπων τοσοῦτος βλέπει, ὡς δὲ γὰρ ὁ μυθευόμενος λυγκεύς, ὅσον ὁ δράκων: ὅθεν καὶ τὸ βλέπειν δρακεῖν λέγουσι οἱ ποιηταί. *Quis enim hominum ita acutè videt,vt in omnium ore verſans lynceus,aut ipſe Draco: à quo Poeta* δρακεῖν *dicunt pro videre.* Certè Horatius lib.1.Sat.3.ſerpentem Epidaurium pro oculatiſſimo animali ponit:

——— tam cernis acutum,
Quàm aut aquila,aut ſerpens Epidaurius.

Macrobius in capite proximè citato, viceſimo ſcilicet libri primi Saturnaliorum ſuorum medicum talem eſſe debere præſcribit, qui acie mentis vel commoda vel incommoda in corpore mortalium prænoſcat. Vt enim ſcribit Hippocrates in prognoſticorum limine τὸν ἰατρὸν δοκεῖ μοι ἄριστον εἶναι. πρόνοιαν ἐπιτηδεύειν προγινώσκων γὰρ καὶ προλέγων παρὰ τοῖσι νοσοῦσι. τά τε παρεόντα καὶ τὰ προγεγονότα, καὶ τὰ μέλλοντα, ἔσεσθαι τολμᾶν ἐπιτρέπειν τοὺς ἀνθρώπους σφέας τῷ ἰατρῷ. *Medicum prænotionem adhibere optimum eſſe mihi videtur.Prænoſcens enim & prædicens apud ægrotos, & præſentia, & præterita, & futura, audebunt homines ſeipſos medico committere.*

Idem Macrob.ideo ſalutis & Æſculapij ſtatuis figuræ draconum iunguntur, quia præſtant vt humana corpora velut infirmitatis pelle depoſita ad priſtinum reuireſcant vigorem, vt reuireſcũt dracones per annos ſingulos,pelle ſenectutis exuta.

Plinius lib.29.c.4.aliam rationem reddit:angui inquit, ineſſe multa remedia creduntur, & ideo Æſculapio dicatur. Serpentis oculum dextrum adalligatum contra epiphoras, ſi ſerpens viua dimittatur,ſcribit eod.lib.cap. vlt. ſenectutem vernatione ſerpentium exutam, ſi affricetur, claritatem facere,ibid.dentem anguineum adalligatum dolores minuere,lib.30.cap.3. Vana certè remedia Pedanius Dioſc.lib.2.cap.15.Viperinæ,inquit,carnes ſi coctæ edantur, claritatem oculis afferunt,neruorum vitiis auxiliantur:increſcentes ſtrumas reprimũt. Adiiciunt aliqui longam ſenectam acturos qui de cibo veſcuntur. Vipera curari elephantiaſim duorum in Aſia & Miſia hominum experientia cõprobat Galenus ad princ.lib.11. de ſimp. medic.facult.qui elephantiaſi, ab exhauſto vino,cui immortuæ fuerant viperæ cadentibus puſtulis & renouata anguium & oſtreorum in morem pelle, ſani euaſerunt.Lactant.de ira Dei cap.13.Viperam ferunt exuſtam in cinerémque dilapſam mederi eiuſdem beſtiæ morſui.Tertullianus ſcribit ideo ceruos diutius viuere, quia ſerpentibus quibus iuueneſcunt,paſcuntur.

Serpens hieroglyphicum etiam eſt prudentiæ illius quam in medico expoſcunt omnes. *Eſtote prudentes ſicut ſerpentes*,dicebat Chriſtus diſcipulis Matt.10. Hac auctoritate innixi Valentiniani quidam vt eſt apud D. Irenæum, illam ſuam Sophiam ſerpentem factam dicebant, aduerſantem Adami creatori,infundentémque hominibus rerum ſcientiam,indéque ſerpentem omnium ſapientiſſimum haberi volebant. Cum prudentia tempori iungatur, ſerpente in circulum arcto, non prudentiam tantùm,ſed & annum & æuum expreſſerunt, vt refert D.Cyrillus, & ante eum Horus Apollo, qui

ſerpentes

ſerpentes in tres diuidit ſpecies Tempus etiam in tria diuiditur tempora, præteritum, præſens, & futurum. *Prudentia* etiam, vt ſcribit D. Auguſtinus ſermone de prudentia ad Eremitas, *docet quomodo præſentia ordines, quomodo præteritorum recorderis, & quotidie futura prouideas.* Quæ profectò prudentiam medici imprimis ſpectant, qui vt Calchas ille Theſtorides apud Homerum Iliad. *α* ὀιωνοπόλων ὄχ' ἄριστος *Augurum longè præſtantiſſimus* videre debet.

Ος ἤδη τάτ' ἰόντα, τάτ' ἐσσόμενα, πρότ' ἰόντα,
Quæ ſunt, quæ fuerint, quæ mox ventura trahantur.

Quod quidem per tria capita in Apollinis ſimulachro factum inuenimus, cuius pedibus inſolitæ magnitudinis ſerpens triceps ſubijciebatur. Diuinus Hippocrates his verbis dat initium ſuis prognoſticis: τὸν ἰατρὸν δοκέει μοι ἄριστον εἶναι, πρόνοιαν ἐπιτηδεύειν. προγινώσκων γὰρ καὶ προλέγων παρὰ τοῖσι νοσέουσι τά τε παρεόντα, καὶ προγεγονότα, καὶ τὰ μέλλοντα ἔσεσθαι. ὁκόσα τε παραλείπουσιν οἱ ἀσθενέοντες ἐκδιηγεύμενος πιστεύοιτ' ἂν μᾶλλον γινώσκειν τὰ τῶν νοσεόντων πράγματα. *Medicum prænotionem adhibere optimum eſſe mihi videtur. Prænoſcens enim, & prædicens apud ægrotos, & præſentia & præterita & futura, & quæ ægrotos prætereunt exponens, fidem vtique fecerit quòd ægrotorum res magis cognoſcat.* Serpens apud Maronem Georg. lib. 3.

----*linguis micat ore triſulcis.*

Et de Martio angue Ouid. lib. 3. Transformat.

Treſq; micant linguæ.

Medicus qui præterita, præſentia, & futura nouit, & recenſet, triſulcam linguam non ad perniciem, ſed ad ſalutem habere videtur.

V I.

N*Odis & tenet implicitum.*] Nodoſo Æſculapij baculo difficultas artis medicæ ſignificatur. Nodoſa enim, aſpera, intractabilia, & ἄπειρα ſunt. Ludouicus Dux Aurelianenſis Caroli V I. frater baculum nodoſum pro ſymbolo habebat, quo ſe ambire difficilia connotabat. Vbicunque nodi ſunt, ibi & difficultates. Nodus in ligno, aſciæ & dolabræ reſiſtit; nodus in fune, digitis; in filo vnguibus. Verba D. Hieronymi epiſt. ad Oceanum, malo arboris nodo malus cuneus requirendus, ad ſuperiora referri poſſunt, vt & illa Feſti, Terentij in Andria, & Meſſenionis ſerui in Menæchnis Plauti, in ſcirpo nodum quæris, quæ difficultati quæſitæ nulla ſit, applicari poſſunt. Horatius in arte poet.

Nec Deus interſit, niſi dignus vindice nodus
Inciderit.

Quod Acron interpretans, Tunc, inquit, perſona numinis debet interſeri, quoties adeò difficilis res eſt. vt nonniſi interuentu numinis explicari poſſit. Virgilius vt ſignificet Abantem Rutulis ſummas difficultates creare, eum vocat

--*pugnæ nodumq;, moramq;*,

lib. 10. Æneid.

Nodoſa ars medica] Hippocrates lib. *de veteri medicina* Medicina, *inquit*, nec ſimplex, nec facilis. Galenus in locum Hippocratis proximè citandum: Artis, *inquit*, medicæ magnitudo vitam ſuperat humanam, adeò vt ab homine quantumuis diligente ac induſtrio nequeant & inchoari & ad finem vſque perduci. Difficilis igitur eſt quia μακρὴ, ſic enim eam vocat diuinus Hippocrates in ipſo ſuorum aphoriſmorum limine. Quomodo nō eſſet longa quæ non arctioribus terminis quàm ipſa natura coarctatur. Vtitur herbis omnibus, fruticibus, arbuſtis, arboribus, ſentibus, plantis. Floribus nonſolùm arborum & plantarum, ſed aliarum etiam rerum, vt ſalis & aeris, ſurculis, folijs, capitulis, fructibus, ramis, acinis, graminibus, ſeminibus, ſuccis, frugibus, ſtirpibus, corticibus, non ſolùm arborum ſed & leguminum: radicibus, liquoribus, lachrymis, odoramentis, caudicibus, caulibus, ſcapis, lanuginibus, fibris, reſinis ſtrigmētis; animalium, vnguibus, adipibus, vrinis, pudendis, coagulis, cerebris, cineribus, lacte, felle, ſpumis, pellibus, etiam nidis vt hirundinum, qui in angina maximè commendantur. Lapidibus & integris & combuſtis, cotibus, arenis, bituminibus. Terris etiam vt Samia, Lemnia, Armena; metallis, vermibus etiam ipſis, alijſque inſectis. Hoc clarè apparet in oleis quæ vel in pharmacopolijs proſtant, vel quotidiè à nobis præſcribuntur ad adſtringendum, emolliendum, rarefaciendum, leniendum, digerendum, detergendum, agglutinandum, ſomnum inducendum, calculum atterendum, alioſque artis noſtræ ſcopos. Ex floribus vt olea roſaceum, & violaceum, quæ phlegmonibus opitulantur, & cheirinum, quod neruorum doloribus, oleum de ſpica gonorrhææ. Olea chamæmelicum, & de meliloto doloribus propemodum omnibus. Ex herbis vt olea de abſinthio, & de menta frigido ſtomacho applicanda, rutaceum articulis, ſampſucinum neruis, & alia quæ miſſa facio ne ſim prolixior: ſat erit vnum de ſingulis afferre. Ex fructibus vt oleum de mandragora quod vigilijs: ex baccis, vt oleum laurinum quod colicis doloribus: ex ſeminibus, vt oleum lini quod conuulſionibus: ex radicibus, vt oleum enulatum: ex lignis, vt oleum è lignis iuniperi quæ frigido vtero: ex corticibus, vt oleum de capparibus quod obſtructo lieni: ex aromatibus, vt oleum caryophyllorum quod ſtomacho: ex reſinis, oleum terebinthinum quod neruis frigidis: ex lachrymis, vt oleum

myrrhæ quod vulneribus: ex gemmis arborum, vt oleum populinum quod arthritidi: ex nucleis, vt oleum è nucleis perſicorum quod obſtructionibus: è granis, vt oleum è granis citri quod calculo: ex metallis. vt oleum auri quod elephantiaſi: ex margaritis, vt oleum margaritarum quod paralyſi deſcribit Andernacus: ex fęcibus, vt oleum tartari quod vlceribus: ex lithodendris, vt oleum coraliorum quod epilepſiæ: ex quadrupedibus, vt oleum vulpinum quod neruis & articulis frigidis: ex venenatis animalibus, vt oleum ſcorpionum quod renum & veſicę calculo: ex inſectis, vt ol. um formicarum quod gelidis genitalibus; è cornibus, vt oleum cornu ceruini quod dyſenteriæ: ex caluaria, & ex hominis ſanguine, quæ morbo comitiali: ex ſale, quod hydropiſi: ex lateribus quod ſpaſmo, conſerunt. Nihil eſt in rerum natura quod in medici cognitionem cadere non debeat, medico vt Æneæ,

-------- eſt vaſtum maris æquor arandum.

Et in illo immenſo pelago quàm multi ſcopuli; Quanta difficultas vel in pulſu dicernendo *in* myuro deficiente, myuro recurrente, caprizante, dicroto, circumnutante, vndoſo, vermiculante, formicante, hectico, vibrante, conuulſiuo, ſerrato, & aliis. Galenus ſe in pulſuum doctrina addiſcenda multo cum ſudore diu multumque verſatum fatetur. Tantula tamen eſt medicinæ pars, ab ipſo Hippocrate aliquatenus deſerta, ne dicam deglectam.

Magnus Hippocrates primo aphoriſmo ſuo, artis medicæ difficultatem tripliciter probat primo ab occaſione quæ labilis eſt & fluida inſtar fluentis aquæ in materia maximè fluxa, cuiuſmodi eſt hominis corpus. Secundù ab experientia, de qua meritò dicatur illud Horatij lib. 2. carm.

Periculoſæ plenum opus aleæ.

In ea enim agitur de hominis capite. Tertiò à iudicio quod in decernendis cauſarum differentiis, & prædicendis euentibus ita incertum eſt, vt plerúmque doctiſſimorum medicorum turba, de eodem ægro & morbo ſententiam latura, non minus quàm Troiani de equo Durateo, ſcinditur incerta ſtudia in contraria. Galenus lib. 3. de different. pulſ. cap. 1. vitam hominis etiam triplo longiorem non ſuffecturam ſcribit, difficultatibus omnibus quæ in medicina ſunt accuratè pertractãdis. Auerrhoes multos medicos Arabas nouerat, poſteritati tamen reliquit, vnicum duntaxat ſe peritum noſſe medicum, doctum ſcilicèt Auenzoar, qui in artem medicam quadraginta annos ſub patris diſciplina incubuerat. Num igitur, nodoſa ars medica eſt?

De huius ſcientiæ difficultate Valeſius controu. lib. 7. Tam multa ſunt, inquit, quæ Galenus ab optimo medico, & vero Hippocratis imitatore requirit, vt quantumuis ſpretis diuitiis (*quas ſpernunt* perpauci) atque contempta inani gloria (quam tamen video hodiè contemnere nullum) ſoli ſtudio veritatis vacemus; deſperandum videatur, poſſe nos aliquando tales euadere. Exigit enim coſmographiam, & aſtronomiam: vt doceant ex locis & temporibus indicationes ad omnia medica opera valdè neceſſarias. Exigit Philoſophiæ illius quam naturalem dicunt, peritiam. Hæc enim docet corporis naturam, & morborum differentias, & generationem. Exigit præterea anatomes ſcientiam, vt potè ſolam loca malè affecta valentem indicare. Exigit etiam alteram Philoſophiam quam ethicam vocant: hæc enim animi perturbationes ſedat, quas ſcimus corrumpendæ valetudinis ſolere, eſſe cauſas infeſtiſſimas. Neque hæc ſolum ſed & rhetoricam exigit, quæ mæſtos, & ægrotantes ſolari, timentes animare, iratos placare, furentes coercere poſſit: ſapientiam inſuper exigit & bonos mores. His accedit linguarum notitia Græcæ, Arabicæ, Latinæ, quibus omnibus inſignium medicorum ſcripta ſunt monumenta. Accedit his omnibus ſimplicium medicamentorum cognitio: hæc enim materiam artifici ſuggerit ad operandum, & præterea his omnibus præciſis, reliqua medicina eſt per ſe longiſſima & difficillima.

Ars medica eſt.] Artem vocat medicinam poſt Hippocratem, qui lib. de Lege, artium præclariſſimam vocat. Et lib. 6. de popul. morb. lib. etiam de arte, artem vocat. Poſt Platonem qui in Epinomid. ſiue legum appendice illam certis coniectutis, opinionibuſque procedere dicit. Poſt Galen[illegible]m, qui lib. definit. Medicinam dicit eſſe artem, quæ præeſt ſanis victus ratione regendis atque ægrotis curandis. Poſt Auerrhoem 6. colliget cap. 1. qui ait, medicinam eſſe artem operatricem ratione & experimento inuentam, vt ſanitas ſeruetur & morbus arceatur. Poſt Corn. Celſum qui in proemio ſuo artem coniecturalem medicinam vocat. Nihilominus tamen ſcientia ſæpius appellatur. Galen. lib. de ſectis, ab antiquis medicinam dictam ſcribit, ſalubrium inſalubriúmque ſcientiam. *Et in* arte medend. ſalubrium, inſalubrium, & neutrorum ſcientiam, medicinam eſſe dicit. Princeps Arabum Auicenna. medicina, inquit, eſt ſcientia, qua humani corporis diſpoſitione[illegible] noſcu[illegible]r, vt ſanitas præſens conſeruetur, vel amiſſa recuperetur. Arnaldus à Villanoua in ſui antidotari[illegible]umme medicinam, non omnium artium vt Hippocrates, ſed ſcientiarum nobiliſſimam vocat. Tractatum de calculo his verbis idem auctor orditur: Reor quòd medicina eſt ſcientia, quam diuina ſtatuit prouidentia, fore auxiliatricem, hominique contra incommoda, & neceſſitatem quam gen[illegible]m ob præuaricationem primi parentis incurreret. Cornelius Celſus, Primò, inquit, medendi [illegible]tia, ſapientiæ pars habebatur.

Vt grauiſſimorum auctorum diſcrepantia verba concilientur, ſupponendum eſt r[illegible] co[illegible]id[illegible] poſſe, primò, vel vt ſunt naturales quæ opus non reſpiciunt, quarum propriè ſcientia eſt. Secundo,

vt ſunt

vt ſunt artificiales,& opus reſpicientes, & harum ars propriè eſt. Tertiò. vt partim naturales ſunt partim artificiales Et inter iſtas medicina reponitur, quæ ſcientia eſt quoad partem naturalem: attamen accidentariò quoad operationem,aliquid artis habet. Neque propterea ab artium numero excludenda eſt. Non ſecùs ac Logica,Geometria,& Arithmetica, quæ licèt aliquid artis habeant ſyllogiſmos,menſuram,numerum,verè tamen ſcientiæ ſunt,quia non procedunt operabili modo,&componendo,quæ potior eſt artis ratio, ſed magis analytico & reſolutorio modo, quæ vnica eſt ſcientiæ ratio. Propterea cùm medicina eodem ordine ad cauſas & principia progrediatur, ſcientia eſt habenda,licèt aliquid artis habeat Quia verò nullus eſt qui nihil eam artis habere dicat:ſed qui de ſcientia dubitent aliqui ſunt,ſcientiam eſſe oſtendendum eſt.

Scientia entia per ſe conſiderat,non entia per accidens, non enim de mutabilibus ſcientia datur, vt ſcribit Philoſophus lib. 1. poſt. & lib. 7. metaph. Et medicina hominem in communi ſpeculatur, cuius naturam & ſubſtantiam cognoſcit per principia & cauſas cognitione certa & euidenti, niſi ex intellectus infirmitate cognoſcentis opinio ſubſequatur. Quippe inter peritiſſimos quoſque medicos non plus eſt diſſidij, quàm inter Mathematicos. Sic enim in hac facultate diſputantur obiecti affectiones,quatenus ſcilicet ægrotabile,ſanabile,aut ſub neutra diſpoſitione eſt.

Præterea medicina ſua habet principia per quæ ſuas probat, ac ſæpè demonſtrat concluſiones vniuerſales,non aliter quàm Phyſica facere ſolet, quales ſunt quæ habentur de elementis, temperamentis,humoribus,membris,& huius naturæ quæ ad philoſophicam partem ſpectant. Haud diſpari ratione de morbis, eorúmque cauſis & ſymptomatis, vt naturaliter conſequi ſolent, & per cauſas à priori,& per ſymptomata à poſteriori demonſtrant affectuum naturam. Nec aliter de ijs quæ ad ſimæioticam, vt de pulſibus, vrinis, diebus decretoriis, & de criſibus attinent,ſentiendum eſt. Ita etiam de ijs quæ ad Æthiologicam & Pathologicam, Therapeuticámque pertinent, dicendum exiſtimo,ſub vniuerſalibus & neceſſariis concluſionibus facta conſideratione, etiamſi nunquam in opus dirigantur,curationem per contraria,& conſeruationem per ſimilia debere fieri,quæ certè vniuerſalia,& neceſſaria exiſtunt. Et licet quædam videantur ſingularia, de quibus medicina tractat, id efficit abſtrahendo ab omni ſingularitate. Nam medica facultas de ſingularibus non tractat vt talia ſunt,ſed in genere,& in abſtracto,quod eſt opus intellectus. Quòd ſi medicus aliquod opus moliatur,trahit medicinam ad ſingularia. Quemadmodum enim illa non diſputat de Platone,de Socrate in particulari,ſed de homine in ſola rerum contemplatione verſans: ita medicus dum aliquid agit, non quærit hominem in abſtracto, ſed Platonem aut Socratem. Ex quibus certum eſt medicinæ finem eſſe ens mobile ad ſanitatem vel morbum: addiſcentis autem, & artificis, ſingularium rerum cognitio,ſanitatiſque inductio. Neque propterea probro medicinæ ſcientiæ vertendum eſt, quaſi artis nomen duntaxat habere debeat. Nam ipſa medicina dux eſt & magiſtra, & artificis finem, & omnia ad ipſum pertinentia ſcientifico modo, reliquarum ſcientiarum more, media naturę contemplatione docet. Quod ſi quid illi practicum adiungitur, extrinſecùs, & accidentariò aduenire dicendum eſt.

Dat ſuſtentacula fractis.] Medicina non tantùm ſuſtentat,& recreat fractos rhogme, trichiaſi, eccope,apoſceparniſmo,ecpieſmate,cameratione,fiſſura miſerabili,& non tantum capitis, ſed & aliorum oſſium fracturis cauledo,raphanedo ſicyedo,ſchidacedo,calamedo,alphitedo, apotrauſi,(de quibu Græcos videas,maximè Paulum Æginetam lib. 6. cap. 89.) ſed etiam quouis morbo fractos ac debilitatos. Sic enim vſurpat Horat. Satyr. 1.

------ multo iam fractus membra labore.

Illa fugat ſenium.] Ars medica retardare poteſt ſenectutem ad aliquod tempus. Cùm enim ſenectus ex frigido & ſicco temperamento oriatur,ſi arte medica impediri poteſt ne corpus tam citò frigeſcat & ſiceſcat,impedietur etiam ne tam citò ſenectus ingruat. At impediri poteſt, impediendo ſcilicet ne natiuus calor ita promptè humidum primigenium depaſcatur, quòd fieri poteſt humectante victus ratione, aliiſq; ad id excogitatis auxiliis vt ſcribit Galenus lib. 5. & 6. de ſanit. tuenda. Et lib. de maraſmo ſic ait: *ſenium quidem prohiberi non poteſt,poteſt tamen impediri ne citò ingruat, idq́ humectante adhibita victus ratione, qua nimirum augere poſſumus illam humiditatem, qua in corde iecinoréque eſt diſperſa.* Propter quã à ſiccitate atque adeò à ſenectute diſtamus. Ratio retinendi corpora ne ita citò in ſeniũ vrgentibus annis rapiantur,pendet ex notitia & integra cognitione rerum non naturalium, atque ex congrua earum vſu & adminiſtratione,nam ſi commodè miniſtrentur,hominem ſanum conſeruant, ſi verò incommodè ex ſano ægrum reddunt. Certum enim eſt quod error in victus ratione ſanis hominibus morbum & morborum metam accerſat, afferátque ægrotantibus mortem. At commoda adminiſtratio,opportunus dexterq; rerum illarum non naturalium vſus,qui conſiſtit in debita quãtitate,& qualitate, retinet corpus ne tam citò diffluat, fiatque ſenectutis præda. Menſuram autem quantitatis & qualitatis illius quæ cuique homini conuenit, vt vegetior conſeruetur, cognoſcere & in iis omnibus medium, & moderationem metiri difficile eſt: ſiquidem non eſt ita manifeſtum in ſomno verbi gratia modum conſtituere, cum omnis humectet plus minuſue, & intentionem ſeu profunditatem aut leuitatem difficultet metiamur. Medicina verò id nos docet quantum humanum ingenium cognoſcere potuit. Quod vt ſciatur tenendum eſt partem eſſe medicinæ quæ dicitur

ὑγιεινὴ, quam Galenus duplicem ſcopum habere ſcribit,primum,corpus in ſuo ſtatu conſeruare,al-
terum,ſi deficiat in laudabiliorem reducere,donec ἕξιν ſit adeptum. Ad quos ſcopos vertur rebus
quæ ſuprà eum omnibus non naturales appellaui,aere,cibo,potu,ſomno, & vigilia,excretis & reten-
tis,exercitationibus,& animi pathematis,& eorum adiunctis,vt Venere, balneo , & ſimilibus. Hæc
pars complectitur alias,προφυλακτικὴν præſeruatoriam,quæ interdum ad therapiam vſque excurrit,
ἑκτικὴν, boni habitus procreatricem,γυμναστικὴν exercendi rationem,παιδοτροφικὴν rationem educandi
pueros,ἀναληπτικὴν rationem reparandi defectus & in naturalem habitum reſtituendi , & γηροκομικὴν
rationem valetudinis ſeniú conſeruandæ.Ex quibus apparet artem medicam retardandi ſenium do-
cere rationem.

Certè in pharmacopolis plurima proſtant , & à medicis multa præſcripta conficiuntur , quibus impeditur ne ſubeant morbi,triſtiſue ſenectus, myrobalani chebulæ conditæ, electarium exhilarans Galeno falsò adſcriptum , diambra, aurea Alexandrina , multáque alia antidota robur corporibus adiicientia,nonne natiuum calorem augent,& canitiem arcent? nihil hîc de auro potabili , de extractis,eſſentiis,& magiſteriis , quibus Hermetici medicina monente ſenectutem retrò inlabent , non quidem ad multa ſæcula,atque etiam χιλιάδων (quæ non toleranda ſit eorum iactantia) quaſi.

Vita concludant hircinis faucibus auras.

Sed ad multos annos,atque etiam luſtra.Placet hîc adſcribere vnum duntaxat elixir , quod morborum,ſenij,atque adeò mortis retardandæ aptiſſimum decantant illi à quibus.

...... nequicquam filia matri,
Omnibus eſt terris , omnis quæſita profundo,

addo ego.

Omnibus & flammis , omnis quoque follibus aura,

℞. Caryophyllorum,	ſingul. drac. duas.	Gentianæ,	ſingul. drac. duas.
Nucis moſchatæ,		Calamenti,	
Zedoariæ,		Foliorum ſambuci,	
Zinziberis,		Roſarum albarum,	
Galangæ,		Roſarum rubrarum,	
Piperis albi,		Spicæ nardi,	
Piperis nigri,		Cubebarum,	
Baccarum iuniperi,		Aloes hepaticæ,	
Baccarum lauri,		Seminum artemiſiæ & maioranæ.	
Corticis citri,		Ficuum,	ſingul. vncias ſex.
Corticis arantiorum,		Paſſularum,	
Saluiæ,		Dactylorum,	
Baſiliconis,		Amygdalarum,	
Roriſmarini,		Pinearum,	
Mentæ,		Mellis albi, lib. vnam.	
Maioranæ,		Mochi optimi drag. vnam.	
Pulegij,		Sacchari optimi lib. quatuor.	

Concidantur , & in puluerem redigantur quæ debent. Infundantur deinde omnia in libris quindecim aquæ vitæ,& duodecimo inde die diſtillentur in balneo mariæ , & quidquid liquoris erit in excipulo biduum circuletur in fimeto,quibus peractis elixir vitæ habebitur.Ex magmate verò in cineribus vi caloris eliciatur alius liquor ſanguineus,turbidus,& odoratiſſimus, qui vt alius circulabitur.Hæc eſt ſubſtantia ignea materiarum,quæ ſemiuiuos reficit. Qui tertio quoque die drachmam vnam primi liquoris in balneo mariæ extracti aſſumet,iuuentutis robore diu fruiturus eſt, vitámque ſine morbo ad ſæculum producturus.Imò ſi quis vultum pectúſque eo tantùm vnxerit , tardabit ſenium.Vulnera ſanat liquor ille ſi bis aut ter admoueatur.Secundus verò liquor qui rubeus eſt, vteri doloribus medetur,pleuritidi,colicæ,obſtructo lieni, dentium dolori, oris fœtori, & febribus omnibus. Si drachma vtriuſque liquoris moribundo, nec amplius loquenti exhibeatur , vſum linguæ ſtatim recuperabit ille,quæ ſe centies expertum ſcribit Fiorauentus.

Celebratur aliud elixir vitæ maius dictum , quod ſanitatem & balſamum noſtrum radicale conſeruet,ſenium retardet,vitámque proroget.

℞. Rad. zedoariæ,	Galangæ,
Angelicæ,	Ligni aloes,
Gentianæ,	Santali citrini, ana vnc. iij.
Valerianæ,	Meliſſæ,
Tormentillæ,	Mentæ rubræ,
Scorzoneræ,	Maioranæ,

Baſiliconis,
Hyſſopi,
Thymi,
Chamædryos,
Chamæpityos, ana manipulum ſemis.
Granorum lauri
Iuniperi,
Corticis limonum,
Arantiorum ſiccorum,
Semin pœoniæ,
Seſeleos,
Anethi,
Fœniculi,
Aniſi,
Citrij,
Cardui benedicti, ana vncias ij.
Caryophyllorum,
Cinnamomi,
Macis,
Zinziberis,
Cubebarum,
Cardamomi,
Piperis longi,
Piperis rotundi,
Spicæ nardi, ana vnciam j. ſemis.
Benioini,
Myrrhæ,
Olibani,
Succini,
Maſtiches, ana drach vj.
Flor. Roriſmarini,
Saluiæ,
Pœoniæ,
Sthœcados,
Calendulæ,
Lauendulæ,
Hyperici,
Centaurij minoris,
Betonicæ,
Lilij conuallium,
Tiliæ arboris, ana pugillos ij.
Flor. cichorij.
Roſarum rubrarum,
Bugloſſi, ana pugillum j.
Mellis granati,
Sacchari albi, ana libra j.
Aquæ vitæ optimè rectificatæ, libras x.

Incidenda incidantur, & contundenda contundantur. Omnia hæc in matracium capax, & hermeticè clauſum, ne quid exhalet, iniecta in fimo equino mediocriter calido per 8. aut 10. dies putrefiant, putrefacta fortiter exprimantur: expreſſio verò per cornutam, vel alembicum ad conuenientem ignē diſtillentur; ponendo in limbo alembici moſchi drach. ſemi. ambræ griſeæ, croci ana drachmā j. aquā quæ primùm ab expreſſione illa effluet clariſſima, & pretioſa ſeorſim aſſeruabis. Cùm verò recipiens, quod capax vitreúmque eſſe, & optimè cum collo cornutæ adhærere debet, ne vel minimum quidem exſpiret, obſcurari, ſpiritibúſque ſubalbidis offerciri percipies, aliud eius loco, aut ipſummet repones, ſi priùs extillatum illum primum liquorem ſeorſim aſſeruandum ſeparaueris. Iunctóque denuò optimè, vt prius cum collo cornutæ recipiente, ignem per gradus, vt artis eſt, pedetentim augebis, quo prædicti ſpiritus ſubalbidi non ampliùs appareant. Dein aufer tuum recipiens, vt eam quæ ſecundò elicita eſt, aquam, quam matrem balſami vocant, ſeorſim etiam ſepares, adſeruéſque, & hęc quidem tum ad pluſes morbos extirpandos, tum ad conſeruandam ſanitatem, ſenium tardandum mirabili profectu conducit. Accommoda rurſum prędictum recipiens, vt antea factum, per gradus auge, donec deſtillato primo oleo ſubflauo, deinde rubicundo, materię in fundo ſiccæ remaneant, nec tamen perfectè aridæ, ne qui extillatit liquor aduſtionem ſuboleat. Quibus peractis, aſſume tibi aquam illam clariſſimam, quam primò ſatis copioſè eliciuiſti, affunde reſiduis fęcibus, & fac vt ſimul per 6. aut 7. dies digerantur ad calorem balnei marię, donec aqua coloretur & flaueſcat, attracta ſcilicet magis ignea & oleogineoſa materię portione. Fœces reſidentes, cùm ſcilicet omnem tincturam ſuam prædictæ aquæ impreſſerint, ſeorſim ad dicendos vſus adſeruentur. Poſt omnes prædictos liquores (ſeruata tamen ſi libuerit ex vnoquoque proportione aliqua ad effectus infrà commemorandos, quibus mirum in modum proſunt, & eum quoque ipſum liquorem, qui ex fœcibus tincturam attraxerit, ſimul miſcebis, vt inde pretioſiſſimum elixir vitę elicias, vt ſequitur procedendo. Tres itaque prædictos liquores ſimul mixtos per cornutam aut alembicum vitreum, nulla tamen præmiſſa digeſtione præter mixtionem ipſam, diſtillabis, eadémque planè ratione qua priùs elementa principiáque liquorum ſeparabis. Elicies namq́ue primam aquam clariſſimam, quam ſeorſim reſeruabis, cùm ſcilicet recipiens fumo nubiloſo obſcurari percipies: dein mutato recipiente, accommodatóque vt priùs ignem eo continuabis, donec liquorem ſubflauum effluere percipias, quem etiam ſeorſim vt priorem adſeruabis. Interim dum prædictæ diſtillationes aut elementorum, ſiue principiorum duorum ſeparationes fient, reſeruatas ſuperiùs fœces ad ignem reuerberij, calcinabis, ex quibus in cinerem redactis ſal, vt artis eſt, cum prima tua aqua clariſſima allines, quæ quidem aqua ſale ſuo imbuta cum reliquis duobus adſeruatis liquoribus permiſceatur, vt tandem ex triangulo facias circulum, vt loquuntur philoſophi, nempe vt ex tribus illis diſtinctis aquis, per circulationem in pelicano, ea qua decet arte factam, vna eſſentia erumpat. fiátque ea ratione magnum illud elixir vitæ, arcanum admirandum. Huius elixiris ineffabiles celebrantur virtutes ad curandas, & præcauendas vertigines, epilepſias, apoplexias, paralyſes, manias, melācholias, aſthmata, ſyncopes, lipothymias, ſtomachi, aliarumque partium imbecillitates, cachexias, hyſtericas paſſiones, & alia id genus ſumma

& deplorata ſymptomata,ſi guttulæ tantùm aliquot exhibentur cum aqua aut decocto conuenienti, morbóque appropriato. Neque verò tantùm morborum,ſed etiam ſenectutis ipſius,quæ eſt omnium ægritudinum veluti implumum antidotum & remedium habetur, quòd valeat elixir illud ad reſtaurationem & conſeruationem balſami noſtri radicalis, ſi quatuor aut quinque guttulæ cum iuſculo,vino,aut conueniente aliquo liquore exhibeantur. Vtamur ergò ſæpè hac panacea,atque etiam meliore, ſi ſuperi velint, vt tardè terga det fœlicior ætas: & infœlicior, quæ ſenectus eſt, lentis ſuis paſſibus tardè veniat.

Non fugit illa ſenes.] Celeberrimi medici ſenes fuerunt,& ſunt. Magnus ille Hippocrates Cous exceſſit è vita annos natus quatuor ſupra centum,aut centum ſexaginta nouem ex aliquorum opinione. Galenus Hippocratis ſectator doctiſſimus centum & quadraginta annos vixiſſe dicitur apud Sipontinum Grammaticum. At alij quique doctiſſimi Græci, Latini, & Arabes quos referre ſuperſedeo, extremæ ſenectutis metam triuerunt. Medicina cum experientia eſſe gaudet,experientia autem non niſi multis annis comparatur.

Neque illarum affinis eſt rerum quas fert adoleſcentia,

vt eum Terentio loquar,in alio tamen ſenſu. Seniores exercendæ medicinæ aptiſſimi videntur, quia longa annorum ſerie experientiam rationi ac doctrinæ addiderunt: Ouidius ad Liuiam:

Acta ſenem faciunt.

Ecce experientiam,ecce verò doctrinam:

Γηράσκω δ᾽ αἰεὶ πολλὰ διδασκόμενος.

aiebat ſapientiſſimus Græcorum ille Solon, *Aſſiduè addiſcens ad ſenium propero.* Hæc autem duo abſolutum medicum faciunt. Vide quæ ſuprà diximus in dictione *Barbati.*

Cæterum omnia fermè ſymbola,quæ in hoc ſunt emblemate, relata ſunt à Iunio medico qui medici munia ita deſcribit.

Quis Deus es? Phœbo ſatus atque Coronide: habes cur
Sceptrum? ægris vt rex impero. quid reſides?
Sit ſedato animo medicus: quid verticem inumbrat
Laurea? perpes enim viuit ab arte decus.
Nodoſo baculo quid niteré? difficilem artem
Id notat. hinc cur ſtat Gallus, & inde Draco?
Cura vigil medicum decet ac cuſtodia, quid vult
Sub pedibus canis? hoc ſymbolum eſt fidei.
Quidne tegit mentum propexa incanáque barba,
Longa ætas firmat iudicium atque fidem.

Æſculapius Apollinis ex nympha Coronyde filius, in deorum numerum olim receptus fuit, quoniã rudem adhuc, & vulgarem medicinæ ſcientiam paulò ſubtilius excoluiſſet, vt Cornelius Celſus ait: quanquam Triſmegiſtus, interprete Apuleio, medicinæ repertorem falsò nominat.

Huius ſimulachrum variis modis effigiauit antiquitas: nam apud Sicyonios imberbem ſtetiſſe altera manu ſceptrum, altera pineam nucem obtinentem, memorat in Corinthiacis Pauſanias. In eadẽ hiſtoria refert à Traſymede Pario exſculptum fuiſſe Æſculapium in ſolio ſedentem, baculum tenentem manu, altera caput Draconis mulcentum, cum excubante cane. Conſentit in multis & Feſtus Pompeius lauream inſuper illi attribuens. Ego collectis ſymbolis, & quaſi in vnum (quod dicitur) myconum coniectis, talem fermè medici ſiue Æſculapij iconem conflo. Virum grauem repræſento, barbatum, throno inſidentem, laureatum, ſceptrum gerentem altera manu, nodoſum baculum altera, adſtantes illi hinc draconem, hinc gallum, ſtratumque ad pedes canem. Nunc commenti, ſymbolíue rationes ſubiiciam.

VII.

Æſculapij nomen haud temerè in medicum competit, quippe cuius ſit placidè curare ægrotos, id quod Græcis ſonat vocis etymon ἀκεῖν ἠπίως. Barba illi datur velut adultæ & longæ multarum rerum experientiæ argumentum. Sedentis imago denotat, ſedato animo, neque vagum eſſe debere: Laurea coronatum exiſtimo, ob eximium & immortale ex arte ſalutari decus, quanquam Feſtus eò referat, quod Laurus arbor ſit plurimorum remediorum. Sceptrum illi tribuitur ex Pauſania, vt dignitas medici eo repręſentetur, qui regis in morẽ ęgris imperare debet: quò ſpectat inuectiua Galeni lib. 1. Therapeutices, medicos ſui temporis inculſantis, quòd mancipiorum ritu ægris ſubſeruirent, ac obſecundarent: contra maiorum ab Æſculapio oriundorum morem, qui velut reges ſubditis, & velut duces militibus, pręſcribebant ægris quæ fieri vellent. Bacillum nodoſum tribuit illi antiquitas, vt difficultatem ſignificarent artis, plurimis rerum diſcendarum anfractibus, nodíſque difficilibus inuolutæ: tametſi Euſebius hoc interpretetur ægrotorum ſuſtentaculum, & Cornutus libro de natura deorum, quòd medici opera confirmemur, ne tam properè in morbos incidamus. Draconem aſſiſtentem dant omnes. Cornutus tum propter diligentiam in curandis ægris inſomnem, tum quòd

medic

medici induſtria ægri à morbis veluti reuiuiſcant, ſeniúmque deponant, ſerpentium more, vnde Macrobius lib. 1. Saturnal. Æſculapij & ſalutis ſimulachris draco, inquit, ſubiungitur, quia præſtant vt humana corpora, velut infirmitatis pelle depoſita, in priſtinum reuireſcant vigorem. Pręterea conſtat ædium ſacrarum, adytorum, oraculorum, & theſaurorum cuſtodiam olim draconibus aſſignatam fuiſſe, cùm quia acutiſſimè cernant, tum propter inuictas vigilias, quod ſenſit & Feſtus. At Plinius lib. 29 cap, 4 draconem Æſculapio ſacrum voluit, propter remediorum quę illi inſunt, multitudinem. Gallus eidem adiungitur, quòd vigilantiſſimum ſit animal: nam ſollicitum & vigilantem medicum requirunt res ęgroti. Canis illi ſubiicitur, vt animal fidiſſimum. Quid autem medicum magis deceat; quàm indubitatam fidem, integritatémque ęgrotis ſeruare? quę res Philippum Acarnanem Alexandro commendatum habuit, licèt parricidij crimine, ſed immeritò perſtrictum; neque enim placet, quod Feſtus ait, ideò adhiberi canem, quòd canino lacte ſit enutritus, quod tamen apud Lactantium etiam legitur.

DECVMBENTEM RELEVAT.

EMBLEMA XII.



Hederam iacentem Palma victrix ſubleuat.
Medicus iacenti ſubuenit.

Hieroglyphica.

HEDERA hieroglyphicum { *AEGROTI, & AEGRITVDINIS.* num. I.

PALMA hieroglyph. { *HOMINIS SAPIENTIS. MEDICI.* num. II.

HOC ſymbolum cuiuis medico conuenit, Auctori tamen pręcipuè quadrare videtur. Cùm enim non ſolùm ęgritudine decumbentes homines, ſed & decumbentem vetuſtate familiam, quę de Combes vocatur, ex qua à matre oriundus eſt, pro viribus releuet appoſitè hanc ſibi aſſumpſit animam ſymboli hederę à palma ſuffultę, DECVMBENTEM RELEVO. Poſteaquam de nobilitate, & munere medici emblemata ſuprà propoſuit

ſuit, vltimo tandem loco effectum medici proponit. ad quem cętera referuntur, qui eſt ęgros ſanitati reſtituere, hócque emblemate exprimit.

Hadrianus Iunius emblema habet, cum quo iſtud aliquid commune habet.

Pyramides Pharium monumenta perennia Regum,
Errantibus circumligat hedera ſequax brachiis.
Regum opibus firmis plebs ſuſtentatur egena:
Mentiſq́, conſtans firmitas viret perenniter.

Quæ in hos verſus habet medicus ille, non omninò ab Auctoris noſtri emblemate aliena ſunt. Pyramides, inquit, quas otioſam ac ſtultam Ægyptiorum regum pecuniæ oſtentationem nominat Plinius, vaſtæ fuerunt & inſanæ ſubſtructionum moles, aliquot ſoli iugera complexæ, partibus fermè quatuor angulorum lateribus ab imo in acumen deſinentes, ſic dictæ, quòd in ignis ſpeciem, in conum extenuentur, quarum faſtigiata excelſitas paulatim gracileſcens, vmbras quoque conſumit, vt præter Solinum, Ammianus ſcribit lib. 22. fuiſſe eas regum Ægypti monumenta, & inter ſeptẽ orbis miracula habitas tradit geographus Strabo. Quia verò inconcuſſa maximè, ſtabiliſſimáque inter omnes figuras figura quadrangula, Galeno teſte habetur. Hinc eſt, quod Monarcharum aut Regum fortunas huic comparari appoſitè credam: aut etiam conſtantis animi virum, qualem deſcribit Q. Catulum Cicero, quem neque periculi tempeſtas, neque honoris aura potuit vnquam de ſuo curſu aut ſpe, aut metu dimouere. Priori rationi hedera aptè conuenit, vtpote ſeſe ipſa ſuſtinere, prorſúmque ſerpere impotens, ni pedamenti adminiculo vtatur, ac flagellis ſuam muniat imbecillitatem. Talis eſt plebis, ac minoris conditionis ſtatus, quibus principum opes fulcimento ſunt & ornamento. Neque poſteriori rationi abſonus eſt viuax, & perennis huius plantæ viror, quippe cùm magnanimi & fortis viri, qui humana omnia premit, & ad omnes caſus infractum gerit animum, laus cum æternitate certet, perpetuò victura. Diuerſa planè hinc ratio eſt, hederæ arborem ſcandentis, vt quæ ſolet ſuccum viréſque illius omnes in ſe rapere, ac demum enecare: quod in eos quadrat, qui alienas opes ſub titulo & prætextu patrocinij in ſe corriuant, atque emungunt. Aliter etiam Marcellinus lib. 15. hederæ comparationem ad opulentos tranſtulit, apud Imperatorem delatos, qui præſidia potiorum pulſabant, ijdémque tanquam hederæ excelſis arboribus adhærentes, abſolutionem precibus mercabantur. Snnt qui emblematis huius ſignificationem calumniati, ad creandam principi cuidam viro, qui hoc ſymbolo vtitur, inuidiam, eius ſenſum aliò detorſerunt, velut qui circumſeſſum tenuerit Galliarum regem, & hederæ inſtar circumplicatum, ne quis ad eum pateret aditus ſine ipſius aſſẽſu.

Hederam iacentem.] Hedera tam imbecilla eſt, vt repere & iacere ſemper neceſſe habeat, niſi vel muro, vel ſaxis, vel plantis hærendo ſubleuetur. Proptereà ægroti hieroglyphicum eſſe poſſit, qui in lecto iacet, nec ſe ipſe poteſt erigere, niſi alienis brachiis & viribus elatus.

Pallida vix cubito membra leuare poteſt.

Hedera morbi etiam ipſius hieroglyphicum eſſe rectè poſſit. Ex contrariis compoſita eſt facultatibus, habet enim quiddam adſtringentis ſubſtantiæ quæ terrena & frigida eſt, habet etiam nonnihil acris, quæ calida eſt. Nec deeſt tertia, aqueam námque ſubſtantiam quandam tepidam obtinet. Morbus vt plurimum habet vel terreum humorem, vel acrem & igneum, vel aqueum: melancholicam ſcilicet cacochymiam, vel bilioſam, vel phelgmaticam. Hedera aqud Plinium lib. 16. ca. 34. eſt inimica arboribus, ſatiſque omnibus, ſepulchráque ac muros rumpit. Vnde Laberius

Vt hedera ſerpens vires arboreas necat,
Ita me vetuſtas amplexu annorum enecat.

Ita morbus, qui à contrariis originem ſolet ducere, inimicus eſt Platonicæ arbori, homini ſcilicet, ſepulchra rumpit, vt in illis condantur homines.

Hedera dedicatur Lyæo, qui membra ſoluit. Morbus morti membra ſoluenti dedicatur. Mors enim præterquamquòd corpora in cinerem reſoluit, potiùs quàm Iris apud Virgil.

——————nos iſto corpore ſoluit.

Hedera circa ruinoſa ædificia, & vetuſtate conſumpta repit: morbus putrida corpora & cacochyma, ruinoſa, & ſenilia incolit. Auſonius:

----------ipſa ſenectus
Expectata diu, votis optata malignis,
Obiicit innumeris corpus lacerabile morbis.

I I.

PAlma non tantùm animal quoduis, vt vult Georg. Venetus cant. 1. tomo. 6. cap. 27. ſed & ratione donatũ exprimi poteſt, imò & inter homines appoſitè medicus. In palmis ſexus eſt, nec ſine maribus gignere fœminas ſponte edito nemore multi cõfirmant: circáq; ſingulos nutare plures in eum pronas blandioribus comis. D. Ambroſius hexaemer. lib. 3. Videas, inquit, palmam, quę dactylos generat, plerumque inclinantem ramos ſuos, & ſubiacentem, & concupiſcentię, atque amplexus ſpeciem prętendentem ei arbori quam marem palmam appellant pueri ruſticorum. Illa ergo palma

fœmina eſt, & ſexum ſuum ſubiectionis ſpecie confitetur. Vnde locorum cultores, proiaciunt ramis eius dactylorum vel Palmarum ſemina maſculorum, quibus illi fœmineæ arbori velut quidam ſenſus perfunctionis infunditur, & expetiti gratia concubitus repræſentatur. Quo munere donata rurſus erigitur, & eleuat ramos ſuos, & in veterem ſtatum comam ſuam rurſus attollit.

Guillandinus in Ægypto & Oriente obſeruauit, ne fœminæ ſteriles ſint, aut immaturum fructum perdant, mares eo interuallo ſeri, vt ab iis puluerem venus in illas perferat. Quod ſi longius diſtent, quàm vt puluis odórue peruenire poſſit, tùm à mare funem religatum ad fœminam perduci, vt maris fœcunda vis per eam copulam, & vinculum irrepat. Refert Iouianus Pontanus Palmas duas, marem Brundiſij ſatum, fœminam Hydrunti ſteriles diu fuiſſe, quòd adultæ ſe inuicem aſpexerint, & tum quamuis longo tractu diſſitas fructum edidiſſe.

Hominem præterea refert Palma, quia in ſummo ſcapo, vbi vis eius vitalis ſedet, cerebrum habet, quod Hebræi *balulab*, & Arabes *cedar* nominant, quo vel minimùm læſo moritur Palma. Vide Philonem. In eo etiam hominem refert, quòd comam in cacumine habeat circumextenſam, & ramos in digitorum modum protenſos, & fructus quaſi in digitorum figuram formatos, vnde & dactyli, hoc eſt, digiti vocantur. Pulpa quoque Palmæ fructuũ, caryotidum ſcilicet, caro nuncupatur. Ex quibus hominem arborem inuerſam à Platone dictum, Palma potius quàm alia arbore exprimi certum eſt. Imo non hominem tantùm quemlibet è plebe, ſed etiam ſapientem Guil. Perrierius Moroſoph. Embl. 83.

Quò ſolet vrgeri grauiori pondere Palma,
Hoc magis emergit, ſurgit & in vetitum:
Sic ſapiens variis fortunæ caſibus actus,
Fortior emergit quò magis his premitur.

Imo non ſapientem tantum, ſed & Palma medicum ſignificari contendo. Palma, Apollinea arbor eſt: viget, & ex Theophraſto hiſtor. plant. lib. 4. cap. 14. diu viuit in Delo quæ inſula Apollinis eſt medici, & medicorum parentis. Latona eundem Apollinem paritura ab Homero in hymno Apollinis Palmam amplexata diſcribitur. Neque verò eo ſolùm nomine Apollinea eſt, ſed etiam quia cùm palmæ figuram ſolarium radiorum imitetur, antiqui ſacerdotes, qui vt ait Proclus, à rebus apparentibus ſuperiorum virium cultum adinuenerint, ab hac ſimilitudine ſolare quid in Palma eſſe ſunt arbitrati. Et apud Apuleium legas, vt notat Pierius, myſtico eo ſacro quo initiabatur Iſidi, caput, ad ſolariorum radiorum ſimilitudinem oſtendendam, Palmæ candidæ foliis in modum radiorum proſiſtentibus redimitum. Cum ſol Apollo ſit tum apud Macrobium ſæpius, tum apud omnes, Palma ſolaris arbor, erit Apollinea, hoc eſt, medica.

His accedit, quod Palmæ folia non decidunt, ipſiúſque lignum duriſſimum durat longa ſæcula: & ipſa Palma quæ omnium propemodum arborum diutiſſimè viuit: non niſi annoſior fert fructus, & maturos non niſi annoſiſſima. Ita medici qui longam vitam ſæpè viuunt, quóſque inter omnes diu viuere par eſt, cum per illos alij viuant, non niſi longa experientia & doctrina exculti fructus dant maturos. Palmæ fructus ſiue dactyli vitæ protrahendæ conferunt. Primi Eremitæ qui auſteram in omnibus vitam agebant, vſu palmularum viuaces erant. Paulus ille Eremita 113. annos vixit, cum 97. victitarit palmulis, palmacea tunica tectus in ſpelunca. Medici hoc Palmarum fructu exhauſtis, & extenuatis vires inſtaurant, humorem enim nutritium quem radicalem vocamus, ac corpori arido alimentum confert, ac proinde dies & annos auget. Certè medici eſt vitæ augmẽtum dare, mortem abigere, & dies multiplicare. Palma fructus in medicina facienda ſæpè in vſum venit, ſerpentibus vlceribus, & luxatis articulis prodeſt: In emplaſtris & cataplaſmatis pro pectoris morbis, ventriculi etiam, & iecoris debilitate locum habet. Veſicæ & viſcerũ intemperiei non inutilis eſt, nec veterno fluori. Aliqua etiam medicamenta ſunt quæ palmularum nomen retinent, vt elect. molle diaphœnicon quod bilem flauam, & pituitam educit, quod colicis cruciatibus & flatulentis doloribus aptum eſt. Emplaſtrum etiam diaphœnicon, calidum & frigidum, quæ à φοῖνιξ. Græcis palmula, deducuntur. Propter illa, medicus Palma exprimitur, qui vt illa morbis opitulatur.

Victrix.] Rem mirandam Ariſtoteles in octauo problematum, vt Gellius citat, & Plutarchus in ſeptimo ſympoſiacorum dicit: Si ſupra Palmæ, inquit, arboris lignum, magna pondera imponas, ac tam grauiter vrgeas, oneréſque, vt magnitudo oneris ſuſtineri non queat: non deorſum Palma cedit, nec intrà flectitur, ſed aduerſus pondus reſurgit, & ſurſum nititur, recuruatúrque. Propterea, inquit Plutarchus, in certaminibus Palmam ſignum eſſe placuit victoriæ: quoniam ingenium eiuſmodi ligni eſt, vt vrgentibus, opprimentibúſque non cedat. Romæ in Capitolio bis, bello Perſei enata palma victoriã, triumphóſque portendit. Simili modo palma Trallibus in baſi Cæſaris dictatoris, circa bella eius ciuilia exorta præſignificauit Plin. lib. 17. cap. 25. Origenes in fine homil. 9. in Exodum: Palma, inquit, victoriæ ſignum eſt illius belli, quod inter ſe caro & ſpiritus gerit. Cùm hæc arbor, ſcribit Leuinus Lemnius, oneri renitatur, nec prementibus vrgentibuſque cedat, hoc inſigne in certaminibus victori decerni ſolet, quòd inuictum animi robur palmæ naturam referat, ac ſit rei fortiter atque animoſè geſtæ ſymbolum ac trophæum. Sic martyres qui inuicto, infractóque animo aduerſus Tyrannorum ſæuitiam ſubſtiterunt, amicti ſtolis albis Apoc. palmas manibus geſtaſſele-

guntur in victoriæ argumentum. Similiter qui iuſtitiam colunt & æquitatem, qui Dei hoſtibus ſe intrepidè opponunt, palmæ ſunt ſimiles. Vnde Dauid Pſalm. 91. Iuſtus vt palma florebit. Cùm enim impij, vt herba confeſtim areſcant, tum pietatis cultores vt palma diutiſſimè vigent, & ſubſiſtunt ac fructus ſuaues ac ſalubres proferunt. D. Ambroſius li. ante citato, Laurus, inquit, & Palma ad inſigne victoriæ. Lauro victorum capita coronantur, Palma manus victricis ornatus eſt. Vnde & eccleſia ait: Dixi aſcendam in Palmam, tenebo altitudines eius. Quæ eminentiam videns verbi, & ſperans quòd ad eius altitudinem poſſit aſcendere, & ſcientiæ ſummitatem, dicit: Aſcendam in Palmam, vt omnia inferiora relinquat, & ad ſuperiora contendat, ad brauium Chriſti. Medicus qui iacentem ſubleuat, hoc eſt, ægrum ſanat, victor eſt morbi, cum quo prælium init, quem tandem vnà cum natura profligat. Meritò igitur victrice palma repræſentatur.

Medicus iacenti ſubueniens. Vt hederam iacentem palma ſubducit, ita iacentes ægrotos arte ſua medicus erigit. Erigatur omnis æger,

------atque alios melior reuireſcat in annos.

Hoc ſcilicet eſt medicorum votum, quos fortunet à quo omnis medicina eſt, & ſine quo mors, vbique, qui eſt,

DEVS OPT. MAX.

INDEX RERVM ET VERBORVM

QVÆ IN HIEROGLYPHICIS, ET EMBLEMATIS MEDICIS CONTINENTVR.

Numerus Paginam demonſtrat.

A.

ABas pugnæ nodus dictus. pag. 131
Abluentia medicaméta. 124
Abundantia per quem numerum ſignificetur. 2. 3
Accipiter Dei ſymbolum. 29
Achelonm quomodo Hercules repreſſit. 121
Acino moritur Anacreon. 113
Aconitum ex vomitu Cerberi natum. 122
Adam vnde dicitur. 19
Αδσωα medicamenta. 125
Adeps vnde fit. 72
Admiratio ab ignorantia. 56
Αδιάντον. 80
Ædiles prætextati erant. 17
Ægri & ægroti differentia. 118
Ægyptij ſunt Elephantici. 123
Ænigma de aranea. 22
Ænigma laternæ. 54
Aer calidus & humidus eſt. 36
Æſculapius ſub ſerpentis forma. 130. Epidauro Romã adductus. ibid.
Æſculepij ſimulachrum 136. in deorum numerum relatus propter memedicinam. ibid.
Æſculapiej ſimulachri ſymbolorum rationes. 136. 137
Æſculapij deſcriptio. 128. medicinæ Deus ibid. erat prolixa barbe. ibid.
Æſculapius baculum habebat, & cur 119. cur cum angue 129. 130. Glaucum ad vitam reducit. 129
Æſculapij baculus nodoſus. 131
Æſculapius quam ſedem Romæ habuit. 130
Æſtate fœminæ ardent libidine. 80
Æſtas ſpicis ſignificatur. 64
Æſtatis qualitates. ibid.
Æſtas cum bile conuenit. 64
Ætates hominis variæ. 16. 17
Affectus. V. Paſſiones.
Αθαν. 67
Alba pituita eſt. 21
Albere quid. 94
Albugineus humor. 20
Alceſtidem ab inferis reduxit Hercules. 120
Alcibiades Anyto ſupellectilem aufert. 36
Alcides vnde dictus. 125
Alexander an amaſius fuerit. 32
Alexandri magni cor villoſum. 67
Alexander erat ſanguineus. 38. 39
Alexandri virtutes variæ. 38. 39
Αλεξίκακος. 120
Albiddada quid. 44
Alpheo fluuio ſtabulum augeæ purgat Hercules. 121
Aluari à Luna fortunæ & infortunium. 112
Amedryades. 73
Amantes liberales. 36
Amarantibus vnde dicitur 24. vitæ ſymbolum. 24
Amatæ regina reſti vitam finit. 112
Amicis liberalis. 38. 39
Amor bellorum cauſa. 118
Amoris ſymb. aurum. 111
Amoris vitia 2. Vide cupidinem.
Αμφίκυρτος. 13
Amygdalę dicuntur tonſillæ. 98
Anacreon Poeta acino p: ęfocatur. 113
Anaxarchi petitio. 38
Anaximander quid de hominis origine dixerit. 20
Andragoræ mors repentina. 113
Angerona dea ſilentij. 42
Angina quid & vnde dicatur. 88
Anginę cauſa efficiens 89. cauſę externæ & internæ. 89
Anima flatu ſignificata. 114
Anima ignis. 8
Anytus in Alcibiadem amor. 36
Antigoni Epiphanis mors. 117
Antigono reſponſum Menedemi. 32
Antonij prodigalitas erga Cleopatram. 36
Antęus ſuffocauit Hercules 124. illius mythologia. ibid.
Aper Erymanthius. 121
Apis viginti quinque annos vixit. 25
Apollinis ſerpens triceps. 131
Apollo inuenit citharam. 35
Apollo morbos depellit. 64
Aqua carnalem prudentiá connotat. 3
Aquæ ſcientias connotant. 4
Aquarius. 72
Ara veneris Paphiæ imbre nunquam irrorabatur. 105
Aragole abamas quid. 128
Aranea. 22
Araneus ſymb. mathematici. 22
Araneæ tela ſymbolum rei vanæ & inanis. 22
Arcus ferreus odij. 111
Αρχὲς quid. 100
Arcus amoris cur auratus. 111
Arcum vibrans Hierogl. belli & tumultus. 111
Arcus cur datus amori. 111
Arcus barbarorum arma. 112
Argentum pituitam refert. 37
Arideus & Craterus Euripidis inuidi. 123
Ariſtomenij Meſſenij cor hirſutum. 67
Αρρενότερος. 75
Artemidorus grammaticus omnium literarum oblitus, & ſe etiam alterum crue habere. 57
Artemonis Periphoreti timiditas. 110
Arthritis v. podagra.
Artificiorum initia tredit Minerua 64
Aſinus raſus Hierogl. inanis operæ. 55
Aſinus fiſgus timet. 55
Aſinus Hierogl. ſtolidi. 55
Aſinos qui abominabantur. 55
Aſtrologus Atlas. 59
Athenienſium fons. 2
Athenatum nomen vnde. 3
Athenæ ſcientiarum ſedes. 3
Athenæum quid. 4
Atles quia aſtrologus, locum dedit fabulæ. 59
Auaritia hydra eſt. 122
Auditio quomodo fit. 94
Auenzoar doctus medicus quadraginta annos ſub patris diſciplina ſtuduit. 132
Auenzoar quomodo melancholiam curauit. 58
Augeæ ſtabulum. 121
Auicenna quomodo ᾽neros primos homines cenſuerit. 20
Aulici debent eſſe ſanguinei. 37
Aurea ſunt regum palatie. 37
Aureus arcus cur amori datus. 111
Aurum cum corde ſympathiam habet 111. amoris ſymb.
Aurigo quis morbus. 86
Auris deſcriptio. 94
Auri virtutes. 37
Aurum potabile. 37
Aurum ſanguinem refert. 37
Aurum temperatum eſt. 37
Autumnus per deciduos ramos repręſentatus. 52
Autumni qualitates. 52.
in Autumno quartanæ regnant & ratio. ibid.

B.

BAculus Æſculapio cur datus 129
Baculus fulcimentum & auxilium ſignificat. ibid.
Baculus Æſculepij nodoſus. 131
Balbuties puerorum vnde. 73
Barba magnum hominibus ornamétum. 129

Barba prolixa Æſculapij quid ſignificat. 128
Barba ſignificat perfectionem, diſcretionem, & ſapientiam. 128
Barbarus hierogl. odij. 111
Bayardus qualis erat in bello. 65.66
Bella ludiera. 39
Bellorum cauſa eſt amor. 118
Belli & tumultus hierogl. 111
Beatuenij ſpectrum ignitum. 66
Biantis dictum de ſpe. 118
Bibere pro frui. 5
Bilioſus. 63
Bilioſus Marte expreſſus. 64
Bilioſus qualis eſt. ibid.
Bilioſus eſt calidus & ſiccus febri obnoxius maximè tertianæ, magnanimus, liberalis, iniuriarum vltor. 66
Vigil, edax, rufus, piloſus. 67
Bilis eſt ignis. 66
Bilioſus gracilis eſt, & macilentus. 68
Bilis cum æſtate conuenit. 64
Bilis iræ ſuſcitabulum. 65
Bilis eſt flaua. 11
Bilis flaua. 14
Bilis atra. ibid.
Bilis ſurſum fertur. 69
omnium humorum eſt æſtuoſiſſima & actuoſiſſima. ibid.
vrit & exedit. ibid.
Βλεμμάτρισσα. 68
Bracmanes naſcente homine ingemiſcunt. 83
Broncocela affliguntur Subalpini. 123
Bugloſſum hilaritatem dat. 109
eius flos quomodo exhilaret. ibid.
Bullæ pro pueris poſitę. 57
Bullæ qua figura erant. ibid.
Bulla lateribus inſpendebatur exacta pueritia. 57
Bulla vnde dicitur. ibid.
Bulla homo eſt. 113
Bulla quid. 107.108
homo eſt. ibid.
Buoduicæ factum vt animos militibus daret. 49
Burgundus ſe mortuum eſſe exiſtimans. 60
Buſiritæ aſinos abominabantur. 55
Butyraceum ſe totum eſſe exiſtimans piſtor. 58

C.

CÆcum inteſtinum vel ileos cauſant enterocelem. 98
Cæcum inteſtinum. 85
Cæcum inteſtinum leporis quale. 50
Cæſares duo repentina morte obeũt. pag. 113
Iul. Cæſaris liberalitas erga Seruiliam. 36
Calculus renum & veſicæ. 87
Calculorum cauſa materialis, & cauſa efficiens. 88
Callirhoe quis fons, & vnde dictus. 3
Callirhoe fons ſalubris in Palęſtina. pag. ead.
Camillæ mors. 115
Candidis fauſta ſignificantur. 109.110
Canino lacte nutritus Æſculapius. 137
Canina appetentia. 126
Canis iuxta inteſtina. 104
Canis hierogl. morbi. 103.104
Canis Alexandri magni cor habebat villoſum. 67
Canis immolabatur Proſerpinæ. 123
Canis hierogl. diaboli. 115
Canis rabidi morſus cauſa icteri. 47
Canes angina corripi ſolent. 88
Canum varia nomina. 81
Capilli veneris cur ita dicti. 80
quotuplices ſunt. 40
Caprarum cotyledones. 79
Caput coroborantia. 125
Caput operire triſtitiæ ſignum. 55. & timoris. ibid.
Caput ſibi amputatum eſſe exiſtimās quomodo curatus eſt à Philodoto. 29
Capitis deſcriptio. 83
Καρδία. 101
Carbunculi qui. 133
Cardinalis Franciſci à Turnone ſymbolum. 114
Carduis florentibus ardent mulieres. pag. 20
Caro porcina leucen ingenerare poteſt. 94
Caro vaccina qualis & quale eius ius. pag. 49
Caroli Lotbareni ſtemma. 13
Caroli II. ſymbolum. 13
Καρωτὸς. 67
Caryophyllum quæ planta. 41
eius ſpecies. ibid.
Catharrus & catharri variæ ſpecies. raſ quibus curatur. ibid.
Catharrus vt Achelous. 124
Cathartica medicamenta. ibid.
quomodo purgant. ibid.
Cauſiani in hominum natiuitate flēt. pag. 83
Celeritas inimica prudentiæ. 44
Cephalæa quid. 84
eius cauſa. ibid. & 85
Κῆνος. 79
Cerberus trifaux. 131
quomodo ab Hercule ex Auerno extractus. ibid.
Cerebrum palmæ. 139
Cerebrum quid. 113
Κηρομάντις. 123
Cerui cur diu viuunt. 130
Charadrius. 86
Chlorus color. 25
Cholera morbus quid. 101
eius cauſæ. ibid.
quibus temporibus inducatur. ibi.
Cholera humida. ibid.
Cholera ſicca. ibid.
Cholidochus ductus. 69
Chordapſus. 85
Chiron magiſter herculis in medecina. 120
Chryſocolla quis color. 24
Claua virtutis hierogl. 122
Cleanthis teſtimonium de triſtitia. pag 117
Clementia Alexandri. 38
Cleomenes ſemper cum baculo. 129
Cleopatra quanta ab Antonio accepit. 36
Clepſidra quid. 5
Clypeum habere timidi eſt. 110
Cœlum ſemina rerum habet. 43
Cœlorum vis in homines. 20.21
Cœliacus morbus. 86
Colicus dolor. 86
Colon inteſtinum. 85
Colores planetarum. 69
Comprimentia medicamenta. 124
Comus connotat ſanguineum. 31.32
Comus quis dæmon. 32
Comi varia ſignificata. 32.33
Conceptio hominis qua ratione fit. pag. 113
Conchinus. 112
Conſtantis hieroglyphicum. 138
Conus quid. 13
Cor quid. 113
Cor vitæ ſymbolum. 7
Cor quare pyramidali figura. ibid.
Cordis deſcriptio. 102
Corago quid. 109
Cornix hierogl. ſpei. 109. famelica eſt & ſitibunda. ibid.
Cornix candida Rhodigino viſa. pag. 110
Coſtæ quot in homine. 199
Cotylidones mulierum vmbilicum Veneris non referunt figuram. 79
Cotyledones. ibid.
Crocodilus ſymbolum impudentiæ. pag. 29
Cranium. 84
Craterus & Arideus, Euripidis inuidi. 123
Cryſtallinus humor. 90
Cuniculus quid. 78
Cupido bellorum cauſa. 118
Cupidinis deſcript. 110. arcus. 111
Cupido cur forma pueri ſit. 110
Cupidinis duo genera arcus ſunt. 111
Cupidinum crumena porri folio vincta. 36
Cuticula quid. 97
Cutis quid. 97. eſt quid medium inter carnem & neruum. 98
Cyclamen. 79
Κυνάγχη. 88

D.

DActylorum vſus in re medica. pag. 139
Δαιδάτρορος. 68
Dei prouidentia in dipſaco. 59
Dei ſymbolum accipiter. 29
Democriti Æroli dictum. 44
Dentes damnum ſignificant. 104
Dentium cum morbis conſenſus. ibi.
Dentis etymon. ibid.
Deſperationis hierogl. reſtis. 122
Detergentia medicamenta. 124
Dextra calidiora ſunt. 70
Δῆξις. 69
Diagoras Rhodius gaudio mortuus. pag. 116

Ἀναξάγορας quid. 13
Dignitates per gradus ſignificantur. pag. 36
Diogenis dictum. 104
Diogenes quid homines dicebat eſſe. pag. 108
Dionyſius Syracuſanus barbam auream Æſculapio demit. 128
Dionyſij Mileſiaci ſcientia quo ogmine connotata. 4
Dipſacus quæ planta. 80
Dipſacus prouidentiam Dei oſtendit. pag. ibid.
quo loco proueniat. ibid.
Dioptra prudentiæ ſymbolum. 45
Dioptra quid. 44
cur melancholico datur. 45
Δυσαίσθητος. 2.4
Dæmones imaginantes melancholici. 59
Draconi nomen datum quòd acutè videt. 130
Dryades. 73
Duodenarius numerus & abundantiã ſignificat. 1.2 3
Duodenarij numeri perfectio. a
Duodenum inteſtinum. 85
Durrus Valla medicus moritur multi potionis in hauriendo. 113

E.

EBenotrichei. 80
Edoardus III. Angliæ Rex mortuus præ triſtitia. 117
Elephantiaſi vipera medetur. 130
Elephantici Ægyptij. 123
Elixir retardãdæ ſenectuti proprium. pag. 134
Emblemata ſunt ſiphones. 3
Encyclopediæ ſcientiam per duodecim fontes. 2
Enterocele quid. 98. cauſæ illius. ibi.
Epicuri opinio de hominis origine. pag. 20
Epidaurus ſedes Æſculapij. 130
Epidermis. 97
Epileptici Hetruſci. 123
Equus Marti ſacrabatur. 64
Equus caret felle. ibid.
Erigone laqueo vitam finit. 112
Euexia gladiatorum. 5
Euphroſynum. 108
Euripides à canibus laceratus. 123
Euryſteus Herculis exercitator. 121
Examen de quibus rebus dicitur. 52
Exercitij laus. 5
Experientia medico neceſſaria. 128
ἐυφόρος 68

F.

FAba melancholicus cibus eſt. 47
Fabius ſenator pilo ex lacte hauſto moritur. 113
Faces in die luſtrico. 27
Fames ab acidis excitatur. 50
Fauſta candido expreſſa. 109.110.
Febris eſt ignis. 66
Febres Hydræ ſunt capita. 123.126
Felle caret equus. 64
Fellea veſicula vbi eſt. 85
Fernelij laus & opinio circa arthritidem. 92
Ferrum bilem refert. 37
Ferrum odij inſtrumentum. 112.113.
Feſtiuitas Alexandri. 39
Filij tres Diagoræ victores in ludis 116
Filum ſymbolum diſcriminis rei vilis & minimæ. 21. 22
Flatu anima ſignificata. 114
Flaua bilis. 41
Flos pro iuuentute. 34.35
Flos pro barba vſurpatus. ibid.
Flos pro puella. 34
Floris ſymbolum veris. 33.34
Fontes qui erant in Elim quid ſignificabant. 2
Fons pulcher quis dictus. 3
Fons librum connotat. 4
Fœminæ humidæ ſunt, otioſæ, tardæ, molles; albicantes, laticlauiæ, obeſiores, &c. 71.72
Fœminæ quo tempore libidinoſiores. 80
Fœmina frigida eſt. 70.71
Formæ colores. 34
Fortunæ luſus homo. 113
Fracturarum ſpecies. 133
Franciſci a Turnone Cardinalis dictum. 129
Frigus cauſa tremoris. 43
Fuligines melancholicorum. 62

G.

GAlbula. 86
Galeati lepores quos vocabat carnificius. 42
Galenus varia loca quibus laudat Hippocratem. 4
Galenus quot annos vixit. 136
Gallos gallinaceos quomodo timet leo. 65
Ganymedes inter ſidera relatus. 72
Gaudium interdum nocet. 115
Gaudia vana. 115. 116
Gaudio quomodo mori quis poteſt. pag. ibid.
Gaudio mortui. ibid.
Gaudium eſt à copia puri ſanguinis. pag. 109
Generationis ſymbolum puellus. 29
Gibboſi ſenes vnde. 30
Gibboſitatis cauſæ. ibid.
Gibbus vnde. 29
Gibboſitatis ſpecies. 29.30
Gigas Maximiliani Imp. vitulum vno prandio comedebat. 71
Gigantes. 71.72
Glaucoma quid. 90
Glaucomatis cauſæ. 21
Glaucus Anthedonius venandi arte. Dei nomen affectauit. 24
Globi humores connotant. 10
Gradus pro dignitatibus accipiuntur. pag. 36
Gula quid. 89
Gymnaſium vnde dicitur. 5
Gymnaſium quid. ibid.
Gymnoſophiſtæ naſcente homine ingemiſcunt. 83
Γυμνός. 32

H.

HÆreditarius morbus eſt arthritis. 92
Hai a Ioſue diripitur. 110
Hariadenus Ænobarbus. 116
Harpocrates ſilentij Deus. 42
Hedera ſemper repit. 138. hierogl. ægroti. ibid.
ex contrarijs componitur. 138. dedicatur Baccho. ibid.
in ruinoſis ædificijs inuenitur. ibi.
Herculis victoriæ. 120. 121
erat medicus. ibid.
Herculis in medicina magiſter fuit Thiron. 120
Hercules plantis aliquot ſuum nomen dedit. 121
Herculis & Hippocratis ijdem honores. ibid.
Herculis ad inferos deſcenſus. ibid.
Hercules icyialoſagiuipeliger. 123
omnibus opitulans. ibid.
Alex cacos. ibid.
populi ſeruator. ibid.
Herculis labores. 123. 124
Hercules ſacrificium Saturni immutauit. 26
Herodes lauit ſe in Callirhoe. 3
Herpes. 124
Herſilia. 56
Hetruſci epileptici ſunt. 123
Hieroglyphica quid. 52
Hieroglyphicorum quis inuentor. 53
Hieroglyphica vbi inſculpta. ibid.
Hippocomus ſe pontificem eſſe exiſtimans. 60
Hippocrates medicinæ magiſter dicitur à D. Ambroſ. 4
Hippocrati laudes datæ à Galeno. 4
Hippocrates vbi natus. ibid.
Hippocratis & Herculis communes honores. 121
peſtilentiam quomodo repreſſit. pag. ibid.
Hippocrates quot annos vixit. 136
Hiſpani ſtrumoſi ſunt. 123
Hiſtoria variis pathematis referta. pag. 115
Homerus præ triſtitia moritur. 117
Homo ſtabulum eſt. 124
Homo ſpi unæ luſus. 113
Hominis centrum vmbilicus. 79
Hominis conceptio vt fit. 133
Homo bulla eſt quacunque ratione conſideretur. ibid.
Homo pendet à cælo & quomodo. pag. 20.21
pendet à Deo. 21
Homo per lychnum figuratus. 26
Homo miſer à natiuitate. 83
Homo bulla eſt. 108
Hominis hierogl. palma. 139

de Hominis origene opiniones antiquorum. 19.20
Homines veſicæ ſunt vento tumidæ ex Diogene. 108
Homo terra eſt. 19.20
vnde dicitur. ibid.
Hoſtus Hoſtilius. 56
Humanitas Alexandri. 39
Humidum primigenium eſt vt oleũ. pag. 27
Homores metalla referunt. 37
Humor triplex in viuentibus. 27
Humorum ſymbola globi. 10
Humores rotundantur. ibid.
Humorum colores. ibid.
Humores corporis humani elementa. 13
Hyaloïdes humor. 90
Hyanche. 124
ὑδρὸς quid. 29
Hydræ capita febres. 123.126
Hydra auaritia eſt. 122
Hydræ quot capita. 121. quanta ab ea mala. 121. eius cædes. 122
Hydrochoue quid. 72
Hyems pituitæ qualitatibus reſpondet. 72
Hyemis deſcriptio. ibid.
Hymen quid in virginibus ſit. 81
Hymnides. 71
Hypactica medicamenta. 124
Hypochondria quid. 61
Hypochondriaca melancholia quotuplex, & vbi ſit. 62
Hypochyma quid. 90

I.

IApis medicus Æneæ. 128
Icterus quid. 86
varia eius nomina & eorum ratio. pag. ibid.
Icteri cauſæ. 87
Iecur quid. 113
Iecur & eius deſcriptio. 86
Ieiunum inteſtinum. 85
Igneus eſt Mars. 69
Ignis qualitates. ibid.
Ignis hierogl. iræ. 112
Ignem gladio ne fodito quid Pythagoræ. 112
Ignem ad ſacrificium deferre obliti Rhodij. 3
Ignis eſt pyramidali figura. 7.8
Ileos vel cæcum cauſant enterocelen. 98
Ileos quomodo differt à cœliaco & colico morbo. 86
Ileos quid & vnde dicitur. 85. eius cauſæ externæ & internæ. 86
Ileos inteſtinum. 85
Ilicet. 82
Imberbes qui. 67
Indice ſilentium indictum. 42
Inteſtina. 85
Ioſue metum ſimulat. 110
Impudentiæ ſymbolum Crocodilus. pag. 29
Inuidia diabolicum vitium. 113
Inuidi Euripidis. ibid.
Ira ſuſcitabulum bilis. 65
Iræ & animi hierogl. leo. 123
Iræ hierogl. ignis. 112
Iracundiæ ſymbolum leo. 126
Iratorum deſcriptio. 112
Irenes abortus & mors. 117
Iubæ leonis. 68
Iulij medici mors repentina. 113
Iulius Cæſar ſpectata non vult. 118
Iupiter lætus, & Saturnus triſtis. 41
Iuuenes temerarij. 128. eorum vitia. pag. 29
Iuuenes quales ſunt. 64
Iuuentus eſt ver vitæ. 34
Iuuentus eſt florida. 34.35
Iuuentius Talua gaudio mortuus. 116

L.

LAbrum Veneris. 80
Lac vaccinum quale. 49
Λαλεῖν quid. 78
Λαλλεύρωντος. ibid.
Λαγνῶες. 68
Lælaps quid. 82
Lætitia. V. Gaudium.
Lampades in nuptiis. 27
Lanea vincula Saturnum detinent, & quid notent. 43.44
Λεωνίδες. 64
Lapis. Vide Calculum.
Laqueo mortui. 112
Laribus bullæ ſuſpendebantur. 57
Laryngis muſculi. 89
Laterinum ſe eſſe exiſtimans. 58
Laternæ ænigma. 54
Laternæ piſtoritiæ artificium. 55
Lauro capita victorum coronantur. pag. 139
Legatus Rhodiorum in limine expirauit. 113
Lemouicis cuiuſdam mira imaginatio. 58
Leo X. gaudio in febrem incidit, qua diem ſuum obiit. 116
Leo nullam aut exiguam medullam habet in oſſibus. 68
Leonis oculi ardent. 68
Leo hierogl. phreniitidis. 126
iracundiæ. ibid.
Leo hierogl. iræ, & animi. 123
Leonis iubæ. 68
Leo Nemæus. 122
Leo febri obnoxius eſt. 66
Leo ſimia ſuam febrem curat. ibid.
Leo audaciſſimus ſolus ducentos equites aggreditur. 66. nobilis, & liberalis. ibid. iniuriarum vltor. 66.67
Leo breues habet palpebras. 67
Leonis oſſa ſcintillant. ibid.
Leo voraciſſimus eſt. ibid.
Leones fului ſunt. ibid.
Leo eſt Martiæ naturæ. 64
Leo bilioſi eſt hieroglyphicum. 65
Leo iracundus eſt. ibid.
Leo rotas, gallorum criſtas, & canius horret. ibid.
Leonidæ magnanimitas, & cor. 67
Leporis nomina. 49.50
Leporis marini mira antipathia in pulmones. 90
Lepus dormiendo conniuet. 49
Lepus hierogl. triſtitiæ. 48
vigilantiæ. 49
timoris. ibid.
maciei. 5[illegible]
ſolitudinis. ibid.
edacitatis. ibid.
ſolertiæ. 50. 51
Leporina caro melancholica eſt. 48
Leporis cæcum inteſtinum qual. 50
Lethuſa & lethe. 75
Lethargus vnde. [illegible]
Leucæ qui obnoxij. 9[illegible]
Leuce quid. ib[illegible]
vnde dicatur.
eius cauſæ. [illegible]
Liberalitas Alexandri. [illegible]
Liberalitatis ſymbolum [illegible] ctus. [illegible]6
Licinij Cecinnæ pater op[illegible] ternis. [illegible]5
Liuidus color frigoris ſoboles. 2[illegible]
Liuij amoris infortunium. [illegible]
Loci quid. 8
Λόφος qui. 30
Lub[illegible]cantia medicamenta. 24
Lucerna hierogl. capitis. 55
Lucumon. [illegible]5
Ludouicus Dux Aurelianenſis b[illegible]lum nodoſum habebat pro ſ[illegible]bolo. [illegible]
Lumen pro vita. 26.27
Luna ſeneſcit. 13
Lunæ vices variæ, & nomina. 13
Lunæ lumen à ſole. 13
Luna ſymbolum vitæ. 11.12
Lunæ vis in inferiora. 12
Luna naſcentibus præeſt. ibid.
Luna plena calidior & humi[illegible] eſt. [illegible]
Lupi angina corripi ſolent. 23
Luſitani ſunt phthiſici. [illegible]3
Luxuries hierogl. porcus. [illegible]3
Λυκάνχη. [illegible]8
Lychnus ſymbolum homin[illegible] [illegible]6
Lychnus quid, & vnde dic[illegible]r. [illegible]
Lycopolitæ aſinos [illegible] habau[illegible] pag. [illegible]5
Lyſandri Lacedæmonij tobu[illegible], & [illegible] piloſum. 67

M.

MAgnetes herbarum [illegible] offerebant Chironi. [illegible]
Malorum prælium. V. μαλλα[illegible]
Μαιδέννστος quid. 79
Matris varia adiuncta. 64
Mares in dextra parte. 70
Margaritam quanti Seruil[illegible] mer[illegible]us Cæſar. 36
Margitæ ſtoliditas. 78
Mathemati[illegible] ſymbolum. 21
Maximilian[illegible] Imperat[illegible] [illegible] vitulu[illegible] vni[illegible] prandio c[illegible] ed[illegible] [illegible]
Maximilianus Imperat[illegible] b[illegible]

conſuetudine delectabatur. 129
Medici eadem præſtant quæ Hercules. 123. 124
Medici ſenes. 136
Medici Perſarum ſexagenarij. 128
Medicinæ difficultas. 131. 132
Medicina quomodo ars, quomodo ſcientia. 132. 133
Medicinæ partes. 134
Medicinæ Deus. 128
Medici munus. 130. 131
Medicus debet eſſe prudens & mentis acie valere. 130
Medicina retardare poteſt ſenectutem. 133. 134. 135
Medico duo neceſſaria. 136
Medicus Æneæ & Annibalis. 128
Medicus quis. 61
Medium hominis. 79
Melancholicus quis propriè dicitur. pag. 52
Melancholicorum varia phantaſmata & imaginationes. 57. 58. 59. 60. 61
Melancholici tenaces, rapaces, maligni. 46
Melancholici timidi. 47
Melancholici amant falſamenta. 47
famelici ſunt. 47
breuioris ſunt æui, ſolitarij. 47
Melancholici flatulenti. 50
Melancholia quæ ingenioſos facit. pag. 58
Melancholicus 40. & ſeq.
Melancholici cunctabundi. 44
Melancholicorum ſomnus breuis. 49
Melancholici taciturni 41. ſtudij amantes. 44
Melancholicus humor frigidus & ſiccus. 41
Melancholicorum tarditas. 43
Melancholici futura præuident. 45
Melancholia quid. 54
Melancholicorum timor vnde. 49
Melancholici macri ſunt. 50
laſciui ſunt. 50
Melancholia nigra eſt. 10
Μελαγχολία. 39
Memoriæ aduerſa eſt pituita. 75. 76
Menedemi reſponſum Antigono. 32
Meninges. 84
Menſtruus ſanguis qua & quomodo fluit. 79
Mercurius hieroglyphicorum inuentor. 53
Meretrix ſue ſignificata. 122
Metalla humores referunt. 37
Metus ſoboles. 118
Minibus humanus Alexander. 39
Minerua artium multa tradit. 64
Mitra tres pontificis. 60
Momum vnde dictum. 33
Monſtrum hierogl. morbi. 125
Monſtrorum quot genera. 126
Monſtra ab Hercule victa vitia ſunt. pag. 123
Monſtra vitia ſunt. 120
Monticulus veneris. 78
Morbi & dentis conſenſus. 105
Morbi omni hora homines obnoxij. pag. 105
Morbus regius quis. 86
Morbi hierogl. hedera. 138
Morbus per canem connotatus. 103. pag. 104
Morbos depellit Apollo. 64
Morbi animi. 120
Morbus arquatus quis. 86
Morbus monſtrum eſt. 126. 125
Morborum organicorum ſpecies. 126
Mors in vita. 30. 31
Mors quare oſſea. 29
Mortis ſymbolum ſenex. 29
Mars pro ira & bile. 63
Belli numen eſt. 64
Mortes variorum ex leui cauſa. 113
Mortuum ſe eſſe exiſtimans quomodo curatus. 61
Moſes hieroglyphica Ægyptiorum calluit. 52
Moſes & Aaron nube tecti. 110
Multi ſerpentem ſe deuoraſſe exiſtimans. 58
Mundus non eſt æternus. 42
Muſculus ſphincter veſicæ. 102
Muſcæ delectantur ſanguine. 15
Myrtus qualis planta & vbi prouenit. pag. 81
Myrtus cur Veneri dedicatur. 55
Myſtacia per ſiphones ornata. 2

N.

Napi quid. 109
Νάπυ. 23
Naſus. 93
Naſum ſe habere maximum exiſtimans. 58
in Natiuitate liberorum qui populi ingemiſcant. 81
Natiuitas eſt principium mortis. 30. 31
Naturæ ſignificatio apud Plinium. 78
Natis homo expreſſus. 108
Nenuphar quid. 81
Neruus ἰσχιάς. 94
Niger globus quomodo melancholiæ conuenit. 10
Niger color vnde. 25
Nodus hierogl. difficultatis. 131
Nubes tabernaculum tegens. 110
Nutritio quomodo fit. 18
Nymphæ mulebres. 105
Nymphæ. 73
Nympharum caruncularum deſcriptio. 81
Nymphæa quomodo Arabice dicitur 80. duplex eſt ibid. vtriuſque deſcriptio. ibid.
Nymphææ nomen vnde 81. vbi multa. ibid.
Nympha amore contabeſcens. 81

O.

Obeliſci regis Seſotidis. 53
Obliqui qui dicti. 30
Oculus via amoris. 111
Oculus & eius humores. 90
Oculi cur ſenibus caligant. 32
Odij ſymbolum piſcis. 39
Odium excitat contentionem. 118
Odij deſcriptio. 110
Odij hierogl. barbarus. 111
Ophrueus. 129
Oleum Pallas produxit. 3
Olei qualitates. 27. 28
Oleum ſymbolum humidi primigenij. 27. 28
ὀμβριμόθυμος. 64
ὄμφαλος quid. 79
Onion. 75
Operire caput aſt triſtitiæ ſignum. pag. 55
Opium quid. 78
Ὀρχεδίον muliebre. 78
Orcades. 73
Organicarũ partium proprietates. 105
Oſſa quæ partes ſunt. 98
Oſſa qualia & vnde. 29
Oſſea cur mors repræſentatur. 29
Oſtium Cotyledonum. 79
ὀξὺς. 64

P.

Palatium. 74
Pallidi ſenes & quare. 19
Palma in baſi ſtat. ç Cæſaris nata. 139
Palmæ ligni natura. 139
Palmæ victoriæ hierogl. 139
Palma hierogl. medici 139. hominis & ſapientis hierogl. 138. 139. in palma incit lexus. ibid.
Palmæ fœminæ ſteriles ſunt ſi ſine mare ſint. 139
Papaueris ſpecies. 74
Papaueratæ veſtes Plinio quæ. 74
Papaueris deſcriptio. 74
Papaueris lutei noxa. 76
Παρακυνάγχη. 88
Παρασυνάγχη. 88
Parcæ tres. 21
Parentes arthritici filios habent arthriticos. 92
Partes hominis nobiles bullæ ſunt. pag. 113
Pars corporis quid. 104
Partes homogeneæ & heterogeneæ quæ ſint. 104. 105
Partium organicarum proprietates. pag. 105
Paſſiones. 114
Paſſionum numerus & ratio. 115
Paſſiones morbi ſunt. 120
Paſſiones ventis & turbinibus expreſſæ. 114
Paſſiones ventis ſignificatæ. 118
Paſſiones morbi ſunt 107. quod humores in corpore hoc in anima ſũt paſſiones. ibid.
Πάθος quid. 118
Pathemata. vide Paſſiones.
Paulus Eremita quot annos palmis altus & tectus vixit. 139
Pena & Viel medici quomodo melancholicum curarunt. 59. 60
Περιπνευμονία quid. 56
Pericranium. 84

Periſæ quomodo nominaut medicos. pag. 128
Peſte affligi ſolent Sardoi. 123
Phædra laqueo mortuus. 112
Pharyngis muſculi. 89
Phidias cur teſtudinem ſubiecit Veneris pedibus. 71
Philetas cum ſoleis plumbeis. 44
Philippus Acarnas. 137
Philodorus medicus quomodo melancholicum curauit. 59
Phlegma quid & quale. 14
Phlegma vide pituita.
Φλεγματίας. 73
Phlegmaticus. 70
Φλέγμονη quid. 62
Φῶς quid & vnde. 26
Phrenitidis hierogl. leo. 116
Phthiſici qui ſolent eſſe. 123
Phthiſis. vide Tabem.
Pilotus quid. 101
Piloſi qui & vnde pili. 67
Pilo mortuus. 113
Pituita vnde fit. 72
Piſcis ſymbolum odij. 29
Piſces quare memoria non valent. 76
Piſtoris Bruxellenſis melancholia. 58
Pituita eſt alba 11. vide Phlegma.
Pituitoſorum & puerorum collatio. pag. 73
Pituita regnat hyeme. 73
Pituitoſi ſomnolenti, pigri, hebetes, debiles, albi, moles [illegible], obeſi. 72
Pituitis qualis eſt. 70. 71
de Placenta in ciſterna facienda imaginatio. 58
Planetarum in hominem imperium 20. in eius ætates 21. & in membra pag. ibid.
Planetarum colores. 69
Plenilunium. vide Luna plena.
Pleura quid. 99
Pleuritis quid 99. duplex eſt vera & notha 99. cauſæ externæ 99. cauſæ internæ 99. 100. cauſa materialis. pag. 100
Plumbum Saturno adſcriptum. 44
Plumbum melancholiam refert. 37
Plumbeum telum odij. 111
Plumia quæ ara nunquam madeſcebat pag. 105
Podagra quid 91. quid ea afficitur ibid. variæ illius cauſæ 91. 92. 93. per quas vias illius materia fluat. 92
Πολύπους. 64
Polypi deſcriptio. 45
Polypus hieroglyphicum tenacitatis. pag. 45
Polypi malignus ſunt. 46
Polypi mutata magnitudo. 46
Polypi rapacitas. 46
Polypo vſus toties dictus ſomniis præſagire volentibus. 47
Polypi [illegible]. 47
Polypi dulcia teſ[illegible]. 47
Polypi [illegible]. 47
Polypus ſuis ipſius brachia arrodit. 47
Polypus quid & vnde dicatur. 93
eius cauſæ. ibid.
Pompeiani mors. 117
Πομφόλυξ. 107
Pontifex quomodo quando & vbi coronatur. 60
Populus vi lepus. 82
Porcus hierogl. libidinis 122. vide Sus.
Præcipitatio vteri. vide Vteri præcipitatio.
Præſagire volentes ex inſomniis abſtinebant à polypo. 47
Prætexta quibus data & cur. 56
Prætexta puerorum erat. 56
Procidentia. vide Vteri procidentia.
Προκλεν quid. 78
Proſerpina iouida. 123
Proſtatæ. 78
Prudentia quid. 131
Prudentiæ hierogl. ſerpens. 130
Prudentia carnalis per aquam connotata. 3
Pſora. 97
Puellus ſymbolum generationis. 29
Pueri cur pituitæ obnoxij. 73
quales ſunt. 73
Puerili forma cur amor pingitur. 110
Puerorum humiditas. 29
Pulchritudo Alexandri. 39
Pulchritudo acutior ſagitta. 111
Pulchritudo vide forma.
Pulmonum deſcriptio. 90
Puppæ Veneri dedicatæ. 57
Purgantia medicamenta purgant expultricem facultatem excitando pag. 124
Purgandi qui ætate ſunt media. 125
Purgantia hypactica. 124
Puteus latitudinis quid. 4
Pyramides Ægyptiorum regum. 138
Pyramis vitæ ſymbolum. 7. 8. 9.
Pyramidali figura ignis. 7. 8
Pyramides Ægypti qui reges extruxerunt. 9

Q.

QVartanæ cur in autumno. 52

R.

RAcemus quare pyramidali figura. 7
Radius fractus ſymbolum liberalitatis. 36
Rami decidui hierogl. autumni. 52
Rami cur in autumno cadont. 52
Ratio in homine eſt quod in naui gubernaculum. 108
Rectum inteſtinum. 85
Regibbi. 50
Regnum dicitur Pontificis tiara. 60
Renes. 87
Rei vanæ & inanis ſymbolum. 22
Reſtis hierogl. deſperationis. 112
Rhodiorum legatus in limine expirat. pag. 113
Rhodij cur Palladem non habuerunt. 3
Rigare quid 4. 5.
Romulus prætexta vſus. 56
Rubei ſanguis. 11
Rudnus. vide Aſinus.

S.

SAbinorum deſcriptio. 67
Sacrificium Saturni horrendum pag. 26
Sacrificium ſine igne. 3
Sacrificia Saturni crudelia. 41
Sagittæ cur amori datæ. 111
Sardoi peſte affliguntur ſæpe. 123
Sanguis quomodo fit. 14
Sanguinis neceſſitas. 14
Sanguinei ſunt longæui. 38
Sanguis quomodo temperatus dicendus, & quomodo calidus & humidus. 38
Sanguineorum qualitates. 8
Sanguis in iuuenibus abundat. 35
Sanguinei muſica delectantur 35. amaſij ſunt. ibid.
Sanguinis temperamentum. 37
Sanguinei aulicorum vitæ apti. 37
Sanguis calidus & humidus eſt. 34
Sanguineus. 38
Sapo in bollis quid præſtet. 108
Saturni fabulis quid intelligatur. 43
Saturnus melancholicum exprimit. pag. 41
Saturni ſacrificia horrenda. 41
Saturni etymon. 41
Saturnus eſt ſenex. 41. 42
Saturnus vinculis detentus. 42
Saturni ſacrificium horrendum. 26
Saufeius moritur dum ſorbet aurum. pag. 115
Scabies quid. 97
eius cauſæ ibid. quod ſit eius ſubiectum. ibid.
Scæuolæ auaritia. 122
Schola vnde dicitur. 5
Scientiæ quid proprium. 133
in Scirpo nodum quærere. 131
Scirrhus quid. 100
cauſæ ſcirrhi ſplenis. ibid.
Σκολιούμενοι qui. 30
Scytalu ſagitti pelliger Hercules & Medicus. 113
Sedum 23. cur ſemper viret. ibid.
Seminis humani conſideratio. 114
Semperuiuum vide ſedum.
Senatores prætextati erant. 57
Senenſis cuiuſdam melancholia. 58
Senes cur obtuſa ſunt oculorum acie. pag. 29
Senes quare pallidi. 29
Senes ſymbolum triſtitiæ. 29
Senes cur gibboſi. 30
Senes ſunt prudentiores. 128. 129
Senes ſunt melancholici. 43
ſunt frigidi & ſicci. ibid.
Senectus medicina retardatur. 133. pag. 134. 135
Senectutis ducto Saturnus. 42
Senum ſiccitas. 29
Septenariis vita conſtat. 16. 17
Serpens Apollinis triceps. 131
Serpentes linguis ſunt triſulcis. 132
Serpentium vſus apud medicos. 130
Serpentem ſe deuorare exiſtimant. pag. 58

Serpens

Serpens Epidaurius. 130
Serpens cur Æſculapio datus. 130
Serpentes iuueneſcunt. 130
Serpens hierogl. prudentiæ. ibid.
Serpentum tres ſpecies. 130.131
Seruilia à Iul. Cæſare amata. 36
Silentium quo digito indictum. 42
Simia remedium febris leoninæ. 66
Sinapi oculis nocet. 109
hierogl. tristitiæ ibid. vnde dicitur. pag. ead.
Sinistra pars hominibus debilior quam brutis. 129
Sinistra pro incommodis & aduerſis vſurpatur. 129
Sipho quid. 2
Siphones duodecim quid. 2
Sitis pro deſſiderio. 5
Somnia triſtia à polypi vſu. 47
Somnus breuis melancholicorum & ſenum. 42
Sophia Valentinianorum. 130
Sordium Argiuarum locus. 122
Spes corniee ſignificatur. 109
Spes & timor pariter incedunt 117. & pag. 118
Sperare non vult Cæſar. 118
Spes fatum omnium dulciſſima. 118
Spe omnia fiunt. 118
Sphincter muſculus veſicæ. 102
Spicis æſtas ſignificatur. 64
Spirituum vitalium defectus vnde. pag. 103
Splenis deſcriptio. 100
Stabulum homo eſt. 124
Stranguria quid. 102
eius cauſæ externæ. ibid
cauſæ internæ. 102
Strumoſa quæ gens eſſe ſolet. 123
Studio addicti melancholici. 44
Sus lota in volutabro luti. 122
Sus hierogl. meretricis. 122
Suſpendio mortui. 112
Symbolum quid. 19
Synalus medicus Annibalis. 118
Synanche ſæpe afficiuntur. 124.126
Syncope quid. 102
externæ cauſæ ibid. cauſæ internæ. 103

T.

TAbes quid. 89
Vnde dicitur. ibid.
eius cauſæ. ibid.
Tabis variæ ſpecies. 90
Taciturni melancholici. 41
Tages è terra oriundus. 20
Tarditas melancholicorum. 43
Tarquinius Lucumon. 56
Tectoſagi carbunculo affliguntur. pag. 123
Ternarius numerus pro infinito. 28
Τελάδρυος. 64
Temperamentum quod viuacius & quod minus. 38
Tempus libidinis muliebris. 80
Tempus quid. 42.43
Temporis antiquitas. ibid.
Tenesmus. 100
eius cauſæ. ibid.
Terra hominis mater. 19. 20
Terræ vmbilicus quid. 79
Terra frigida & ſicca. 41
Teſtam ſe factum exiſtimans. 52
Teſtis dexter qualis. 70.71
Teſtudinis deſcriptio. 73
Teſtudo cur pedibus Veneris ſubiecta in tabula Phidiæ. 71
Θηλύγονος. 71
Theriſtrum quid & vnde dicitur. 26
Theſeum ab Orco reduxit Hercules pag. 125
Thraces in natiuitate flent, in morte gaudent. 83
Θύμος. 64
Tiara triplex Pontificis. 60
Timiditas, homine qui ſit clypeo tectus ſignificatur. 110
Timoris ſignum caput opertum. 55
Timor melancholiam comitatur. 55
Timor. Vide metum.
Timor & ſpes pariter incedunt. 118. pag 117
Timor melancholicorum vnde. 49
Tinnitus quid. 93
eius cauſæ multiplices. 94
Tonſillæ quæ ſint glandulæ. 98
quis morbus. 98
quæ illius cauſæ externæ & internæ ibid. quæ ætas illis obnoxia. ibid
Torpedo torpidos reddit. 73.74
Trauſi edito infante plorant & lætantes eundem efferunt. 83
Tremoris cauſa. 41
Triſtitiæ ſymbolum ſinapi. 109
Triſtis Saturnus. 41
Triſtitiæ ſignum caput operire. 55
Triſtitia quantum noceat 116. qui mortui. 117
Tubas audire qui & cur nolebant. pag. 55
Tullus hoſtilius prætexta eſt vſus pag. 56
Tumultus & belli hierogl. 111
Tumultus belli filia. 118
Tunica quid. 81
Tunica quæ plaota & quid per eam connotetur: 105
Turbinibus paſſiones expreſſæ. 114
Tympanum auris. 94

V.

VApores melancholicorum vnde pag. 55
Vapores melancholicorum. Vide fuligines.
Valentinianorum hæreſis. 130
Venenum hauſtum cauſa icteri. 87
Venter inferior. 85
Ventriculi deſcriptio. 101
Venti hierogl. parhematum. 108
Venus & turbinibus paſſiones connotatæ. 114
Veneris Paphiæ ara ſemper ſubdio ſicca. 105
Veneris pedibus teſtudinem ſubiecit Phidias. 78
Veneri puppæ dedicatæ. 57
Ver quomodo temperatum dicitur. pag. 38
Ver calidum & humidum eſt. 34
Ver floribus coronatur. 34
Veris ſymbolum flos. 33
Veſicæ deſcriptio. 102
Veſicæ vento tumidæ homines ſunt. pag. 108
Victoriæ hierogl palma. 139
Viel medicus quomodo melancholicum curauit qui ſe energumenum exiſtimabat. 59.60
Vinum quomodo ſeferr melancholiam. 61
Viperarum vſus in re medica. 130
Viperæ morſus cauſat icterum. 87
Viperæ elephantiaſi medetur. 130
Virgo vita eſt. 22.23
vnde dicitur. 22
Virginitas flos eſt. 23
Virtutis hierogl. claua 122. tria virtutis capita. 122
Viror ſymbolum vitæ. 24.25
Viror quomodo & vnde fiat. 24.25
Vita longiſſima cuius. 8
Vita hominis miſera. 81
Vita nobilior morte. 29
Vita longior quorum. 38
Vitæ ſymbolum cor. 7
pyramis. 7.8.9
vitrum. 9
fœnum. 15
Luna. 11.12
Vitæ naſcentis ſymbolum plenilunium. 11
Vitæ deficientis ſymbolum luna corniculata. 13
Vita ſemper breuiatur. 7
Vita iter eſt. 7
Vita per virginem connotata. 22.23
per florem. 23
per ſemperuiuum & amaranthum pag. 23.24
per virorem. 24.25
per lucem. 26.27
Vita ad mortem iter eſt. 18
Vita eſt militia. 118
Vitæ fragilitas. 15
inconſtantia. ibid.
Vita hominis quam fragilis. 113
Vitia monſtra ſunt. 120
Vitia monſtra ſunt. 122
Vitreus humor. 90
Vitriarij cuiuſdam melancholia. 18
Vitrum ſymb. vitæ. 9
Vitri fragilitas. 9
Vitrum ex quibus fit. 9
Viuendo morimur. 30.31
Viuerra. 86
Vmbilicus Veneris. 79
Vmbilicus centrum eſt hominis. 79

Vmbi

Vmbilicus concupiſcentiæ ſymbolum. 79
Vmbilicus veneris quomodo Græcè dicitur. 79
Voluulus quid. 85
Volupiæ ara. 42
Vrbanitas Alexandri. 39
Vrinæ ſe habere flumina exiſtimás. 58
Vrſatus Iuſtinianus præ triſtitia moritur. 117
Vteri præcipitatio quid 98. eius cauſæ 98. 99. vteri ligamenta. 99
Vuæ acino mortuus. 113
Vxor Tourri gaudio mortua. 116

X.

Ανδίασμος. 67
Xenocrati quinquaginta talenta mittit Alexander. 38. 39

FINIS.

Extraict du Priuilege du Roy.

LOVIS par la grace de Dieu Roy de France & de Nauarre. A noz amez & feaux, Concelliers, les gens tenans noz Cours de Parlement, Maiſtre des Requeſtes Ordinaires de noſtre Hoſtel. Baillif, Seneſchaux, Preuoſts, ou leurs Lieutenants. Et à tous noz Iuſticiers, & Officiers qu'il appartiendra, Salut. Paul Frellon Marchant Libraire à Lyon. Nous a faict Remonſtrer que cy deuant, il à faict imprimer les Hieroglyphiques de Pierius, diuiſees en cinquante huict liures, & joinct a iceux deux liures de Hieroglyphiques, de Cœlius Auguſtinus Curio, tant en Latin qu'en François, auec traictez dudict Pierius. Sçauoir, *pro Sacerdotum Barbis declamatio*, *& poëmata varia*, & ſix autres liures de Hieroglyphiques, recueillies par pluſieurs gens doctes. Et faict grauer figures des Emblemes, & Hieroglyphiques expliquez, laquelle impreſſion eſtant debitee, ledict Frellon pour donner aux gens ſtudieux, plus ample cognoiſſance des Hieroglyphiques, Auroit deliberé y faire adjouſter ceux *d'Horus Apollo Niliacus*. Comme auſſi les Emblemes, & Hieroglyphiques, faits par Maiſtre Louys de Caſeneuue Docteur en Medecine. Mais dautãt qu'il luy couſtera beaucoup pour dreſſer la coppie & impreſſion deſdicts liures, il craint que les ayant mis en vente quelqne autre Libraire ou Imprimeur ne vueille pareillement les imprimer, qui ſeroit fruſtrer l'expoſant, du trauail & des frais par luy faicts, requerant ſur ce nos lettres. A ces cauſes, deſirant fauorablement traicter l'expoſant, nous luy auons permis, & permettons, imprimer, ou faire imprimer les ſuſdicts liures, tant en Latin qu'en François, ſeparement ou conjoinctement en telle ſorme & caractere que bon luy ſemblera, Iceux vendre & dictribuer, l'eſpace de ſix ans. A commencer du iour qu'ils ſeront acheuez d'imprimer. Faiſant deffences à tous autres libraires & imprimeurs de les imprimer, ne vendre en ceſtuy noſtre Royaume, & pais de noſtre obeyſſance, ny les alterer, ſoit par abbregé de l'ordre, & methode de ceſte derniere Edition. Sans le conſentement de l'expoſant, ſur peine de confiſcation des exemplaires, & de mil liures d'amende, la moitie à nous applicable, & l'autre moitie audict Frellon, & en outre de ſes deſpens dommages & intereſtz. A la charge toutesfois, de mettre deux exemplaires en noſtre Bibliotecque, auant que les expoſer en vente ſuiuant noſtre reglement, à peine d eſtre decheu du preſent Priuilege. Si vous mandons que du contenu en ces preſentes, vous faciez joüir ledict expoſant plainemena & paiſiblement, & à ce faire ſouffrir & obeyr tous ceux qu'il appartiendra en mettant au commencement ou à la fin dudict liure ces preſentes, ou vn extraict d'icelle. Voulons qu'elles ſoient tenues, pour deuement ſignifiées, & que à la collation foy ſoit adjouſtée, comme au preſent original, Nonobſtant oppoſition on appellation quelconque. Clameur de Haro, Chartre, Normande, & lettres à ce contraires, car tel eſt noſtre plaiſir. Donné à Paris le douzieſme iour d'Auril, l'an de grace, mil ſix cens vingt cinq, & de noſtre regne le quinzieſme.

Par le Roy en ſon Conſeil.

PIQVET

Acc 1167425